

CONSILIARII ELECTOR. SAXON. ET FACVLT. IVRID. IN ACAD. VITEMBERG. ORDINARII,

DE


DOTE

EIVSQVE

IVRIBVS

ET


PRIVILEGIIS





VITEMBERGAE,

MDCCXVII.





VIRO
CONSVLTISSIMO
DN. DANIELI vom Kampe/
J.V. LICENTIATO ET REIP. HAMBVRGENS SENATORI, CIVI OPTIMO ET DE EGREGIO PVBLICO MERITISSIMO,

S. D.

VIr amplissimus Dn. HADRIANVS STEGERVS, in inclytâ Lipsiâ Ædilitiæ dignitatis Senator, multis & veteribus causis necessitudinis mihi conjunctus, cùm adultâ superioris anni æstate Dresdæ me forte fortuna convenisset, fecit, ut te non immemorem putarem mei. Salutem enim mihi verbis tuis nunciavit, simulque exposuit, honorificam te mei fecisse mentionem, & cupidinem animo incessisse tuo invisendi me in meo domicilio, quamprimùm ex itinere Vindobonensi, quod tunc in Reip. patriæ causa susceperas, redeundi viam potestas data esset. Ea res magnâ me affecit non modo lætitiâ, sed etiam quodammodo gloriâ, quæ utraque in me desiderium accendit videndi te, olim contubernalem familiarissimum, nunc Virum Reip. suæ valdè utilem & percharum. Videbar jam mihi legere ex vultu tuo pristinæ familiaritatis notas, & no-

va inde colligere virtutum documenta. Sed paucis abhinc diebus relatum est mihi, rationem tuam esse commutatam, teque restitutum patriæ tuæ, & frustra à me nunc expectari adventum tuum. Sic igitur videndi te spem omnem, quam per integrum semestre spacium calidissimis votis alui, uno momento abjicere oportuit. Ne tamen insimul abjecisse me putes gratam tui memoriam, quam ego perpetuam sanctè colui, en tibi exiguum ejus monumentum, quod publicæ nunc luci expono, ut quæ mea tecum jam olim intercesserit, & adhuc manet amicitia, quanti te faciam, semperque fecerim, quanti me à te fieri intellexerim, non mihi tantùm ipse testis sim, sed publicè etiam id notum fiat, ut proinde de confirmatione nostræ amicitiæ pluribus verbis haud opus sit. Ego ut mea in te omnia summa necessitudinis officia constent, omnem movebo lapidem. Tu velim communia olim nostra studia multum tecum recordere, quæ cum tibi liceat, mihi nefas sit oblivisci, quandocunque in memoriam recident, non puto id insvave futurum. Vale, & ita rem gere, atque Remp. tuam rege porrò, ut & tu per eam illustris fias, & illa per te illustrata dicatur. Dab. Vitembergæ Kal. Mart. cIↃ IↃc LXXVI.

CASPAR ZIEGLERVS, D.



BENEVOLO LECTORI
S.

AB eo tempore, quo in judicium Ecclesiasticum autoritate Serenissimi Principis Electoris, ut causas controversas cum aliis dijudicarem, cooptatus fui, multa & inextricabilis sæpè propter dotales, uti vocantur vulgò, exorta fuit quæstio, rusticis non ab jurisdictione tantùm seculari, sed & quibusvis oneribus, quæ in infinitum hodiè adaugentur, liberos se & immunes profitentibus, Dominis verò terrarum & nobilibus hæc eis privilegia *ἀποτόμως* negantibus, & â præsumptâ suâ jurisdictione nequicquam remittentibus. In hisce fluctibus, & cùm rudis adhuc est litis materia, plerumque evenit, ut possessionis commodo excidant rustici, Dominis, qui potestate & imperio instructi sunt, non ex jure manum consertum, neque per vim festucariam, sed verâ atque solidâ vi haud rarò agentibus. Quo fit plerumque, ut ubi ad judicem ventum est, malè secum propter possessionem libertatis sibi interversam agi, serò tandem persentiscant agricolæ miselli, quibus ne quidem ex petitorio judicio spes aliqua residua esse potest, quod deperdita ubique hodiè sint instrumenta, ex quibus

de origine suâ & fundatorum intentione certiores reddi queant. Sic igitur cum reliquis ruricolis paria facere, eademque servitia atque onera nullo discrimine habito subire tandem coguntur, adhuc deteriorem in hoc suam conditionem quiritantes, quod ultra communia ista servitia, Ecclesiæ etiam & Parocho inservire oporteat. In his talibus controversiis, quia inprimis ad Ecclesiam, cujus interest, rem suam salvam habere, judici respiciendum est, illa autem per imperitos, & ad stivam natos, & propter inopiam sine Advocato plerumque comparentes agricolas jura sua defendere solet; fatendum est, omnem cognitionem multis esse obstructam difficultatibus, eamque esse & in ipsis rebus obscuritatem & in judiciis nostris infirmitatem, ut non sine causâ & doctissimi & in praxi versatissimi invenire se posse, quod cuperent, plerumque diffisi sint. Et ex hoc factum arbitror, quod inter JCtos nostros nemo sit, qui materiam hanc ex professo tractare, aut summa saltem capita leviter attingere conatus fuerit. Hæc me cùm sæpè momordisset, & anxium tenuisset cura, quod judici omnium supremo aliquando ratio reddenda sit, si quid per meam culpam aut ignorantiam, uti vocant, vincibilem, detrimenti passa fuisset ejus Ecclesia, putavi ego, facturum me operæ precium, & de totâ Rep. Ecclesiasticâ optimè meriturum, sicubi vacuum hunc locum occuparem, & in dotalium conditionem paulo diligentius inquirerem. Ut verò eo feliciùs institutum procederet, ipsam totam de dote Ecclesiasticâ materiam, singulasque ejus proprietates & affectiones, accuratiori disquisitioni subjicere oportuit. Sed enim serò tandem animad-

animadverti, plus laboris atque industriæ ad hoc studii genus requiri, quam â me sperari potuerit. Nec diffiteor, ad ipsum etiam initium stuporem mihi haud frustra incussum fuisse, quandoquidem, quæ necessaria ad hanc rem videbantur, pleraque omnia me deficiebant. Et si porrò dicendum, quid mihi de totâ hâc scriptione nunc videatur, fateor, penè nihil me profecisse, & dubia adhuc in principali negocio mihimet ipsi subinde recurrere haud pauca. Nec pudet igitur Caji Lucilii de suis libris judicium præsenti meo tractatui applicare, quem dicere solitum ferunt, ea, quæ scriberet, neque ab indoctissimis, neque à doctissimis legi velle; quod alteri nihil intelligerent, alteri plus fortasse, quam ipse. Potuisset verò tota tractatio firmioribus fundamentis inniti, & fulcris sustentari haud paulo validioribus, si in Ecclesiis nostris instrumenta, quibus Dotalium conditio descripta fuit, invenire licuisset. Sed cùm deperdita ea sint pleraque omnia, sive per incuriam & culpam ipsorum dotalium, sive per bellicas direptiones & incendia, sive etiam per nobilium quorundam suppressiones, nihil nobis reliquum est, nisi ut vestigia legamus in tantâ obscuritate penè extincta & parum conspicua. Accedit, quod in his locis præsidia ad istiusmodi tractationem necessaria nos deficiant universa, & bibliopolia nostra nullum talem apparatum contineant, qui studio isti sufficere queat. Sunt enim plerique nostrorum hominum libri tantum de nomine mihi noti, & multi ne sic qvidem. Volui tamen intelligeres, Benevole Lector, si parum in his literis præstamus, non tàm ignaviâ nostrâ id fieri aut socordiâ, quàm quod instrumenta non sint ad manum.

num. Ex jure Ecclesiastico controversias eas decidi debere, nemo forte erit, qui negaturus sit. Illud autem ex corpore Juris Canonici peti & disci oportere, plerorumque & tantùm non omnium JCtorum est sententia. Alii tamen etsi multa præclara & utilia in eo contineri non inficientur, sed quia aliqua in desvetudinem abiisse vident, aliqua diplomatibus Pontificum venalibus ferè subverti solere animadvertunt, inanem prorsum in eo esse laborem contendunt, quorum judicium & autoritatem se prorsus non contemnere ait Franciscus Duarenus. In memoriam redit, quod de istâ compilatione Henricus Cornelius Agrippa aliquando scripsit: *Jus Canonicum*, inquit, *sive Pontificium plerisqve sanctissimum videri posset, tàm ingeniosè avaritiæ suæ præcepta & rapiendi formulas specie pietatis adumbrat: cùm tamen paucissima in eo statuantur, ad pietatem, religionem ac DEI cultum, sacramentorumqve ritus spectantia, taceo, qvod nonnulla DEI verbo contraria aut repugnantia. --- --- Ex horum prætcrea canonibus & decretis didicimus, Christi patrimonium esse regna, castra, donationes, fundationes, allodia, opes, ac possessiones, & Sacerdotum Christi Ecclesiæqve primatum esse imperium & regnum, & gladium Christi esse jurisdictionem ac potestatem temporalem, & petram Ecclesiæ fundamentum esse personam pontificis, episcopos esse Ecclesiæ non ministros modo, sed capita, & bona Ecclesiæ esse non modo doctrinam Evangelicam, ardorem fidei, contemptum mundi, sed vectigalia, decimas, oblationes, collectas, purpuram, mitras, aurum, argentum, gemmas, prædia, pecunias, &c.* Ex tali farragine, ut quis seligat ea,

qvæ

quæ ad diſciplinam Eccleſiaſticam in puriore Eccleſiâ obſervatam aut recipiendam faciunt, & ut ſeparet, quæ per πλεονεξίαν, ἀλαζονείαν, ſuperſtitionem & ἐθελοθρησκείαν conſtituta & introducta ſunt, haud paulo majorem exigit laborem, quàm in concinnandis illis ipſius olim fuit Gratiani, & reliquorum Compilatorum. Quod ſi verò interpretes juris Canonici hodiernos conſulere velis, hanc accipies reſponſionem, bona dum Eccleſiis traduntur, (quibus annumerari ſuo modo poſſunt coloni & dotales, præſertim ſi glebæ addicti fuerint,) eo ipſo eximi â dominio & poteſtate Laicorum, & ex ſpeciali jure ſub dominio Chriſti Domini conſtitui per omnimodam proprietatem. Quibus poſitis, nihil amplius reliquum in illis erit dominis prioribus, nullique omninò poteſtati ſeculari, quantacunque ea fuerit: & ipſum etiam ſupremum Principis imperium prorſus excludetur. Et fruſtra proinde erit, diſquirere, utrum nobilibus vel jurisdictio competat in ejusmodi homines, vel poteſtas ad ſervitia cogendi, vel jus aliquod aliud, uti conquiri hodiè undiquaque & affectari talia ſolent. Quandoquidem autem, uti ex ipsâ tractatione patebit, jam olim inter eos, qui familiam Eccleſiæ conſtituerunt, maxima fuit differentia, atque ea ſine dubio in noſtris etiam dotalibus ex voluntate inſtituentium olim radices egit, non ſanè de omnibus promiſcuè & ſimpliciter aſſerere licebit omnimodam exemptionem â poteſtate ſeculari. Sed quia de diſcrimine iſto nihil ferè ſupereſt, & ubique nunc deficiunt fundationum inſtrumenta, ex qui-

bus conditio eorundem dignosci possit, periculosè errat, qui subjicere eos jurisdictioni suæ ideò velit, quod exemptionem illi docere nequeant. Et tamen subdubito ego, utrum in foro externo factum tale improbari prorsus debeat, & utrum ad jurisdictionem, quam Vasallus universalem feudi titulo accepit, sustinendam injustè agat, qui non alios, quàm quos novit revera tales, pro exemptis habere velit. Conscientiam verò rectæ voluntatis qui magis amat, quique plus DEO quam facultatibus suis confidit, rectiùs meo judicio faciet, si juri suo, quod habere se probabiliter putat, prorsus renunciet, nec litem Ecclesiæ moveat. Exiguum sæpè est, quod in disquisitionem venit, & vix tanti, ut judicia fatigari debeant. Et est tamen ea hodiè quorundam temeritas, atque pervicacia, ut alterum tantum vel centies ex substantiâ suâ perdere malint, quàm Ecclesiæ vel tantillum sponte suâ cedere.

O curvæ in terras animæ & coelestium inanes!

Illis ego uti meliorem adprecor mentem: ita ut ab omni procul absint infortunio, tragicumque nullum unquam experiantur malum, simul exopro. Negari enim nequit, plurimos Christi panem confidenter devorare, sed malè concoquere, ac verè sed serò nimis experiri, devotas execrationes, quæ donationum instrumentis utplurimùm additæ

ditæ fuerunt, gravi effectu non carere. Nec profectò vana est illa apud vulgum recepta opinio, quâ putat, magno perituros malo, quicunque à bonis Ecclesiasticis suas non abstinent manûs. Sunt enim ista talia veluti aquilarum pennæ, quæ aliarum avium plumis junctæ adurere easdem & consumere dicuntur. Et sicuti una exigua ignis scintilla immane incendium excitare, & maxima ædificia, opulentissimaque prædia, destruere potest: ita exigua talis bonorum Ecclesiasticorum portio injustè ablata aut retenta amplissimas opes, & quicquid à parentibus genium suum defraudantibus magnâ cum sollicitudine congestum fuit, intra exiguum sæpè temporis spacium exedit & consumit. Quod si vel maximè in judicio superior quis fuerit, & sententiâ Ecclesiam vicerit, non tamen propterea sibi de justitiâ causæ suæ blandiri debet. Talis enim sententia veram justitiæ demonstrationem non facit, uti nec eadem illa propterea absolutè & simpliciter justa dici potest: quùm & ipsa non nisi opinio sit, nec aliud efficiat, quàm ut ex alterutrius litigantium latere consistat. Et quotusquisque est, qui ignorat, in alio superiori tribunali revocari sæpè sententiam inferioris, atqve alio prorsus modo de causâ judicari: sæpè etiam pejorem eam pronunciari; sæpe ab utroque errorem non unum committi, idqve non imbecillitati tantùm humanæ, sed malitiæ etiam quandoque judicantium adscribendum esse. Et quis igitur, qui ista non ignorat, in sententiâ judiciali conscientiam suam firmare velit? Laudanda hîc mihi est doctrina Sigismundi Scacciæ,

JCti Romani, in universis Auditoriis celeberrimi, qui *in tract. de commerciis §. 1. q. 7. part. 2. ampl. 19. n. 83.* hanc facit declarationem, detinere rem alienam scienter sine consensu Domini etiam illum, qui in judicio superior existit, etiamsi, inqvit, dominus rei egerit in judicio & succubuerit, quia illa succumbentia non inducit consensum, nec tollit obligationem restituendi in foro conscientiæ. Licet enim sententia judicis sit rite & rectè lata ex dispositione legis, tamen in foro conscientiæ poterit esse injusta. Et hoc scil. est, quod dicunt Doctores, multum differre inter se forum poli sive conscientiæ internum, & forum soli sive externum. Quin si ipsos etiam Civilis juris Doctores consulamus, quibus res judicata ex nigro album, ex non ente ens, ex non filio filium, ex non jure jus facere dicitur, rectè ab illis docetur, sententiam non esse modum tollendæ obligationis, nec dominium per eandem cuiquam acquiri vel adimi, hancque unicam judici datam fuisse potestatem, ut ex animi sui sententiâ pronunciet & declaret, rem illius esse aut non esse, vel reum non debere; hanc verò pronunciationem non invertere rei veritatem, sed haberi tantùm pro veritate boni publici causâ, ne lites in infinitum crescant, & ut salva sit rerum judicatarum autoritas. Et quomodo igitur in tali sententiâ acquiescere poterit conscientia, præsertim dubia & opinioni suæ parum confisa?

Postquam ego ista omnia probè mecum pensiculavi, & plurimas mihi vias, quibus eundum fuerat, obstructas animad-

animadverti , cœpi primùm dubitare , numquid præſtare hîc liceret ſubſidiis omnibus deſtituto , & num initium facere deberem ejus rei, de cujus ſucceſſu mihi incerta erant omnia. Deinde cum propiùs & attentiùs ea, quæ ad manûs mihi erant, evolverem, parum abfuit, quin ab inſtituto prorſus deſiſterem , omnemque abjicerem ejus rei curam. Sed vicit tamen pertinacia , & ſic tandem cepi laborem , ſimilis illi , qui reperto ſcalmo in litore , navem ædificare conatus eſt. Qvid & qvantum præſtiterim , Tuo nunc judicio ſubmitto, Lector benevole ; ſed ita, ut in benigniorem partem interpretari velis, ſi quid minùs placuerit. Non ſunt ad vivum reſecanda omnia , aut exigenda ad filum, ubi facultas non reſpondet aut eventus voluntati. Cùm non datur ad prima pervenire , in ſecundis & tertiis , vel etiam in quartis conſiſtere non usque quaque eſt dedecori. Et tu perinde ignoſcentiâ opus habes, ſi homo es.

Ad Magnificum ZIEGLERUM
suum, de Dote Ecclesiæ
commentantem,


FRID. RAPPOLT, SS. THEOL. D.
ET PROF. PUBL. ACADEMIAE LIPS.
h. t. RECTOR.

QVæ scita in Orbis Eruditi commoda
DE DOTE sanctæ publicas ECCLESIÆ,
Qvâ dona dote tanta munerabitur,
Docto labori qvæ rependet præmia?
Laudi obligatus nempè perpetuum tuæ,
Qvâ læta utriqve fama se insinuat polo,
Non æstimandas, non recensendas brevi,
Curta ista mutans seculorum syrmate,
ZIEGLERE, dotes prædicabit Ingenî.

Sylla-

Syllabus eorum, qvæ hic tractantur.

CAP. VIII.





AUXILIANTE DEO!

CAPUT I.

De

Vocabulo Ecclesiæ & ejus usu.

SUMMARIA.

Ecclesia origo, acceptio & significatio, n. 1, 3, 4, 5, 6, 7, 8.
Ecclesia qvomodò differat à synagoga? n. 2.
Isidorus qvando vixerit? n. 5.
Barbaries lingvarum & obscuritas sermonis sequiorum temporum tangitur, num. 6.
Qvô significatu accipiatur Ecclesia in præsenti dissertatione? eod.
Abbo qvis fuerit, quando vixerit & mortuus sit? n. 7.
De Donationibus Ecclesiarum & reservatione altarium in iis, n. 8. & 9.
Altare quid fuerit? n. 9.

Ecclesia ἀπὸ τοῦ ἐκκαλεῖν, ab evocando dicta, cœtum, & concionem, sive congregationem evocatam significat, propriè qvidem qvamlibet hominum quâcunque de causâ convocatorum, presſiùs tamen & ſtrictiùs acceptô vocabulo in Rep. Christianâ istum solummodò denotat cœtum, qvi religionis causâ & propter cultum divinum congregatus est. Apud Græcos veteres istud vocabulum ſæpenumerò cœtum civilem in comitiis aut curiis convocatum significat, uti id ex Aristophanis Acharnanensibus, Thucydidis & aliorum scriptis discere licet. Quo in sensu optimè distingvit Suidas inter ἐκκλησίαν νόμιμον, & ἐκκλησίαν σύγκλητον, legitimam & eam, qvæ repentè coiit. Νόμιμος, inquit, λέγεται ἐκκλησία ἡ κυρία καὶ ὡρισμένη τρὶς τοῦ μηνὸς, σύγκλητος δὲ ἡ ἐξαίφνης γενομένη διά τι κατεπεῖγον. *Legitima dicebatur fixa statag, concio, quæ ter in mense habebatur: convocata autem & indicta concio, qvæ repentè, urgente qvâdam de causâ, fiebat.* Et huc pertinet, qvod dicitur *Actor. XIX, 31.* de Ecclesiâ συγκεχυμένῃ, it. *vers. 38.* de Ecclesiâ ἐννόμῳ, & *vers. 39.* de Ecclesiâ dimis-

 sa.

ſtâ. Et ne qvis putet, piorum tantùm aut honeſtorum atqve proborum hominum congregationem per vocabulum iſtud indigitari, ex Scripturæ verſione Græcâ τῶν ἑβδομήκοντα ad oculum patet, etiam malignantium cœtui nomen iſtud tribui, dum ita reddunt & explicant *Pſalm. XXVI, 5.* Ἐμίσησα ἐκκλησίαν πονηρευομένων, *odi cœtum malignantium*, ſive *congregationem maleficorum*, uti habent verba Junii & Tremellii. Qvomodo in terminis adhuc fortioribus Eccleſiam Diaboli dixit Tertull. *de ſpectac. c. 25.* vid. Joh. Selden. *de Synedr. Hebr. lib. 1. cap. 9.*

II. Differre Eccleſiam à Synagogâ, aſſerit Franc. à Victoria *relect. 1. ſect. 1. n. 1. 2. 3.* quòd Eccleſia convocationem, ſynagoga congregationem denotet. Non malè, ſi vim vocabulorum ſpectes. Potior tamen differentia ex uſu ſumenda eſt, qvòd ſynagoga ad populum Judaicum, Eccleſia ad Chriſtianum plerumqve referatur. Nec tamen aſſentiendum eſt Catechiſmo Tridentino, qvando *in expoſitione Symboli* ad verba *CREDO ECCLESIAM* ita commentatur, populum ſub lege nomine Synagogæ fuiſſe appellatum, qvòd pecudum more, qvibus magis congregari convenit, terrena & caduca tantùm bona ſpectaret. Videmus enim & Synagogæ & Eccleſiæ nomen eidem populo Judaico attributum, *Levit. IV, 13. Num. XX, 2. & 4.* inprimis *Proverb. V. v. 14.* Add. Joh. Rainold. *prælect. 7. & 11.* Et eſt ſanè argutia illa, cui Auguſtinus in *enarrat. Pſalmi 80.* anſam dedit, admodùm frigida, quæ in Latino tantùm congregationis verbo a grege deducto locum invenit, in Græco autem nullum planè fundamentum habet, uti eruditè oſtendit Iſ. Caſaubonus *ad Baron. exercitat. 16. num. 42.*

III. Ut ad vocabulum Eccleſiæ redeamus, etiam omiſſô gentilium & civili uſu, generalis adhuc eſt ſignificatio illa, juxta qvam accipitur pro collectione hominum religionis ergò ad cultum divinum congregatorum, ut proinde neceſſe ſit ab ulteriori æqvivocatione nomen iſtud liberari. Faciam id verbis Marſilii Patavini ex *defenſor. pac. part. 2. c. 2.* in hunc modum ſcribentis: *Apud Latinos vocabulum hoc ſecundum vulgarem & famoſam appellationem in unâ ſui ſignificatione importat templum ſeu domum, in qvâ DEUS communiter a fidelibus colitur & freqventiùs adoratur. ------ In aliâ verò ſignificatione importat hoc nomen Eccleſia omnes Presbyteros ſeu Epiſcopos, Diaconos & reliquos miniſtrantes in templo ſeu Eccleſiâ dictâ ſecundùm priorem ſignificationem. Apud modernos maximè importat hoc nomen Eccleſia miniſtros illos Presbyteros ſeu Epiſcopos, atq; Diaconos, qui miniſtrant & præſunt in metropolitanâ ſeu principali omnium Eccleſiarum, qvemadmodum hoc Eccleſia Ro-*

Romanæ Urbis dudum obtinuit, cujus ministri & præsidentes sunt Papa Romanus & Cardinales ipsius, qvi jam ex usu quodam obtinuerunt dici Ecclesia, & Ecclesiam aliqvid egisse, aut recepisse, cùm iidem aliqvid egerint aut receperint, vel aliter qvaliter ordinaverint. Rursum secundùm aliam significationem dicitur hoc nomen Ecclesia & omnium verissimè & propriissimè secundùm primam impositionem hujus nominis seu intentionem primorum imponentium, licet non ita famosè secundùm modernum usum & de universitate fidelium credentium & invocantium nomen Christi, & de hujus universitatis partibus omnibus in qvâcunq; communitate etiam domesticâ. Et hæc fuit impositio prima hujus dictionis & consvetus usus ejus apud Apostolos & in Ecclesiâ primitivâ &c. Hæc Marsilius circa annum MCCCXXIV. Vir in tenebris admodùm perspicax, cujus proinde memoriam & scripta damnavit Johannes XXII. referente Ludovico Molinâ *de just. & jur. tom. 2. disp. 31. n. 3.* & in indicem expurgatorium iniqvi retulerunt Censores. Summa verborum adductorum hæc est, accipi vocabulum Ecclesiæ 1. pro templo, 2. pro ministerio Ecclesiastico qvocunqve, 3. pro ministerio Ecclesiæ metropolitanæ, 4. pro Papâ & Cardinalibus, utpote præside & ministris Ecclesiæ Romanæ, 5. pro communitate fidelium sive universali, sive particulari, etiam domesticâ. Accessit his significatio sexta, quâ Ecclesia significat Papæ dominatum, & in rebus tùm temporalibus, tùm spiritualibus principatum, uti prolixè explicat Johannes Rainoldus *in colloq. cum Harto cap. 7. sect. 6.* adeò ut Ecclesiæ nomine etiam in fidei dogmatibus apud Pontificios intelligatur hodiè solus & unicus Papa Romanus. Conf. Petr. Svav. *in histor. Concil. Trid. lib. 7. p. m. 688.*

IV. Ultima hæc acceptio planè ἄλογος est, ut vel ipsum nudum Ecclesiæ vocabulum, qvod aggregatum aliqvod significat, ostendit. Adversatur etiam tàm naturæ Ecclesiæ, qvàm instituto & scopo Christi, si uni individuo titulus & officium Ecclesiæ tribuatur, *Matth. XVIII, 17.* ubi Ecclesia distinctum constituit judicium, quoad pluralitatem personarum judicantium, à judicio unius vel duorum vel trium. Qvinta acceptio vulgaris est, & in Scripturâ frequens, cùm cœtûs particulares omnes sint partes homogeneæ Ecclesiæ universalis, ut adeò etiam habeant commune nomen. Vid. *Matth. XVI, 18. Eph. I, 22, 23. Coloss. IV, 15, 16.* Qvarta significatio tolerari posset, si Romana Ecclesia juxta se admitteret sorores sive Ecclesias alias pari secum gradu, nec ipsa primatum & tyrannidem in reliquas omnes affectaret. Tertia rarior est, nec aliàs fortè usitata, nisi inter Episcopos & Presbyteros unius provinciæ. Nec secunda prorsùs rejici-

enda est, dum ne excludatur populus, & ex eo Ecclesiam constitui non negetur. Sic enim partem nomine totius venire nihil vetat. Et sic namquè Tertullianus *de exhort. castitat. c. 7*, postqvam fecisset mentionem ordinis Ecclesiastici, qvo nomine sacerdotes intellectos voluit, subjungit: *Sed ubi tres, Ecclesia est, licèt Laici.* Nec incongruè igitur Salvianus Episcopus Massiliensis *lib. 7. de gubern. DEI* plebem Ecclesiasticam dixit, ne soli illi, qvi ordinis Ecclesiastici esse dicuntur, Ecclesiam constituere censerentur. Prima admodùm usitata hodiè & vulgaris est, nec tamen æqvè antiqva atqve Christianorum nomen & religio, aut eorum conventus.

V. Sanè usurpaverat in hoc significatu istud vocabulum Eusebius Pelusiotarum Antistes, sed acriter reprehenditur propterea ab Isidoro, distingvente inter ἐκκλησίαν & ἐκκλησιαςήριον. *Ut enim aliud est sacrificium*, inqvit, *aliud altare, aliud thymiamatis locus* θυμιατήριον, *aliud thymiama, aliud* βυλευτήριον, *senaculum, aliud senatus*, (illud enim locum, in qvem coëunt, significat; hoc autem Viros eos, qvi consilium ineunt, ad qvos & periculum & salus pertinet) *eodem modo de templo & Ecclesia statuendum &c. lib. 2. Epist. 246.* Vixit Isidorus seculo V. circa annum CCCCXL. Atque hinc constat, minùs receptam tùm fuisse in Ecclesiâ Orientali istam vocabuli Ecclesiæ acceptionem. Fortè tamen in Ecclesia Occidentali ista significatio faciliùs admissa est, uti ostendunt verba Augustini Hipponensis Episcopi *epist. 157.* in hunc modum scribentis: *Sicut appellamus Ecclesiam Basilicam, quâ continetur, populus, qui verè appellatur Ecclesia, ut nomine Ecclesiæ, i.e. populi, qvi continetur, significemus locum, qvi continet: ita qvod animæ corporibus continentur, intelligi corpora filiorum per nominatas animas possunt.* Atqve hinc utrumqve significatum conjungit Amalarius Fortunatus *de Eccles. Offic. lib. 3. c. 2. Ecclesia*, inqvit, *est convocatus populus per ministros Ecclesiae ab eo, qui facit unanimes habitare in domo. Ipsa domus vocatur Ecclesia, qvia Ecclesiam continet. Ipsa vocatur* κυριακὴ, *qvia est Dominicalis.*

VI. Qvicquid sit, non videtur nunc esse necessarium, ut de antiqvo & maximè proprio vocabuli usu admodùm simus solliciti, qvandoqvidem ad præsentia magis nobis spectandum est tempora, qvippe in qvæ exundârunt consvetudines superiorum seculorum. Scilicet cùm barbarismis ubique terrarum repleretur linguarum indoles, & à pristinâ puritate recederent illi, qui regimen tenebant in Republ. literaria, dici non potest, quàm confusè & obscurè haud rarò per verborum inflexiones & abusûs animi sensa expressa fuerint. Facta tamen inter eos quasi lex quæ-

qvædam ut pro erudito non haberetur, nisi simili idiotismo adsvetus hoc tantùm ageret, ut non à qvovis intelligeretur, atqve ut dici de doctrinâ suâ posset: ταυτὶ δ᾽ ὅ, τι ἐστὶν, οὐδ᾽ ἂν Ἀπόλλων μάθοι, uti eam loquendi formulam explicat Gerardus in Aristoph. *Plut. pag. 2.* Inde non nova tantùm & abstrusa vocabula ad placitum & pro arbitrio fingebantur, sed illa etiam, qvæ purioris sermonis qvædam veluti reliquiæ erant, in alios planè significatus sæpiusculè contorquebantur. Sic igitur etiam Ecclesiæ vocabulum inter Cononistas hunc ferè principalem significatum obtinuit, ut manufactum templum & orationis domum plerumqve nunc denotet, uti apparet ex rubricâ titt: *de consecratione Ecclesiæ, de immunitate Ecclesiarum, de Ecclesiis ædificandis vel reparandis* &c. Et in hoc scil. significatu accipiendum est, qvicqvid posthac de dote Ecclesiarum & earum colonis à nobis dictum fuerit, qvandoqvidem impossibile est, ut ex historiâ superiorum seculorum qvicquam certi definiatur, nisi verba, prout usitata tùm fuerunt, retineantur, & ex intentione proferentium explicentur.

VII. Factum verò est aliquando, ut adhuc specialiùs acciperetur etiam in hoc significatu vocabulum Ecclesiæ, non pro integrâ domo sacris peragendis destinatâ, sed pro parte tantùm ejus. Observavit id primus, nî fallor, Petrus de Marca Archi-Episcopus Parisiensis *in not. ad Concil. Claromont. can. 7.* ex verbis Abbonis Floriacensis, qui in hunc modum loquitur: *Certè, carissimi Principes, nec catholicè vivimus, nec catholicè loqvimur, quando illam Ecclesiam dico esse meam, ille alteram dicit esse suam, ac veluti quædam jumenta, comparati jumentis insipientibus, utrasq; aliquando venales proponimus, propositasq; ab aliis emere non formidamus. Est etiam alius error gravissimus, quo fertur altare esse Episcopi, & Ecclesiam alterius cujuslibet domini, cùm ex domo consecratâ & altari unum quoddam fiat, quod dicitur Ecclesia, sicut unus homo constat ex corpore & animâ. Videte æquissimi Principes, quò nos ducit cupiditas, dum refrigescit charitas &c.* Vixit Abbo S. Benedicti ad Ligerim in dioecesi Aurelianensi abbas circa annum M. occisus enim fertur à Vasconibus 15. Novembr. ann. MIV. & ex ejus seculi historiâ petenda est adductorum verborum interpretatio.

VIII. Inoleverat scil. istâ ætate, ut & fundi & villæ & ipsæ deniqve Ecclesiae in beneficium Laicis hominibus conferrentur, non quidem ut templa manufacta possiderent illi, ad quid enim possessio talis conduceret? sed ut oblationes, decimas, aliosque reditûs Ecclesiis concessos perciperent. Et hinc intelligi possunt tabulæ antiquæ, quibus soliti fuerunt isto tempore Duces & Comites in

integras Ecclesias Monasteriis conferre, ut scil. hâc ratione, qvod injustè à se possideri opinabantur, cultui divino redderent. Sic enim Hugo, Dux Francorum, & alter Hugo, Dux Burgundionum, nec non & Letaldus Comes Ecclesiam in suburbio Matisconensi Monasterio Cluniacensi donârunt, uti habetur apud Martin. Marrier *in Biblioth. Cluniacens. p. 275. & 277.* Sic etiam Amedeus Comes Ecclesiam S. Mauritii in pago Maltacena sitam eidem monasterio donat, *pag. 412.* Et sic etiam Gaufridus de villa Harduini Romaniæ Seneschallus, abbatiam Saphadini ab aliis fundatam Ecclesiæ B. Lupi Trecensis donat apud Nic. Camuzat. *in antiq. Diœces. Tricassin. p. 313.* Talia ubiq; occurrunt plura. Qvi sanè omnes Ecclesias jam fundatas & consecratas ex sententiâ Canonistarum nec possidere, nec conferre aliis potuissent, nisi id introductum fuisset vitio seculi, qvod alibi discutiendum reservo. Et hactenus quidem Laici bonorum Ecclesiasticorum possessores existebant, ut ipsas etiam Ecclesias, qvæ ex reditibus tùm temporis æstimabantur, possidere crederentur. Ne tamen Sacramentorum celebratio (sunt verba Petri de Marca *d. l.*) à Laicis Ecclesiarum possessoribus pendere videretur, inducta est nova verborum distinctio, ita ut in una eademque domo pars una Ecclesia diceretur, quoad laicorum jura, & altare, quoad juris spiritualis administrationem, uti innuunt verba Abbonis Floriacensis suprà allegata.

IX. Fingebatur ita tota Ecclesia in manûs Laici venisse, excepto altari, qvod Episcopus aut Presbyter sibi retinebat, ne ex directione aut nutu Laici administratio sacrorum suscipienda esset. Erat enim altare præcipua Ecclesiæ pars, qvippe in quo vota populi & membra Christi portantur, qvo DEUS omnipotens invocatur, qvò postulatus descendit Spiritus S. unde à multis pignus salutis æternæ, & tutela fidei, & spes resurrectionis accipitur, uti id cum aliis pluribus Encomiis describit Optatus Milevitanus *lib. 6. advers. Parmen. in pr.* Et solenne tunc temporis erat, res donatas Ecclesiæ vel traditas, aut saltem earum instrumenta altari imponere, uti id ostendit Hieron. Bignonius *ad Marculfi form. lib. 1. cap. 1.* Reservato igitur altari, satis sibi prospectum credebant Sacerdotes, qvandoquidem ex oblationibus, quæ in illis fieri solebant, tantum accipiebant, qvantum sustentationi suæ sufficere opinabantur.

CAPUT II.

Initio naſcentis Eccleſiæ templa Chriſtianis nulla fuiſſe.

SUMMARIA.

Homonymiæ vocabuli Eccleſiæ recapitulatio, n. 1.
Num verba Pauli 1.Cor.XI.v.18. & 20. explicanda ſint de loco, ſive templo? n. 1. & 2.
Pontificios omnem eccleſiaſticum apparatum ſacraq; omnia arceſſere ſolere ex Apoſtolorum ætate & uſu, n. 1.
Loca, in qvibus olim Chriſtiani congregati ſunt, fuiſſe privata, n. 2, 4.
Commendatio Congregationum in unum, n. 3.
Ubiq; locorum & tàm nocturnis, qvàm diurnis temporibus Chriſtianos primos ſacra ſua peregiſſe propter perſecutiones, n. 4, 12.
De templo S. Johannis Evangeliſtæ, Vitis Apoſtolorum & aliis fabuloſis, n. 5.
Hida qvanta terræ portio dicatur? eôd.
Joſephus, ex Arimathæa civitate oriundus, num venerit in Angliam, atq; ibi Chriſtum crucifixum prædicaverit? eôd.
Quô tempore Baſilicæ extrui cœperint? n. 7, 8, 9, 10, 12, 13, 14.
Ædes, in qvibus convenerunt olim Chriſtiani, non fuiſſe Baſilicas, n. 7, 8.
Abominationi fuiſſe Chriſtianis templa gentilium, n. 10.
Templorum appellatione gentilium templa veniſſe, & templorum cultum pro cultu gentilitio uſurpatum eſſe, eôd.
Limitatio & explicatio horum verborum, n. 11.
Qvaliter variârit Chriſtianorum fortuna & conditio circa conventûs ipſorum & pietatis religionisq; ſuæ exercitia, n. 12.
Per ipſum ſeculum tertium Chriſtianorum religionem identidem abſcondi & occultari oportuiſſe, n. 13.
Chriſtianorum in latebras atq; loca abdita receptionem usq; ad tempora Conſtantini Magni durâſſe, huncq; illis templa ædificari non tantùm permiſiſſe, ſed publicis etiam ſumptibus extrui edictô præcepiſſe, n. 14.
Epiſcopos poſt hæc mox animos ſumpſiſſe & plurimas in Eccleſia turbas dediſſe, eôd.
Differentia Eccleſiæ, Baſilicæ & Oratorii, n. 15, 26.
Item Memoriarum, Baſilicarum & Oratoriorum, n. 16.

Num

Ostendimus, vocabulum Ecclesiæ sub initia Christiani nominis, locum sacris destinatum non denotâsse, sed ipsam potiùs concionem, conventum, cœtum & congregationem fidelium & sacra peragentium. Nec adeò assentiri possum illis, qvi, dum legunt verba Pauli *1. Cor. XI, vers. 18.* habitâ collatione cum *vers. 20.* statuunt, ἐκκλησίαν illic significare domum, totius cœtûs Christiani communem, ad conventus ibidem celebrandos comparatam. Atque hinc conficiunt porrò, habuisse Christianos jam apostolicis temporibus publicas ædes, in qvibus cultui divino vacarent, qvæqve proinde non humani aut privati juris, sed divini essent. De pontificiis id asserentibus, qvales sunt Cardinalis Baronius, Card.

Card. Bellarminus, Cornelius à Lapide, aliique plures, mirum non est, qvippe qvi solenne hoc habent, ut ex Apostolorum ætate & usu omnem Ecclesiasticum apparatum sacraqve omnia arcessant. Magis mirum est, defendere istud etiam Nicolaum Fullerum *lib. 2. miscell. cap. 9.* virum in antiqvitate & politiore literaturâ versatissimum, qvem propterea non insubidè reprehendit Gisbertus Voëtius *polit. Eccles. part. 1. lib. 4. tr. 4. sect. 2. c. 4. qv. 8.*

II. Sanè nihil obstat, quò minùs Pauli verba non de loco, sed de cœtu fidelium explicentur, præsertim si consideretur, publicâ sacrorum celebratione tùm temporis Christianos per vim exclusos conventuqve omni interdictos, & hinc latebras qværere coactos fuisse. Loca ergò, in qvibus Ecclesia congregabatur, privata erant, qvanqvam & in Synagogis Judæorum qvandoque convenirent, qvas tamen pro Ecclesiis sive templis habitas, neqvaqvam admittent adversarii. Nec evincit, qvòd Paulus *d. l.* domum DEI Ecclesiam appellat, eamqve opponit privatis domibus, in qvibus edere liceret. Domus enim, uti notat Andreas Rivetus *in Cathol. Orthodox. tr. 2. qv. 27.* etiam accipitur pro ejus habitatoribus, & pro familiâ privatâ, quæ optimè opponitur publico cœtui Ecclesiastico. Qvanqvam igitur demus, agi isthic de loco sacris destinato, nunqvam tamen inde conficiet qvisqvam, locum illum publicum & juris divini fuisse.

III. Cæterùm commendata semper fuit jam inde à primis Christianæ religionis principiis in unum congregatio. Sic enim ipsi Apostoli ὁμοθυμαδὸν precati sunt, *Act. IV, 24.* Ex solenni namqve & publicâ divinorum beneficiorum commemoratione plurium animi ad agendas DEO gratias & precandum ejus misericordiam vehementiùs accenduntur. Communibus precibus fraterna charitas augetur, & multorum consentientium oratio apud DEUM gratior est & acceptior. Eleganter Tertullianus *in apolog. cap. 39. Coimus in cœtum & congregationem, ut ad DEUM qvasi manu factâ precationibus ambiamus orantes. Hæc vis DEO grata est.* Atq; hinc Magnesianos admonet Ignatius Martyr *in Epist. ad eos scriptâ: Neq; operam detis*, inqvit, *ut aliqvid vobis seorsim rationi videatur consentaneum; sed in unum convenientibus, una sit oratio, una deprecatio, una mens, una spes in charitate, in gaudio inculpato.* --- --- Πάντες οὖν, ὡς εἰς ἕνα ναὸν συντρέχετε Θεοῦ, ὡς ἐπὶ ἓν θυσιαστήριον, *omnes itaq; velut in unum templum Dei concurrite, velut ad unum altare, velut ad unum JesumChristum, ab uno patre exeuntem, & in unum existentem & revertentem.* Et Photius Patriarcha Constantinopolitanus *epist. 1.* qvæ est ad Michaelem Bulga-

riæ principem: *Eò* (scil. in templis) *populus convenire in cœtus assvescat, in eum finem, ut communibus votis* κοινῇ, *DEUM propitium facientes, & communiter doxologiam ei offerentes, ita magis cùm in communem concordiam coalescant, & communem referunt cùm salutem tùm etiam alias utilitates.*

IV. Hæc fuit praxis Christianorum à primis, ut dixi, initiis ad hæc usqve tempora continuata. Ubi autem locorum convenirent, nihil interesse arbitrati sunt, si qvidem illis propter persecutiones non liceret esse & sacra facere in locis semper iisdem. Unde non in ædibus tantùm privatis, sed in hortis etiam, in cœmeteriis, in cryptis sacra sua paragebant, & noctu sæpè atqve in conventibus antelucanis, uti id pluribus notant Christophorus Justellus *in not. ad Cod. Can. Eccles. univers. can. 113. p. m. 200.* Petr. Molineus *de altarib. c. 11.* Euseb. *l. 9. hist. Eccles. c. 10.* In omnibus illis locis Ecclesia fuit, sed temporalis, nec propterea loca illa, si quæ in privatorum dominio erant, commercio hominum eximebantur, aut publici & divini juris fiebant. Qvicqvid hîc dixerit Baronius, strenuè sibi resistentem habet Davidem Blondellum *in apol. pro sent. Hieron. de Episc. & presbyt. pag. 219. seqq.*

V. Fabulæ sunt, qvæ de templo S. Johannis Evangelistæ, anteqvam abiret è vivis, constructo refert Abdias Babylonius. Vitas Apostolorum, qvæ sub nomine ejus circumferuntur, fabulis similiores esse, qvàm veræ narrationi, agnoscit Bellarminus *de Script. Eccles.* à Baronio etiam rejiculis annumerantur, & manifestæ arguuntur imposturæ, *anno XLIV, n. 44. & ann. LI, n. 35.* nec judicant aliter prudentiores alii, quos refert Anton. Rivetus *Critic. sacri lib. 1. c. 6.* Nec minùs fabulosum est, qvod ex Ferreoli Locrii compilationibus refert Theophilus Raynaudus Jesuita *lib. de coron. aur. supr. mitr. Pontif. p. 24.* Petrum, Jacobum & Johannem Deiparæ etiamnum in terris degenti templa construxisse. Qvi ista talia congesserunt, laudant nobis Evodios, nescio qvos Petri discipulos, & in sede Antiochenâ successores, Abdias, Prochoros, Hippolytos, Melitones, multarum narrationum promos condos, qvas mirabili silentio involutas antiqvitas ignoravit. Et sunt pleræqve horum hominum narrationes gerræ germanæ, rationi repugnantes communi, in DEUM injuriæ & pietatem. Richardus Montacutius *in præfat. ad Exercitat.*

VI. Eodem refero, qvæ de Glastoniensis Ecclesiæ antiqvitate referunt Britannici Scriptores apud Jacobum Usserium Archi-Episcopum Armachanum *de Eccles. Britann. primord. cap. 2.* Josephum scilicet ex Arimathæâ civitate oriundum, qvi Christi corpus sepeliverat, sive ca-

su,

ſu, ſive conſilio, ita volente DEO, cum non parvo comitatu in Britanniam veniſſe, illic Evangelium prædicâſſe, & poſtquam poſſesſionem duodecim hidarum (dicitur hida tanta terræ portio, qvanta uno aratro colitur) à Rege Arvirago dono accepiſſet, ſuggerente Gabriele Archangelo Eccleſiam in honorem ſanctæ DEI genitricis Mariæ conſtruxiſſe, anno poſt paſſionem Domini XXXI. Qvæ relatio etſi ſuſpecta valdè ſit, ad eam tamen in Synodis generalibus, qvando de Britannici Regni dignitate cum Gallis & Hiſpanis habita eſt controverſia, ſubinde provocare ſoliti ſunt Anglicanæ gentis Oratores. Factumque id inprimis in Concilio Baſileenſi ann. MCCCCXXXIV. uti refert Uſſerius *d. l.* ubi ipſe provinciam in ſe ſuſcipit, diluendi ea, qvæ in iſto Concilio ab Alphonſo Garſiâ de Sanctâ Mariâ Compoſtellanæ & Segobienſis Eccleſiarum Decano objecta fuerant. Nec verò repugno, Joſephum cum aliquot ſociis in Angliam veniſſe, atqve inibi Chriſtum crucifixum prædicaſſe, quod & ipſum acerrimè defendit Franciſcus Godwinus *de converſ. Britann. ad Chriſtian. relig. c. 2.* ea tamen, qvæ de conſecratione Eccleſiæ referuntur, fidem vix faciunt, ne qvidem Godwino, qvi pluribus circumſtantiis conſecrationem iſtam ex elogio qvodam antiqvo in æs inciſo recenſet. Et pro ſuppoſititiis habentur Johanni Seldeno *de Synedr. libr. 3. cap. 15. num. 4.*

VII. Qvo verò tempore Baſilicæ illæ, uti vocantur, extrui cœperint, difficile erit definire. David Blondellus *in apol. de Epiſc. & presbyt.* ante annum Chriſti CCXX. nulla ejus rei dicit apparere veſtigia. Nicolaus Vedelius *ad Ignatii epiſt. ad Magneſ. exercit. 4.* tribus primis ſeculis nulla omninò Chriſtianis fuiſſe templa ſtatuit. Et certè multa ei naſcetur hâc de re dubitatio, qvi, qvæ Tertullianus, Arnobius, Minutius Felix & Origenes ſeculo tertio ſcripſerunt, attentiùs legerit. Apud Minutium Felicem *in Octavio*, cùm objeciſſet Cæcilius gentilis: *cur nullas aras habent Chriſtiani, templa nulla, nulla nota ſimulacra?* hunc in modum reſpondet Octavius: *Putatis autem nos occultare, qvod colimus, ſi delubra & aras non habemus? qvod enim ſimulacrum DEO fingam, cùm, ſi rectè exiſtimes, ſit Dei homo ipſe ſimulacrum? templum, qvod ei extruam, cùm totus hic mundus ejus opere fabricatus eum capere non poſſit? & cùm homo laxiùs maneam, intra unam ædiculam vim tantæ majeſtatis includam? nonne meliùs in noſtrâ dedicandus eſt mente? in noſtro imo conſecrandus eſt pectore?* &c. Non opponit Octavius templis Baſilicas aut Eccleſias ſuas, ſed mentem & intima pectoris viſcera, monſtrare autem illas & urgere magno cum emolumento potuiſſet, ſi qvi-

qvidem tales tùm temporis Christiani habuissent, maximè postqvam Cæcilius nullos à Christianis fieri conventùs & solennia publica objecisset: *Cur etenim*, inqvit ille, *occultare & abscondere, qvicqvid illud colunt, magnoperè nituntur: cùm honesta semper publico gaudeant, scelera secreta sint? cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra? nunqvam palàm loqvi, nunquam liberè congregari sustinent, nisi illud, qvod colunt & interprimunt, aut puniendum est, aut pudendum?* &c. Qvæ verba faciunt, ut probare neqveam, qvæ ad istum locum commentatur Johannes à Wower, dum ait: *Christiani non habebant templa dedicata, & consecrata ritu ethnico, suas tamen basilicas, seu, ut ipsi appellant, κυριακὰ habuisse, satis constat, eaq; freqventâsse, nisi qvatenus persecutione impedirentur.* Enimverò in ædibus qvibusdam convenisse, & cultui divino vacâsse, non negaverim, sed in illis liberè congregari & palàm loqvi non audebant; tantum abest, ut ædes istæ pro Basilicis haberi potuerint.

VIII. Similia leguntur apud Arnobium *adverf. gent. lib. 6. in pr. Consvestis*, inqvit, *crimen nobis maximum impietatis affingere, qvòd neq; ædes sacras venerationis ad officia construamus, non deorum alicujus simulacrum constituamq aut formam, non altaria fabricemus, ------ qvæ qvidem nos cessamus non ideò vel exædificare vel facere, tanqvam impias geramus & scelerosas mentes, aut aliqvem sumpserimus temerariâ in deos desperatione contemptum; sed qvod eos arbitramur & credimus (si modò dii certi sunt & nominis hujus eminentiâ præditi) honorum hæc genera aut risui habere, si rideant, aut indignè perpeti, si motibus exasperentur irarum. -- -- Numqvid enim delubris aut templorum eum constructionibus honoramus? ------ Etenim plena dementia est, necessitatibus tuis potiora metiri, & qvæ tibi sunt usui, datoribus diis dare, & honorem istum non contumeliam ducere. Templa igitur qværimq in deorum qvos usus, aut in rei cujus necessitatem aut dicitis esse constructa, aut esse rursus ædificanda censetis? -- -- Templa enim hæc qvid sunt? si humanam infirmitatem roges, nescio qvid immane, atq; amplum, si deorum potentiam metiaris, successus qvidem parvi, atq; (ut veriùs eloqvar) genus angustissimum cavernarum paupertini cordis excogitatione suspensum. ------ Satis igitur, ut opinor, ostendimq, templa diis immortalibus aut inaniter esse constructa, aut contra decus, & potentiam creditam contumeliosis opinationibus fabricata* &c. Summa totius disputationis, qvæ prolixior est, in has resolvitur theses, templa nuper esse excogitata, qvæ æternis competere non possunt: tales cultûs displicere, nec convenire divinitati: summam esse injuriam, deos habitaculis ad-

adſtrictos eſſe, deniqve Deum ubiqve præſentem eſſe, neqve in templis qværendum. Fateor, plerasqve has poſitiones ab Arnobio ad hominem diſputari, & adverſarios gentiles ad abſurdum ducere, negari tamen interim neqvit, nullam talis ſtructuræ ab eo mentionem fieri, qvæ Baſilicæ nomine inſigniri poſſet. Et qvis verò credat, Chriſtianos eo ipſo tempore, qvo in perpetuas latebras ſe recipiebant, & qvo ſemper latebant, uti loqvitur Tertull. *apolog. c.7.* ædibus publicis Ethnicorum oculos ferire voluiſſe? qvis credat, cogitâſſe illos tùm temporis de ædificiis publicis, qvorum alius nullus prætergvam ſacer uſus eſſet? imò verò alias, præterqvam eas, qvæ privatorum uſibus inſerviebant, neqve aliâ formâ exſtructas ædes ſacris ſuis adhibuiſſe, non eſt veriſimile. Solennes tamen in illis conventûs habitos, & loca ipſa, qvantum fieri potuit, ſemper eadem freqventata, aliqvando etiam aliis uſibus exempta prorſus fuiſſe, nolim negare, non qvidem per dedicationes & conſecrationes ſolenniter factas, ſed ipſo facto, & per abſtinentiam.

IX. Conſimili modo Origenes Adamantius *adverſus Celſum* iisdem planè argumentis Chriſtianis inſultantem diſputans, *lib. 7.* his verbis Celſi objectionem profert: *Poſt hæc Celſus & aras, & ſimulacra & delubra nos ait defugere, qvòminùs fundentur: qvandoqvidem inviſibilis noſtræ hujus & inexplicabilis communionis fidem & charitatis factionem eſſe exiſtimat.* Atqve illis mox ita reſpondet: *Cùm nihil intereà videat, nobis qvidem pro aris & delubris, juſtorum eſſe mentem, à qvâ haud dubiè emittuntur ſvaviſſimi incenſi odores, vota inqvam & preces ex conſcientiâ puriore. Chriſtianos,* ait porrò, *non admittere ſimulacra, quæ fabrorum operâ præparantur ut DEO dedicanda, ſed quæ à verbo Dei dedolata formataq; fuerint in nobis; ſcilicet virtutes, ſeu imitamenta primogeniti totius Creaturæ.* Et de templis in ſpecie: *Quod ſi templa templis conferenda ſunt,* (veſtra ſcil. cum noſtris, qvæ vobis nulla apparent) *diſcant Celſi ſeqvaces, nos minimè fugere dedicationes templorum, qvæ conveniant cum ſimulacris & aris jam dictis; cavere tamen, ne omnis vitæ largitori templa ſtruamus inanimata & mortua.* Opponit eodm modo, qvo Minutius Felix, templa materialia & inanimata, ſpiritualibus & animatis, atqve illa Chriſtianis non eſſe fatetur, hæc verò ipſorum propria eſſe maſculè defendit. Si Origenes, Arnobius, Minutius Felix, aliiqve, qvibus iſtud Gentilium argumentum diſcutere animus fuit, (qvod optimè notat Jo. Seldenus *de Synedr. lib. 3. c. 15. n. 5.*) aliter, atqve oſtenſum eſt, de templis qvalibuscunqve, qvæ tunc in uſu eſſe potuerunt, cogitârunt, atqve Chriſtianis talia fuiſſe

C 3 cogni-

cognitum habuerunt, potuissent utiqve facili negocio Gentilium illam calumniam crebrò circa templa ingestam diluere, respondendo: Templa qvidem etiam nos habemus, sed vero Numini & ritu nostro dedicata, nec adeò est, qvod nobis objiciatis, templa nos aversari & omninò nulla habere. Verùm nihil ejusmodi ab eorum qvoqvam regeritur, sed gentilium templis simpliciter piorum mentes opponuntur, atqve ex illis templa Christianorum construi, respondetur. Disertè Origenes: πρὸς τοὺς ἐγκαλοῦντας ἡμῖν ἐπεὶ μὴ νομίζομεν δεῖν σέβειν τὸ θεῖον παρ' ἀναισθήτοις ναοῖς ἀντιπαραλαμβάνομεν τοὺς καθ' ἡμᾶς ναούς. *Iis, qvi nobis objiciunt, qvod deitatem in sensu carentibus templis colere non oportere putemus, templa vicissim, qvæ penes nos sunt, ostentamus*, nimirum justorum mentes, DEOqve dicata corpora.

X. Et hæc veteris Ecclesiæ Doctorum verba tàm clara atqve perspicua sunt, ut dubitem, num in alium sensum intorqveri possint ex eo, qvod regerunt nonnulli, & qvod Johannes à Wowern *in suprà adductis verbis* subinnuit, abstinuisse tùm temporis Christianos non à templis tantùm & fanis Ethnicorũ, sed ab ipso etiam templi nomine, & sic optimè negatum fuisse à Patribus secundi & tertii seculi, Christianos templa habere. Enimverò abominationi fuisse Christianis templa Gentilium, extra controversiam est, & vel ex unico Tertulliani *de spectac. cap. 13.* liqvet, ubi inter alia ait: *Nec minùs templa, qvàm monumenta despuimus.* Et proptereà hoc qvoqve apud Minutium Felicem *in Octav.* criminationis argumentum adversus Christianos intorqvetur à Cæcilio: *Templa ut busta despiciunt.* Negari insuper neqvit, τῆς ἐκκλησίας οἶκον & locum, in qvo Christiani veteres cultûs divini gratiâ conveniebant, ante seculum qvartum vix unqvam templi nomine insignitum fuisse, uti observat Dav. Blondell. *de Episcop. & presb. sect. 3. pag. 254. seq.* adeò ut apud Græcos τὸ ἱερὸν & Ἐκκλησία sibi invicem qvandoqve opponerentur, uti id constat ex Chronico Alexandrino sub Olympiad. CC LXXXIX. ὁ Θεοδόσιος τὸ ἱερὸν Ἡλιοπόλεως ἐποίησεν ἐκκλησίαν χριστιανῶν, *Templum Heliopolitanum fecit Ecclesiam Christianorum, pariq; modo & templum Damasci.* Imò verò seculo adhuc IV. templorum appellatione, gentilium templa veniebant, & templorum cultus pro cultu gentilitio usurpabatur, uti ex *l. 112. C. Theodos. de decur. l. 3. 4. 8. 16. 19. Cod. Theod. de pagan. Sacr. & templ.* it. *ex l. 2. & 3. de apostat.* optimè observat Jacobus Gothofredus *ad l. 1. Cod. Th. de fid. cathol.*

XI. At verò restrictionem hanc ad nudam vocabuli significationem vix patiuntur verba Doctorum superiùs

riùs adducta, & profectò in meras æqvivocationes desinerent responsiones in hoc sensu acceptæ. Crimen objectum non de templis, sed de ædibus sacris ad venerationis officia constructis accipit Arnobius, & tales non habuisse, sed earum constructionem fugisse, templorum materialium constructionibus Deum nec honorâsse hactenus, nec colendum putâsse Christianos, prolixè respondet. De ædibus sacris, qvas non habere Christianos objecerant gentiles, respondere debuit Arnobius, non de templis tantùm, in sensu gentilium acceptis, cùm id in aperto esset, talia templa Christianis nulla esse. Et idcircò in genere concepta fuit gentilium calumnia atqve comminatio, tàm impios esse Christianos, ut neqve instar templi aut ædis consecratæ locum ullum haberent, ubi liberè congregarentur, & palam loqvi auderent, licèt aliàs sodalitiorum conventuumqve loca pro ratione & conditione temporis illis non deessent. Coire enim Christianos non ignorabant gentiles, sed hoc improbabant, qvòd id clàm facerent, neqve in ædibus publicis specialiter in eam rem consecratis aut dedicatis, qvòdq; adeò convenirent, uti Cæcilius loqvitur, nocturnis congregationibus, & impiâ coitione. Atqve id etiam Plinius Trajano Imperatori significat, dum ait: *Affirmabant* (Christiani) *summam culpæ suæ, qvòd essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenq; Christo qvasi DEO dicere secum invicem.* Uti ergò Gentiles sua habebant templa, Marti, Junoni, Veneri, Apollini, Herculi, Summano consecrata: ita putabant etiam Christianos tales ædes sacras DEO suo qvalicunque ritu dedicatas habere debere, & nî haberent, summam interpretabantur impietatem.

XII. Sed enim necesse non est, ut prolixiores nunc simus in indagando tempore, qvò primùm inter Christianos ædificari cœperint ædificia publica, qvæ seculis inseqventibus Basilicæ & templa dicta fuerunt. Tutissimum est statuere cum Andrea Riveto *in Cathol. Orthod. tr. 2. q. 17.* Veteres ab initio in privatis ædibus iisqve aliis sæpenumerò aliisq; & plerumqve noctu convenisse, cùm interdiù hoc ipsis non liceret, & publicis congregationibus tùm & ædibus prorsus interdicerentur; DEO verò ipsis majorem libertatem concedente, qvod identidem per conniventiam Imperatorum contingebat, certa eos non unis vicibus in eam rem destinâsse loca, iisqve usos fuisse tamdiu, qvoad nulla adversus eosdem flagraret persecutio; Intentatâ hâc, in cryptas & speluncas se contulisse, & in latebras tales, qvæ explorari vix poterant, se recepisse. Nec ausim tamen affirmare, loca illa destinata, speciali ritu, ut nunc mos est, consecrata fuisse, qvanqvam id non negem, potuisse cum

pre-

precibus & voto, ut in istiusmodi ædibus continuare devotionem & pietatem liceret, initium fieri, & factum aliqvando fuisse. Sed nec ubiqve idem divini cultûs succesſus haberi potuit, dilatatâ præsertim & in omnes terræ angulos propagatâ Christanorum sectâ, ferociùs scilicet alibi & severiùs, alibi remisſiùs agentibus & mandata Principum exeqventibus magistratibus, Principibus deniqve ipsis aut conniventibus, aut crudeliter Ecclesiam persequentibus, ut proinde dubium non sit, faciliùs in Britanniâ, quàm Romæ, & Romæ faciliùs à Trajano aut M. Aurelio, qvàm à Diocletiano aut Maximinō impetrari potuisse veræ religionis exercitium. Conf. Sam. Petit. *diatrib. de edict. Impp. in grat. Christian. propos.* Accomodatè Sozomenus *lib. 1. c. 6.* cùm Ecclesiæ in aliis Orbis partibus persecutionum fluctibus jactarentur, solus Constantius, Constantini pater, permisit Christianis potestatem liberè suam religionem excolendi.

XIII. Qvare, qvod Eusebius ait, *lib. 8. hist. Eccl. c. 1.* ingentem Ecclesiarum numerum in singulis urbibus fuisse, atque hinc factum, ut priscis ædificiis, τοῖς παλαιοῖς οἰκοδομήμασιν jam non contenti, in singulis urbibus spaciosas ab ipsis fundamentis extruerent Ecclesias: id ad exorientis Ecclesiæ primordia referendum non est, sed ad tempora Diocletiani imperio propinqva, qvibus scil. auctô Christianorum numerô & conniventibus qvibusdam Imperatoribus liberiùs agere cœpit eorum professio, ut tamen adhuc metus esset, ne recrudescentibus persecutionibus, quæ subinde iterabantur, loca illa deserere, & fisco relinquere oporteret, ut adeò dubitem, utrùm ante seculi tertii initium templi alicujus ædificati exemplum produci qveat, cùm per ipsum seculum tertium, qvo in altum magis magisque nitebatur Christianorum religio, identidem abscondi eam & occultari oportuerit. Conf. Dav. Blondell. *apol. de Episc. & presbyt. sect. 3. p. m. 232.*

XIV. Duravit illa Christianorum in latebras atqve loca abdita receptio usqve ad tempora Constantini Magni, qvibus Religio Christiana anteà fugata ubiqve & ejecta in ipsam nunc Imperatoris aulam recepta, & per totum Orbem propagata fuit. Ocium ille & qvietem Ecclesiæ fecit, & libertatem Christianis restituit, tanto cum successu, ut non tuta tantùm ea professio, sed & honorata esset, mundo velut intrusô in Ecclesiam. Atqve ille templa ubiqve terrarum Christianis ædificari non permisit tantùm, sed publicis etiam sumptibus extrui edicto præcepit, uti refert Eusebius *de vit. Constantin. lib. 2. c. 44.* sive qvisquis autor est istorum librorum, de qvo adhuc lis est inter Doctores, uti videre licet apud Jacob.

cob. Gothofred. *differt. in Philoſtorg. lib. 7. c. 3.* & Joh. Georg. Dorſch. *ad Concil. Nicen. ſect. 1. §. 2.* Adſtipulatur inter paganos Eunapius *lib. de vit. philoſoph.* dum ſic ait: *Conſtantinus Imp. dominabatur, qvi fana toto orbe celebratisſima evertebat, & Chriſtianorum ædificia extruebat.* Et tùm ſine dubio auguſtisſima templa ubiqve locorum certatim extructa fuerunt, adeò ut à Franciſco Balduino *lib. 1. de Leg. Conſtant.* reprehendantur Epiſcopi, qvòd tam liberalem principem & in hoc genere profuſiorem non modò non admonuerint, qvem modum ſervare oporteret, ſed etiam immodicam eâ in re profuſionem laudaverint. Ego tamen illis propterea non ſuccenſeo, qvanqvam negari neqveat, poſt exoptatisſima iſta halcyonia, mox animos ſumpſiſſe Epiſcopos, & plurimas in Eccleſia dediſſe turbas.

XV. Illud obiter noto, diſtingvi à Canoniſtis Eccleſiam à Baſilicâ. Baſilicam ſcil. appellant majorem Eccleſiam, anteqvam conſecretur; poſt conſecrationem demùm volunt dici Eccleſiam. Gloſſ. *in c. 1. X. de relig. domib.* Sæpè tamen promiſcuè iſta vocabula uſurpari obſervat Abbas Panormitan. *ibid.* Vid. Dav. Blondell. *de Epiſc. & presbyt. ſect. 3. pag. 226. & 248.* Ab his rurſus alia dicunt eſſe Oratoria, qvippe qvæ intra privatos parietes extruantur, & eſſe ſacella causâ pietatis & orationis ædificata. Sanè vocabulum Oratorii optimè congruere videtur primis Eccleſiæ ſeculis, qvibus, uti oſtendi, nulla adhuc ejusmodi habuerunt templa perpetuo cultui divino deſtinata. Atqve ſic etiam apud Græcos dicebatur *εὐκτήριον*, & *εὐκτήριος οἶκος*, domus orationis, Origen. *homil. 2. in Exod.* Euſeb. *de vit. Conſtant. lib. 3. c. 1. & paſſim*, it. *προσευκτήριον* ſive oratorium, Euſeb. *lib. 10. c. 4.* Sed invaluit tamen, ut non niſi privato cultui deſtinata ædificia hoc nomine inſignirentur.

XVI. Sollicitus inſuper eſt Samuel Petitus *lib. 3. obſ. 8.* ut, qvæ inter Memorias, Baſilicas & Oratoria differentia fuerit, ex antiqvis monumentis explicet. Memorias martyrum excitatas dicit in locis, ubi origo alicujus habitationis, vel poſſesſionis vel pasſionis fideliſſimâ origine tradita fuit, non tantùm, ubi corpora aut aliqvæ reliqviæ eſſent, uti id colligit ex Codice Canonum Eccleſ. African. *can. 83.* Ab his Martyrum memoriis diſtingvenda ait eſſe dominica ſive Eccleſias, qvanqvàm etiam in his duobus aliqva diverſitas à nonnullis ſtatuatur. Dominica autem eo maxime à martyriis differre putat, qvod ad conſecrationem ſive dedicationem Dominicorum nihil opus fuerit illatione reliqviarum alicujus ſancti ſive Martyris. Memorias ergò conſecrari non potuisſe conſeqvitur ſine reliqviis. Atqve ſic ſtatuere videtur Petitus, memo-

rias illas, de qvibus *dict. Can. 83.* agitur, non fuisse omnes consecratas. Disertè enim dicit in fine cap. in dedicandis martyrum memoriis opus fuisse, τῇ τῶν ἁγίων λειψάνων καταθέσει, reliqviarum sacrarum illatione. Oratoria deniqve dicit διὰ τῶν λειτουργιῶν dedicata fuisse.

XVII. Fuisse tamen etiam in his aliqvod discrimen, atqve id ex usu sive exercitio pietatis, qvod ibi peragitur, petendum esse, ostendit Novell. Justin. 58. Aliqva enim solius orationis causâ habebantur, aliqva autem etiam eum in finem, ut ibi Eucharistia & sacra cœna administraretur. Prima indistinctè admittit Justinianus; secunda non admittit, nisi accesserit autoritas Episcopi, & adhibeantur Clerici. Verba digna sunt, qvæ hîc legantur: *Omnibus*, inqvit, *interdicimus magnæ hujus civitatis habitatoribus, magis autem etiam totius nostræ ditionis, in domibus suis habere qvasdam qvasi orationum domos, & in his sacra celebrare mysteria: & hinc fieri qvædam catholicæ & apostolicæ traditioni extranea. Sed si qvidem domos ita simpliciter aliqvi habere putant oportere in sacris suis, orationis videlicet solius gratia, & nullo celebrando penitus horum, qvæ sacri sunt mysterii, hoc eis permittimus. Invidia enim nulla est, si volunt circa hæc habere habitacula qvædam, & in eis tanqvam in sacris orare, aliis autē omnibus abstinere: nisi tamen in eis voluerint aliqvos invitare Clericos, hic qvidem sanctissimæ majoris Ecclesiæ, & sub eâ sanctissimarum domuum, voluntate ac probatione sanctissimi Archi-Episcopi ad hoc deputatos: in provinciâ vero DEO amabilium Episcoporum. --- --- Sciant enim & ipsi domuum domini, qvia si non hæc custodierint, ipsi qvidem sub imperiali fient motu: domus autem, in qvibus aliqvid tale agitur, & publicæ fient, & sub sacratissimum nostrum ærarium deducentur &c.*

XVIII. Idem prorsus ab eodem Imperatore, sed sub aliâ pœnâ prohibitum legitur *Novell. 131. c. 8. Si qvis in suâ domo aut in suburbano Ecclesiasticum ministerium ministrare præsumpserit, aut aliis celebrare concesserit sine Clericis sanctissimo locorum Episcopo subjacentibus: jubemus hanc domum aut suburbanum, aut prædium, ubi tale aliqvid delinqvitur, loci illius sanctissimæ Ecclesiæ vindicari per DEO amabilem Episcopum & Oeconomum ejus, & civilem judicem locorum. Si verò nesciente locorum domino ejus Curatores, aut conductores, aut emphyteutæ contrarium aliqvod exerceri permiserint: dominum qvidem loci nullum præjudicium aut dispendium sustinere; eos autem, qvi hoc fecerint, aut fieri permiserint, ex provinciâ, ubi hoc commissum est, expelli, rebus eorum loci illius sanctissimæ Ecclesiæ vindicandis.* In priore Novellâ Justinianus domum vindicat

cat fisco, in posteriore verò Ecclesiæ illius loci, ut adeò qvoad sanctionem videatur Imperator per posteriorem constitutionem derogare priori, & majorem Ecclesiæ quàm fisci sui habuisse rationem, uti commentatur Conradus Rittershusius *in Novell. part. 1. c. 4.*

XIX. Rationem prohibitionis ex dissidiis Christianorum, quæ tùm flagraverint, petit Cujacius *ad Novell. 58.* Sed Justinianus nihil hujus meminit, verùm idem prorsùs priscis legibus sancitum profitetur, nec addit, ipsas illas etiam occasione similis dissidii promulgatas fuisse. Aliam rationem reddit Leo Imperator *novell. 4.* his verbis: *Atq; hoc qvidem, ut statuerent, religionis conservandæ causâ in mentem illis venisse videtur, qvò videlicet, (ut conjicere est) dum nonnulli sacerdotii prætextu lethale defectionis malum tegunt, usu non veniat, uti qvi profanati sacrificii participes fuerint, longè magis contaminentur, quàm expientur* &c. Et *novell. 15.* explicatiùs mentem suam exponit hunc in modum: *Nam hac tàm strictè sacrum synodi decretum constituisse qvidem mihi videtur, propter eos, qvi, qvanqvam sacerdotii nomen gerunt, profani tamen sunt, & qvos ad lavacrum adducunt, pollutos reddunt; qvi, ut apparet, domos ejusdem opinionis hominum subeuntes, non rem divinam faciunt, sed cum iis, qvi conveniunt, inauspicati aliqvid moliuntur &c.* Constitutum id esse dicit Leo in Synodo Sextâ, qvæ aliàs Qvinisexta dicitur, & Constantinopoli in Trullo palatii Cæsarei loco habita fuit, ideò autem Qvinisexta appellatur, qvia, uti Theodorus Balsamo *ad præfat. ejus synodi* ait, supplevit id, qvod qvintæ & sextæ synodis defuit. Ejus Synodi *canon. 31.* ita habet: *Clericos, qvi in oratoriis, qvæ sunt intra domos, ministrant vel baptizant, hoc illius loci Episcopi sententiâ facere decernimus. Qvi hoc sic non servaverit, deponatur.* Et *canon 59. In Oratorio privato, qvod domi est, nullatenus baptismus peragatur, sed qvi digni habebuntur hujus purissimi luminis, ad Catholicas Ecclesias accedant, & hoc illic munere perfruantur &c.* Primus Canon adducitur à Gratiano *c. clericos. 32. de consecrat. dist. 1.* ubi alium antiqviorem præmittit ex concilio Aurelianensi his verbis: *Unicuiq; fidelium in domo suâ oratorium licet habere, & ibi orare, missas autem ibi celebrare non licet.*

XX. Nec tamen oratoriorum mentione semper intelliguntur illa, qvæ qvis domi suæ construxit. Imò etiam templi partem Oratorium dictum fuisse, patet ex *l. 4. Cod. Theod. de his, qvi ad Eccles. conf.* ubi sic edicit Theodosius Imp. *Pateant summa DEI templa timentibus. Nec sola altaria & oratorium templi circumjectum, qvi Ecclesias qvadripartito intrinsecus parietum septu concludit, ad*

tuitionem confugientium sancimus esse proposita &c. Ipsius scil. templi, uti enucleat ibi Jacobus Gothofredus, duæ partes hic memorantur, θυσιαςήριον sive sacrarium, ubi altare erat, & εὐκτήριον sive Oratorium. In hoc stabat populus: in illo Clerus. Et non malè etiam extra hanc templorum faciem, duo alia Oratoriorum genera facit Nicolaus le Maistre *de bon. Eccles. lib. 2. c. 5.* privata scil. & publica. Sed aliter tamen ea nobis sunt explicanda. Privata namqve sunt, qvæ solius orationis gratiâ habentur, & in qvibus nulla celebratio fit eorum, qvæ sacri sunt mysterii, uti loqvitur Justinianus *d. Novell. 58.* Qvanqvam enim in his etiam Sacramenta aliqvando administrari fortè soleant, id tamen non fit ex destinatione & intentione ædificantium primâ, sed in casu emergente & ex consensu Episcopi specialiter, atqve toties, qvoties opus est reqvisito. Et qvia talia oratoria non ad publicas synaxes & Sacramentorum administrationem principaliter extructa erant, non opus erat, ut Sacerdos aliqvis cardinalis sive proprius & isti qvasi affixus constitueretur; sed satis erat, si interdum ex matrice Ecclesiâ, adventitii accederent Sacerdotes, incerti & vagi, prout qvis certis occasionibus ab Episcopo missus & pro illâ vice datus fuisset. Publica autem plerumque in agro aut villis habebantur, illis scil. qvæ à parochialibus Ecclesiis longiùs erant remotæ. Et ni fallor, oratoria talia à parochialibus Ecclesiis distingvebantur, neqve earum nomine veniebant, etsi in utrisqve idem peragerctur officium Ecclesiasticum, ut tamen parochiali interim Ecclesiæ suus servaretur honos, à qvâ ista Oratoria veluti dependebant. Sic enim intelligo, qvod constitutum fuit in Concilio Agathensi *can. 21.* qvi apud Barth. Caranzam est *decimus qvartus*, relatus Gratiano *c. 33. de consecrat. dist. 1. Si qvis etiam extra parochias, in qvibus legitimus est, ordinariusq́; conventus, oratorium habere voluerit reliqvis festivitatibus, ut ibi missam audiat, propter fatigationem familiæ, justâ ordinatione permittimus. Pascha verò, Natali Domini, Epiphania, adscensione Domini, Pentecoste, & natali sancti Johannis Baptistæ, & si qvi maximi dies in festivitatibus habentur, non nisi in civitatibus aut in parochiis audiant &c.*

XXI. Talia ergò oratoria eum in finem ab initio destinata erant, ut in iis præter orationes & preces etiam alia sacra peragerentur, & eucharistia administraretur, solis exceptis diebus festis majoribus, qvibus Parochialis Ecclesia, cui oratoria illa veluti inserta erant, freqventari debuit. Conf. Augustin. Barbosa *de jur. Eccl. l. 2. c. 8. n. 6.* Atqve idcircò istiusmodi oratoria publica non admittebantur priùs, qvam de salario Clericis dando, aliisqve rebus necessariis cautum esset:

esset: Huc enim pertinet, quod statutum legitur in Concilio Aurelianensi IV. *can. 21. Si qvis in agro suo aut habet, aut postulat habere diœcesin*, (sive oratorium, uti patet ex inscriptione hujus canonis, aliàs enim hoc vocabulum latiorem habet significatum, uti notant Jacobus Sirmondus ad Apollinar. Sidon. *p. m. 102.* Christoph. Justell. *ad Cod. Can. Eccles. African. can. 56. p. 65.*) *primùm & terras ei disponat sufficienter, & Clericos, qvi ibidem sua officia impleant, ut sacratis locis reverentia condigna tribuatur.* Et in concilio Cabilonensi *can. 14. Statuimus, ut Episcopis cura & potestas sit, tàm de ordinatione Clericorum, qvam de facultatibus collatis oratoriis, qvæ per villas fiunt, qvaliter ad ipsa oratoria & officium divinum possit impleri, & sacra libamina consecrari.*

XXII. Qvod autem Antonius Bengenus & Franciscus Pinssonius *de benef. Eccles. tit. de fundat. Eccles.* §. *1. n. 11. & seqq.* statuunt, oratoria talia, etsi certis reditibus dotata, & Clerici in illis instituti fuerint, adhuc privata esse, nisi Episcopi autoritas & consensus intervenerit, & per consequens beneficiis ea adscribenda non esse, atqve in illis licere Laicis propriâ autoritate clericos instituere & posse ea qvandocunqve revocari â fundatoribus, subdubito, utrum ista doctrina & superiorum Seculorum placitis & moribus hodiernæ Ecclesiæ Pontificiæ satis conveniat. Enimverò noluit Justinianus in Oratoriis sacramenta administrari ex propriâ Laicorum autoritate, sed autoritatem Episcopi accedere voluit. Et laudat Cardinalis Baronius *in paranesi ad Remp. Venetam* Imperatores Carolum & Ludovicum, qvod agnoverint, se absq; Episcopi licentia domi suæ oratorii constituendi potestatem non habere, referente Nicolao Rodriguez Fermosin. *ad c. 10. X. de Constitut. n. 2.* Sed & illum verum est, Oratorium tali modo adornatum, ut in illo sacra administrentur, rectè causis piis adnumerari. At qvod semel causæ piæ deputatum est ab homine Laico, id revocari ab eo haud qvaqvam potest, qvia scil. ex principiis Canonistarum causa pia non subjacet dispositioni Laicorum, neqve illi ab his adimi qvicqvam potest. Vid. Andr. Tiraqvell. *de privil. piæ causæ, privil. 159.*

XXIII. Vidimus hactenus Oratoria, qvæ merè privata & solius orationis gratiâ â patrefamilias & ejus familiâ freqventata, nec tamen ab Episcopo consecrata fuerunt. Vidimus etiam ea, qvæ publica qvidem cùm essent, & sacram Eucharistiam administrandi potestate pollerent, majoribus tamen festis diebus, sacris abstinere oportuit. Inter hæc videtur adhuc species tertia fuisse, eorum scil. qvæ consecrata

ta qvidem ab Episcopo fuerunt, in cæteris autem cum primâ specie prorsus convenerunt. Sic enim ad Fortunatum Episcopum Neapolitanum scribit Gregorius Magnus *l. 5. Epist. 3. Fraternitati vestræ esse non putamus incognitum, qvia Romanus clarissimæ memoriæ Virper ultimæ suæ voluntatis arbitrium in domo juris sui Ecclesiam, qvæ in civitate vestrâ sita est, ædificari deputavit. Et qvia DEO miserante defuncti noscitur voluntas impleta, sanctitas vestra illic ingravanter accedat, & si nullum ibidem corpus constat humatum, locum ipsum in honorem sanctorum Hermetis, Sebastiani, atq; Cyriaci, nec non & Pancratii solenniter studeat absq; missis publicis cum veneratione debita consecrare, ita ut in eodem loco baptisterium nunqvam construatur, nec presbyterum constituas cardinalem. Sed qvoties missas ibi degentes monachi fieri voluerint, â dilectione vestrâ presbyterum noverint postulandum, qvatenus nihil tale â qvolibet alio sacerdote ullatenus præsumatur.*

XXIV. De Oratorio constructo hîc sermonem esse, patet ex simili Epistolâ, qvam totidem penè verbis ad Episcopum Ariminensem idem scripsit Gregorius *lib. 2. Epist. 9.* etsi Ecclesiam appellet in verbis adductis. Et totus contextus ostendit, non de Ecclesiâ, sed Oratorio accipiendam esse istam consecrationem. Ait, absqve missis publicis consecrationem fieri debere, qvod in Ecclesiâ parochiali secus observatur. Ait, baptisterium construi non debere, qvod qvidem etiam in parochialibus Ecclesiis omnibus non semper extructum fuit, cùm nihilominus talis esse qveat sine baptisterio, Aug. Barbosa *de jur. Eccles. lib. 2. c. 1. n. 26.* & vice versâ neqve parochialis Ecclesia semper intelligitur, ubi habetur fons baptismalis, notante Joh. Azor. *Instit. moral. part. 3. lib. 1. c. 35.* Sed hîc tamen parochialis Ecclesia intelligi ideo non potest, qvia ne qvidem presbyter in eâ ordinari debuit. Ait enim, *nec presbyterum constituas cardinalem*, h. e. uti ipse Gregorius alibi explicat, presbyterum proprium, *l. 2. Epist. 24.* in Ecclesiâ illâ incardinatum, *epist. 25.* & ministerio ejus affixum. Illo enim seculo & prioribus ab omni ævo, Romæ nominatim, Cardinales nihil aliud fuere, qvàm parœciarum Curiones, ita dicti, qvod parœciæ præcipuam curam gererent. Fuit ergò aliqvando Oratorium consecratum, idqve propterea sacris locis annumerari oportuit, etsi nullus ei specialis deputatus fuisset presbyter.

Qvòd si talis presbyter Cardinalis in oratorio constitutus fuerit, uti fieri jubet idem Gregorius *l. 10. ind. 5. ep. 12.* videtur id notissimos Oratorii terminos egressum & Ecclesiæ nomen assumere.

XXV. Cæ-

XXV. Cæterùm, qvod dixi, Oratorium publicum adhuc distingvi ab Ecclesiâ parochiali & ab eâ nihilominus dependere, id videtur necessitatis causâ primitùs introductum, propter distantiam villæ, in quâ ædificabatur oratorium, ab Ecclesiâ parochiali, ad qvam ista villa pertinebat, ut scil. qvæ in villâ esset familia, sua haberet sacra, neqve ei semper opus esset, ad Ecclesiam parochialem longis itineribus contendere. Parochiali igitur isti Ecclesiæ hoc reservabatur κῦρος, qvod festis diebus majoribus ad eam ire oportebat, omissis interim sacris Oratorii. Oratoria autem illa pro parochialibus Ecclesiis haberi ideò non poterant, qvia ea demum dicitur parochia, qvæ ad minùs ex decem familiis constat, Francisc. Callet. ad Fulv. Pacian. *de probat. lib. 2. c. 31. lit. a.* qvales vix inveniuntur in unicâ villâ, præsertim remotiore. Apud Græcos tamen invenio parœcias unius domûs vel villæ angustiis conclusas, qvæ propterea Monœciæ dicebantur. Sic enim Photius, ubi de tricennali possessione & præscriptione, qvâ regiones parochiis acqviruntur, agit, jus istud ad parochias pertinere ait, non illas tantùm, qvæ *μονοικία* dicuntur, sed alias etiam, qvas ἐγχωρίας appellat. Ergò *μονοικία* dicuntur villæ, unam tantùm domum habentes, & qvibus propterea Ecclesiam in sensu famosiore ædificare non permittebatur, sed Oratorium tantùm, ne familiæ sacra deessent.

XXVI. Non est silentiò hîc prætereundum, qvod notat Cujacius *ad c. 2. X. de condit. adpos.* monachos non habere, aut non habuisse olim Ecclesiam, sed Oratoria, & idcircò in Constitutionibus Justiniani, qvod sæpè legitur separari Ecclesias ab Oratoriis, ita accipi oportere, ut Ecclesiæ referantur ad Clericos, Oratoria ad monachos. Id verò num perpetuum sit, eqvidem subdubito. Sanè in ipsâ illâ, qvam pro suâ sententiâ adducit Cujacius, Novella *123. c. 18.* de εὐκτηρίῳ seu Oratorio agit Justinianus, & statuit, qvâ ratione Clerici ad istud ordinari debeant, & mox in eodem capite addit, debere Clericos ταῖς ἰδίαις ἐκκλησίαις παραμένειν, in suis Ecclesiis permanere, ubi Ecclesiam appellare videtur, qvod antea Oratorium dixit.

XXVII. Illud deniqve observo, oratoria seculo nono argumentum præbuisse, in qvæ graviter insurgerent Ecclesiæ patres. Statuerat jam seculo IV. Concilium Laodicenum, *can. 58.* non licere in domibus oblationes celebrari ab Episcopis vel presbyteris. Sed id postea mutatum fuerat. Et scribit Paulus Warnefridus, Luitbrandum Longobardorum Regem primum sibi in palatio suo sacerdotes constituisse, *lib. 6. c. 58.* ubi sic ait: *Luitbrandus intra*

tra suum quoque palatium oraculum Domini Salvatoris ædificavit, & quod nulli alii Reges habuerant, sacerdotes & clericos instituit, qui ei quotidiè divina officia decantarent. Exemplum hoc cùm sequerentur alii, & hinc fieret, ut proceres & palatini rariùs basilicas inviserent, indignè id ferentes Episcopi in Conciliis canonem Laodicenum urgebant, & Imperatores atque principes, ut capellas Palatinas abrogarent, obnixè petebant. Legi possunt, quæ in hanc rem multâ cum παῤῥησίᾳ disserunt Patres in Concilio Parisiensi imperante Ludovico Pio anno DCCCXXIX. congregati *lib. 1. cap. 48.*

CAPUT III.

Ignotam fuisse primis Christianis dotationem Ecclesiarum.

SUMMARIA.

Primitivam Ecclesiam nullam omninò habuisse dotem? n. 1, 6, 7, 8.
Per collectas Ministros Ecclesiæ, egenosq; & pauperes sustentatos fuisse, & quomodò illæ collectæ factæ sint? n. 2. junctô n. 5, 6.
Collectas illas oblationes esse vocatas, eôd.
Verba Justini Martyris & Tertulliani de collationibus, n. 3.
In quos pecunia ita collecta versa fuerit, & quando hoc cœperit? n. 4.
Uberior ostensio faciei primitivæ Ecclesiæ ratione redituum & paupertatis, num. 6.
Non prædia, sed pretia ex venditis istis redacta distributa esse, eôd. & n. 8.
Num ex Urbani I. epistola probari possit, Ecclesias habuisse prædia? n. 7.
Censura jam citatæ epistolæ, eôd.
Urbanus I. quando vixerit? eôd.
Alexandri Severi elogium, eôd.
Iterata opinio & assertio, Ecclesiam olim nulla habuisse prædia certô ritu dedicata sive consecrata, aut usibus privatis prorsus exempta. n. 8.

Sufficienter ostendimus *cap. antecedente*, nulla Christianis primitivæ Ecclesiæ fuisse templa, neque loca adeò fixa, & cultui divino ita destinata, ut omni commercio humano perpetuo exempta crederentur.

tur. Nec profectò permisissent tùm temporis magistratûs pagani talem exemptionem, qvin fisco potiùs vindicassent, qvicqvid ita à Christianis destinatum & consecratum fuisset. Hactenus igitur vanus erit & inanis labor, si qvis inter initia ista inqvirere velit, qvatenus dotatæ tùm fuerint Ecclesiæ. Qvod enim non est, nullas habere poterit qvalitates, nulla accidentia, nulla adjuncta. Et hoc fatentur patres in concilio Coloniensi congregati, longè aliam esse Ecclesiæ faciem, postqvam dotata fuit, ab eâ, qvæ primitus fuit. Sic enim ajunt *part. 1. c. 2. Qvoniam verò primitivæ Ecclesiæ facies, qvod ad institutionem ministrorum attinet, paulatim immutata fuit, nimirum dotatis templis, sacerdotiisq; ac certis stipendiis ministrantibus constitutis, visum subinde sanctis patribus, &c.* Primitiva ergò Ecclesia nullam omninò habuit dotem, nec qvisqvam tùm fuit, qvi prædia & fundos ita ei addiceret, ut radicatos & perpetuos in illis haberet reditûs.

II. Qvandoqvidem autem non ministri tantùm Ecclesiæ, & qvi in sacris toto vitæ suæ tempore occupati erant, sed plurimi etiam egeni & pauperes in eâ extabant, qvi sibimet ipsis victum & amictum comparare non poterant, toti Ecclesiæ h. e. universo cœtui, incumbebat, ut qvâ ratione illis universis & singulis subvenire commodè possent, inter se dispicerent. Placuit autem modus ille, qvi ferè naturalis est, ut per collectas & qvandam contributionem voluntariam necessitati illorum succurrerent. Itaqve primis illis temporibus fideles Laici diebus dominicis & festivis rarò sine donis & muneribus accedebant, & qvantum qvisqve volebat, tantum in commune conferebat, nec pecuniam tantùm, sed panem etiam, vinum, aliaqve, qvæ esui erant, imò & res mobiles alias, ut haberent scil. unde viduis, pupillis, cæterisqve, qvi indigerent, dispensarent. Collectas illas oblationes vocabant, & ex illis particulæ primitùs sumebantur, ut elementa essent Eucharistiæ administrandæ, qvanqvam id neget Gabriel Albaspinæus *lib. 1. Observ. 5.* refutatus à Dorscheo *exercitat. ad Concil. Nicen. sect. 2. n. 22.* Nos istud suo loco relinqvimus, & hoc tantùm agimus, ut ostendamus, in primitivâ Ecclesiâ nihil tale fuisse, qvod doti nunc reqvisitæ æqviparari posset.

III. De collationibus sic loqvitur Justinus Martyr. *apol. 2.* οἱ εὐποροῦντες δὲ καὶ βουλόμενοι κατὰ προαίρεσιν ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ ὃ βούλεται δίδωσι, καὶ τὰ συλλεγόμενα παρὰ τῷ προεστῶτι ἀποτίθεται: *Qvi autem per facultates possunt & volunt, pro arbitrio qvisq; suo, qvod lubet, conferunt, & qvæ collecta fuerunt, apud præpositum sive antistitem deponunt.* Non qvidem, ut ibi perpetuò maneant,

neant, sed ut distribuantur deinceps, prout cuiqve opus fuerit. Pari modo Tertullianus *apolog. c.39. Etiam*, inqvit, *si qvod arcæ genus est, non de onerariâ summâ qvasi redemptæ religionis congregatur. Modicam unusqvisqve stipem menstruâ die vel cum velit, & si modò velit, & si modò possit, apponit. Nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc qvasi deposita pietatis sunt &c:* Audiverant Gentiles, habere Christianos arcam communem, in eâqve non exiguas facultates, ab invitis qvandoqve extortas. Id diluit atqve refutat Tertullianus, exiguum esse asserens, qvod colligitur, & ex liberali animo id conferri, idqve in pietatis usum deponi, ac veluti Ecclesiæ sanctius ærarium esse.

IV. Audiamus Tertullianum porrò, in qvos usûs pecunia ita collecta versa fuerit: *Inde*, inqvit, *non epulis, nec potaculis, nec ingratiis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis, humandisq; & pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, jamq; domesticis senibus. item naufragis, & si qvi in metallis, & si qvi in insulis, vel in custodiis duntaxat ex causa Dei sectæ alumni confessionis suæ fiunt.* &c. Hic scil. finis erat depositionis & gazophylacii, ut subvenirent viduis, orbis, egenis, senibus, captivis aliisqve misericordiâ dignis. Id verò non Tertulliani demum ævo, sed ipsis Apostolis adhuc viventibus inter musteos adhuc Christianos receptum fuerat. Qvotqvot enim erant possessores agrorum aut domorum vendentes adferebant precia eorum, qvæ vendita fuerant. Et deponebant ad pedes Apostolorum; distribuebatur autem hoc singulis, prout cuiqve opus erat, uti legitur *Actor. IV, 34.*

V. Habuisse verò etiam ministros Ecclesiæ inservientes ex oblationibus istis sua alimenta, non probabile tantum est, sed etiam haud obscurè innuere videtur Apostolus *1. Cor. IX, 13. 14. Nescitis, qvoniam qvi in sacrario operantur, qvæ de sacrario sunt, edunt, qvi altari deserviunt, cum altari participant. Ita & Dominus ordinavit iis, qvi Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.* In qvæ verba ita commentatur Prosper Aqvitanus *de vit. contempl. l. 2. c. 14. Qvid est aliud de Evangelio vivere, nisi laboranteem inde, ubi laborat, necessaria vitæ percipere?* Inter canones, qvi vulgò Apostolici dicuntur, & Clementi Romano, sed perperam, adscribuntur, autor, qvisqvis est, esse autem perantiqvum, uno consensu fatentur omnes, suâ ætate idem adhuc observatum fuisse testatur *can. 41.* his verbis: *Præcipimus, ut in potestate suâ Episcopus Ecclesiæ res habeat. Si enim animæ hominum preciosæ illi sunt creditæ, multò magis oportet eum curam*

pecu-

pecuniarum gerere, ita ut potestate ejus indigentibus omnia dispensentur per presbyteros & Diaconos, & cum timore omniq; sollicitudine ministrentur. Ex iis autem, qvibus indiget, si tamen indiget, ad suas necessitates & ad peregrinorum fratrum usus, ipse percipiat, ut nihil possit eis omnino deesse. Lex enim Dei præcipit, ut qvi altari deserviunt, de altari pascantur: quia nec miles stipendiis propriis contra hostes arma sustulit. Idem ferè repetitû in Concilio Antiocheno *can. ult.* qvos utrosqve canones Decreto inseruit Gratianus *c. ex his. & seq. 12. q. 1.* Et hæc praxis circa oblationes fidelium observata fuit etiam, postqvam integra prædia in perpetuum Ecclesiæ patrimonium addicta & ab Ecclesiasticis personis retenta fuerunt.

VI. Tales erant primitivæ Ecclesiæ reditûs, tales obventiones, non fixæ illæ aut statæ, sed temporariæ, & nunc plurimæ, nunc pauciores, prout vel numeris Christianorum auctior vel tenuior erat, vel facultates eorum patiebantur. Nondum tùm aut simulacris aut templis res divina constabat. Frugi religio & pauperes ritus & nullæ Basilicæ certantes cœlo, sed temeraria de cespite altaria & vasa adhuc samia, & DEUS ipse ubiqve, ut verba Tertulliani *apol. c. 25.* nonnihil immutata huc traham. Qvin ipsi qvoqve Christiani ex paupertate qvasi professionem faciebant, neque pudebat eos hoc nomine perstringi à Gentilibus. *Ecce*, inqvit Cæcilius apud Minut. Felic. *in Octav pars. vestrûm & major & melior, ut dicitis, egetis, algetis, ope, re, fame laboratis, & DEUS patitur?* &c. Sed optimè respondet Octavius: *Qvod pleriq; pauperes dicimur, non est infamia nostra, sed gloria. -- -- innocentiam magis cupimus, magis patientiam flagitamus: malumus nos bonos esse, qvàm prodigos*, &c. In tantâ paupertate oppidò rari erant, qvi integra prædia in usûs Ecclesiæ dare poterant, & si dabant, non retinebantur ista, qvippe qvòd confiscationis periculo subessent, sed ab ipsis dominis vendebantur, & precium inde redactum eò, qvem exposui, modò distribuebatur. ut adeò difficile sit statuere, Ecclesiam primitivam sua habuisse prædia, ex qvibus certos annuos reditûs perceperit, qvæqve in dotem data dici qveant.

VII. Nec moveor, qvod ex Urbani I. Epistolâ ad omnes Episcopos refert Gratianus *c. attendendum. 17. q. 4.* his verbis: *Attendendum est omnibus, ne prædia usibus secretorum cœlestium dedicata, à qvibusdam irruentibus vexentur. qvod si qvis fecerit, post debitæ ultionis acrimoniam (qvæ erga sacrilegos jure premenda est) perpetuâ damnetur infamiâ & carceri tradatur, aut exilio perpetuæ deportationis serveтur.* Fateor, hæc verba maximam habere vim probandi, Urbani jam ætate, qvæ incidit in annum

Christi CCXXVII. certa addicta Ecclesiis fuisse bona immobilia, eaqve Laicorum potestatibus ita exempta fuisse, ut pro sacrilego haberetur, qvisqvis in ea involaret, & sibi inde aliqvid ttibueret, si qvidem de genuinâ ejus Epistolæ autoritate certi essemus. Sed enim certi jam sumus, eruditè id docente Davide Blondello *in Pseudo Isidor. pag. 270.* istam Epistolam non esse Urbani, sed ab Impostore confictam, & variis vulgatæ versionis, Prosperi, Gregorii, Eusebii Gallicani, concilii Parisiensis & Theodosiani Codicis sententiis consutam, ac tandem errante calculo alieni temporis notâ impudenter consignatam. Faciamus tamen, scripsisse ita Urbanum, nihil omninò ista sententia obstabit, qvò minùs in thesi nostrâ perseveremus. Vixit enim Urbanus, uti dixi, seculo tertio, & sic remotior jam fuit ab ætate Apostolorum, & post eos institutæ Ecclesiæ. Atqvi jam suprà dixi, sub Imperatoribus adhuc gentilibus magis minùsque securos fuisse Christianos, prout quisque illorum magis aut minùs in crudelitatem aut pietatem propensus fuit. Imperator ætate Urbani fuit Alexander Severus, Princeps adeò leni ac mansveto ingenio, ut ejus imperium ἀναίματον appellatum sit. Atque is non Christianos tantùm esse passus est, sed ipse etiam in Larario suo Christum coluit, uti scribit Lampridius, scriptor Ethnicus, *num. 22.* Qvid mirum ergò, habuisse Christianos tùm temporis loca certa cultui divino destinata, habuisse etiam prædia, ex qvibus alimenta caperent, qvi vel Ecclesiæ inservirent, vel paupertate premerentur. Et ne dubites, Christianos eò tempore laxiùs egisse & publicitùs cultui divino vacâsse, refert porrò Lampridius, cùm Christiani qvendam locum, qvi publicus fuerat, occupâssent, contrà popinarii dicerent, sibi eum deberi, rescripsisse Alexandrũ, melius esse, ut qvomodocunq; illic Deus colatur, qvàm ut popinariis dedatur.

VIII. Sed nec perpetua tamen Christianis illa fuerunt halcyonia, quandoqvidem post Alexandri obitum inter Successores plurimi extiterunt cruenti & crudelissimi Ecclesiæ persecutores, qvi qvæ divino cultui reservata erant loca, & qvæcunqve illi communiter possidebant, fisco addixerunt. Idq; patet inprimis ex constitutione Constantini & Licinii, qvæ extat apud Eusebium *lib. 10. hist. Eccles. c. 5.* ubi Imperatores restitui jubent Christianis, qvicquid eis ablatum est. Verba ex Henrici Valesii versione ita habent: *Hoc autem amplius in gratiam Christianorum decernimus, ut loca ipsorum, in qvibus antebac convenire consveverant, de qvibus in literis priùs ad devotionem tuam datis alia erat forma superiori tempore constituta, si qvi aut à fisco nostro, aut ab alio qvopiam ea emisse visi fuerint, ipsis Christianis absqve ulla pecunia et sine repetitione ulla super-*

per adjecti precii, incunctanter ac sine ulla ambage restituant, & si qui eadem loca dono acceperint, ut ea protinus Christianis reddant.---- Et qvoniam iidem Christiani non solùm ea loca, in qvibus convenire solebant, sed etiam alia possedisse noscuntur, qvæ non privatim ad singulos ipsorum, sed ad jus corporis pertinerent, hæc omnia post legem à nobis memoratam absq; ullâ dubitatione iisdem Christianis, h. e. cuilibet corpori & conventiculo ipsorum, restitui jubebis &c. Quæ verba illustrant sententiam, qvam suprà proposui, fuisse scil. Christianis eo tempore, qvo gentiles adhuc rerum potiti sunt, identidem certa loca sacris suis destinata; sed ea tamen propter confiscationis periculum ante seculum tertium ita ocultata arbitror, ubi præsertim persecutiones ingravescebant, ut difficile esset gentilibus de iis quid exploratum habere; qvin puto, habitata plerumqve fuisse ab hominibus privatis, ut ædium privatorum speciem retinerent, & hoc minus gentilibus proderentur. Dedicata autem sive consecrata certo ritu fuisse, nuspiam lego, nec exempta ea prorsus usibus privatis arbitror, imò admodum verisimile est, translata sæpiusculè sacra ex uno loco in alium fuisse, & priorem hinc locum in pristinam conditionem rediisse. Ipso verò seculo tertio liberius qvandoqve egisse Christianos, & specialia in eam rem extruisse ædificia, sed cum periculo eversionis, & ingravescente persecutione ad pristinas latebras sese recepisse. Quocirca, ut de donatione istiusmodi locorum solliciti simus, anteqvam publica Ecclesiæ pax parta fuisset, deficientibus præsertim historiarum monumentis, nulla ratio svadet.

CAPUT IV.

De

Sententiâ Canonistarum, necessariò Ecclesias dotari debere, statuentium.

SUMMARIA.

Canonistarum applicatio vocabuli dotis ad Ecclesias & dotandarum earum venditata necessitas allegatur & examinatur, n. 1.
Inter protasin & apodosin æqvalem debere esse respectum, eôd.

E 3 Eccle-

Verba

Qvan-

DOtem Ecclesiæ constituendam esse, una omnium Canonistarum vox est, communis omnium assertio. Nec tamen vocabulum ut usurpatum velint, commodè explicant. Nuptiis id proprium esse, & secundum analogiam etiam hîc applicari, apud omnes est in confesso, sed ista analogia in qvo consistat, non satis perspicuè traditur. Institutionem Ecclesiarum spiritualis matrimonii instar se habere, & corporali matrimonio propiùs accedere, scribunt Antonius Bengeus & Franciscus Binssonius *de benefic. tit. de fundat. Eccles. part. 2. n. 2.* Atqve hinc uti jure civili nullum habebatur sine dote conjugium legitimum, ita in jure Canonico nullam indotatam constitui debere Ecclesiam. At verò, uti primum illud falsum esse apparet ex *l. 20. Cod. de donat. ante nupt.* qvid de secundo sentiendum sit, si in nudis istis similitudinis terminis subsistendum sit, nemo non videt, cùm inter protasin & apodosin æqvalis debeat esse respectus.

II. Principale negocium hoc erit, ut inqviramus, qvis Ecclesiæ maritus aut sponsus dici debeat, cui scil. dotem istam constitui oporteat. Ecclesia eqvidem, non illa, qvæ ex lapidibus & cæmentis constat, sed qvæ ex fidelium unione & consortio coagmentatur, etiam in Scripturis dicitur Sponsa, sed Christi Salvatoris sui, *Esa. LXI. vers. 10. Johann. III. v. 29.*

Apo-

Apocal. XXII,17. Et huc referri poteſt totus *Pſalmus XLV.* in qvo epithalamium habetur ſpiritualium nuptiarum à Chriſto cum Eccleſiâ contractarum, qvod à pravis explicationibus eruditè vindicavit Dn. D. Calovius *adverſus Grotium.* Pertinet huc etiam Canticum Canticorum, qvod totum agit de amore Chriſti erga Eccleſiam, uti idem docet Dn. Calovius *ibid.* Rationem comparationis eleganter exponit B. Gerhard. *Loc. de Eccleſ.* §. 18. Fundamentum potiſſimùm eſt infinitus amor, qvem erga Eccleſiam ſuam ſub alio ſchemate exprimere noluit Deus miſericors, qvàm ſub ſchemate amoris, qvi eſt inter ſponſum & ſponſam, qvòd is ipſe ſc. omnium intenſiſſimus & ardentiſſimus habeatur.

III. Qvid verò hîc Pontifex Romanus? Is, cum non neſciat, Chriſtum unicum eſſe ſponſum Eccleſiæ ſuæ, vult tamen idem hoc nomen etiam Epiſcopis competere, non aliâ ex ratione, qvàm qvòd illi ſint Chriſti vicarii. Sic enim ait Euariſtus Pontifex *epiſt. 2. Scimus namq́;, ſicut & à Patribus accepimus, Chriſtum eſſe caput, cujus & membra ſumus; ipſe enim eſt ſponſus & Eccleſia ſponſa, cujus filii nos ſumus, & ideò unum patrem habemus, Deum in cœlis. Sacerdotes verò vice Chriſti legatione funguntur in Eccleſiâ. Et ſicut ei ſua conjuncta eſt ſponſa, id eſt Eccleſia: ſic Epiſcopis junguntur Eccleſiæ, unicuiq́; pro portione ſuâ.* Senſus, nî fallor, hic eſt: *Sicut Chriſtus ſponſam habet Eccleſiam univerſalem: ita Epiſcopus qvisq́; ſponſam habet Eccleſiam aliqvam particularem.* At verò uti Eccleſia qvævis particularis in univerſali comprehenditur: ita fieri neqvit, ut non habeat eundem ſponſum, qvem habet Eccleſia univerſalis. Et qvæ eſt ergò hæc pontificis invaſio? qvæ adulterantis paranymphi attentatio? & qvæ impudici amoris aduſtio?

IV. Pergit Euariſtus: *Et ſicut Vir non debet negligere Uxorem ſuam, ſed diligere & caſtè cuſtodire & amare atq́; prudenter regere: ſic Epiſcopus, & multò magis, cuſtodire & amare, atq́; prudenter debet regere Eccleſiam. Et velut uxor, qvæ ſub manu eſt Viri, obedire debet Viro ſuo, eumq́; diligere & amare, ita potiùs etiam Eccleſia Epiſcopo ſuo in omnibus obedire, eumq́; diligere & amare, ut animam ſuam debet, qvia illud fiet carnaliter, iſtud ſpiritualiter. Et ſicut Vir non debet adulterare Uxorem ſuam, id eſt, ut illam dimittat, ad qvam ſacratus eſt, absq́; inevitabili neceſſitate, aut Apoſtolicâ vel regulari mutatione, & alteri ſe ambitûs cauſâ conjungat. Et ſicut Uxori non licet dimittere Virum ſuum, ut alteri ſe, vivente eo, matrimonio ſociet, aut eum adulteret, licèt fornicatus ſit Vir ejus, ſed juxta Apoſtolum aut Viro ſuo reconciliari debet, aut manere innupta: ita Eccleſiæ non licet dimittere Epiſcopum ſuum, aut ab eo ſe ſegregare, ut alterum vivente eo accipiat, ſed aut ipſum habeat, aut*

innupta maneat, id est, alterum Episcopum, suo vivente, non accipiat, ne fornicationis aut adulterii crimen incurrat. Nam si adulterata fuerit, id est, si alteri se Episcopo junxerit, aut super se alterum Episcopum adduxerit, aut esse fecerit, vel desideraverit, per acerrimam pœnitentiam aut suo reconcilietur Episcopo, aut innupta permaneat &c.

V. Non ignoro, suppositiţiam esse istam Euaristi Epistolam, & autoritate destitui, probari tamen omnia ista à Pontificiis certum est, & ad ipsam hujus Epistolæ autoritatem provocat Gratianus *c. sicut. 7. qv. 1.* Nec infreqvens est apud Canonistas hæc comparatio, qvam prolixè extendit & explicat Innocentius III. *c. 2. X. de translat. Episcop.* Et ne qvis inter solum Episcopum & Ecclesiam matrimonium tale contrahi putet, idem illud etiam inter presbyterum & Ecclesiam iniri communiter statuunt, ut eâdem ratione, qvâ Episcopus, etiam presbyter vinculo conjugali innexus intelligatur. Qvò pertinent verba concilii Rhemensis adducta à Gratiano *c. sicut. 21. q. 2.* qvæ sic habent: *Sicut in unaqvaqve Ecclesiâ unus presbyter debet esse; ita ipsa, qvæ sponsa vel uxor ejus dicitur, non potest dividi inter plures presbyteros, sed unum tantummodò habebit sacerdotem, qvi eam castè & sincerè regat. Unde interdicimus, ut nullus præsumat, Ecclesiam inter duos vel plures dividere: qvia Ecclesia Christi Uxor & sponsa debet esse, non scortum &c.* Hâc igitur ratione unaqvæqve Ecclesia tres habebit sponsos aut maritos, CHRISTUM, Episcopum & presbyterum.

VI. At verò injurii sunt in sponsum Christum, qvotqvot alios ei adjungunt sponsos, licèt subordinatos. Episcopus, qvi administrationem & curam Ecclesiæ suscipit, jungitur ei, non ut sponsus, sed ut paranymphus, imò verò ne sic qvidem propriè, sed potiùs ut minister, *2. Cor. IV, 5. Si amicus sponsi es*, inqvit Bernhardus *epist. 237. ne dixeris dilectam ejus principem meam, sed principem, nihil tuum in eâ vindicans, nisi qvod pro eâ, si oportuerit, etiam animam dare debes.* Totum ergò istud conjugium spirituale, qvod inter Episcopum & Ecclesiam fingitur, non minùs adulterium est, qvàm si servus Domini Uxorem adamaverit, eiqve se junxerit. Digna sunt, qvæ hîc legantur verba autoris libelli *de sqvaloribus Romanæ curiæ*, qvi editus est Basil. A. 1551. cum operibus Petri de Alliac. *Si contingat*, inqvit, *aliqvando Papam per officium suum honorari vel laudari, dicitur pro laude suâ anatomasticè (sive ex adulatione, s. ex donatione hominum hoc fiat) qvòd sit sponsus, dominus & caput Ecclesiæ. Recogitet ergò, qvòd hoc non potest esse propriè loqvendo verum. Ecclesia enim non habet duo capita, nec duos sponsos, sed unicum, & hoc*

est

est Christus, & non Vicarius suus, (cùm hoc verò sic dici non competit) quem Christus constituit potiùs custodem Sponsæ suæ, qvam sponsum.

VII. Et observandum hîc, in consecratione Episcopi multò castiùs rem agi, nec tàm fidem conjugalem, qvàm custodiam Ecclesiæ exigi ab Episcopo. Sic enim Episcopum compellat consecrator Pontifex: *Accipe annulum, fidei scil. signaculum, qvatenus Sponsam DEI, sanctam videlicet Ecclesiam, intemerata fide ornatus illibatè custodias.* Multum autem differunt Sponsus, & custos Sponsæ, qvi Sponso operam suam & ministerium præstat, nec ipsius sponsi vices obit, nisi in solà defensione & custodià. Add. Andr. de Saussay *in panopl. Episcop. l. 3. cap. 8.* ubi cum Cardinale Bellarmino differentiam facit inter sponsos Ecclesiæ, sed talem, qvæ in manifestam definit æqvivocationem, & alterum hoc nomine minùs digne compellari ostendit. *Sponsi nomen*, inqvit, *universalis Ecclesiæ respectu & Christo, & Papæ vindicatur, tamen hoc cum discrimine, qvod Christus ita sit proprio jure Ecclesiæ Sponsus, ut ipse solus eam suo fœcundet spiritu, & ejus solius semine, qvod est verbum DEI, nascantur filii, qvi Christi ipsius proprii sunt. At verò Pontifex Sponsus dicitur, qvia cooperatur extrinsecus, in generatione filiorum, tanqvàm præcipuus Verbi & Sacramentorum minister, Ecclesiæq; Oecumenicus Rector & Custos* &c. Minister qvi est, & qvi cooperatur extrinsecus in generatione filiorum, sponsus non est, nec nomine sponsi venit, sed in nudo ministerio subsistit & permanet.

VIII. Commentum tamen istud conjugii inter Episcopum aut presbyterum & Ecclesiam fecit, ut de dote cogitaretur, qvæ Sponsam gratam faceret sponso suo. Imò verò, ut rectiùs dicam, priùs cogitatum fuisse videtur de dote, materialiter sumpto vocabulo, qvàm de nuptiis. Et ut eò faciliùs opes acqvireret Ecclesia, comminisci oportuit, conjugium aliqvod spirituale, simile carnali, inter Episcopum & Ecclesiam contrahi, nec ergò indotatam esse debere hanc ejus sponsam. Dicerem, conjugium istud non tàm ad Ecclesiam, ut cœtus est, pertinere, qvam ad templum materiale, in qvo illa congregatur, si id admitteret comparatio superius ex Euaristi epistolà adducta. Planè ad ædificium pertinet, qvod ajunt, Ecclesiæ extructionem inchoari non debere, nisi prius dos congrua & sufficiens ei constituta fuerit. Quod idem etiam de consecratione accipiendum. Atqve in hoc sensu unicus maneret sponsus Christus, neqve tùm violare diceretur servus jura & dignitatem domini sui. At his non contenti Episcopi, si non

pari & eodem, saltem non dissimili amore ab illâ ipsâ, qvæ Christi Sponsa est, Ecclesiâ amari volunt.

IX. Videamus, in qvem finem constitui dos Ecclesiæ debeat. Canonistæ, ut conjugii rationem, quam inierunt semel, porrò observent, finem prorsus eundem statuunt dotis Ecclesiasticæ, qvi est de jure civili in matrimonio carnali. Nempe dotis hic præcipuus usus est, ut fructus ejus cedant lucro mariti propter onera matrimonii, qvæ ille ferre tenetur, *l. 7. ff. de jur. dot. l. 20. C. eod. c. 16. X. de usur.* Hâc eâdem ratione dicit Petrus Gregorius *de benefic. c. 15.* etiam Ecclesiæ constituendam esse dotem, qvæ sufficiat oneribus ferendis. Onera illa esse multiplicia, referri eò luminaria, sacrum ministerium, custodiam incorruptionis Ecclesiæ, servientium alimenta, & qvicqvid deniqve expensarum vel in hospitalitate exercendâ, vel in visitationibus, & reliqvo officio suo facere oporteat Episcopum. His omnibus sufficere debere dotem, neqve consecrari Ecclesiam debere priùs, qvàm illa sufficienter constituta fuerit. Neqve attendi hic debere oblationes fidelium, qvipqe qvæ incertæ sint, & dotis sufficientis qvalitatem habere neqveant, & oportere adeò dotem semper statam & fixam esse, qvæ fructûs ferre & perpetuos ex se reditûs subministrare possit.

X. Verum enimverò, qvia ita placet, qvæ de conjugio carnali disposita inveniuntur, ad conjugium hoc spirituale applicare, videamus, an ita necessaria sit dotis constitutio, ut matrimonium sine eâ consistere omninò neqveat, &, si potest, utrum diversum qvid circa matrimonium spirituale statui oporteat. Principio sciendum est, dotem non esse de substantiâ nuptiarum, nec ejus dationem juris naturalis, qvandoqvidem constat, apud qvamplurimas gentes, etiam eas, qvæ maximè moratæ semper visæ fuerunt, aut nullam omninò, aut valdè parvam legibus concessam fuisse dotem, qvâ de re videri potest Franciscus Connanus *Comment. lib. 8. c. 8. n. 3.* Apud alias dotem afferebat non uxor marito, sed ordine inverso maritus uxori, uti de Wisigothis constat ex ipsorum legib. *lib. 3. tit. 1. n. 4.* de Alamannis, *tit. 56.* de Longobardis, *lib. 2. tit. 4.* ut hinc pateat, juris magis positivi aut receptitii esse dotis constitutionem, qvàm absolutæ necessitatis. Add. Hieron. Bignon. *ad Marculfi form. lib. 2. p. 561.* Ipsi Romani, qvi Reipublicæ interesse credebant, mulieres dotes salvas habere, *l. 2. ff. de jur. dot.* qviqve tàm multa, tàm varia, tamqve singularia in favorem dotis excogitârunt & promulgârunt privilegia, qvæ in ordinem digessit, & longâ serie recenset Anton.

ton. Gubert. Constan. *de matrimon. p. m. 166. seqq.* non crediderunt tamen, sine dote nuptias consistere non posse, uti ex Justiniani constitutionibus patet in *l. ult. C. de donat. ante nupt. l. 11. pr. C. de repud.*

XI. Sanè videtur dotis constituendæ ratio exinde originem sumpsisse, qvòd contemptim haberi mulierem indotatam doceret experientia, qvòdqve amor mariti extingvi putaretur, si pro oneribus matrimonii ferendis nihil qvicqvam ei concederetur levaminis. Stephan. Guazz. *de civil. convers. lib. 3.* Ut ergò huic malo obviam iretur, tacitâ consvetudine sensim inductus fuit dotis dandæ ritus & conditio, ex qvâ deinceps mulieris interesse cœpit, ut inciperet esse dotata, *l. 71. §. 3. ff. de condit. & demonstr.* Qvia itaqve successu temporis nemo qvisqvam indotatam ducere facilè volebat, dotatas autem esse fœminas ad sobolem procreandam, replendamqve liberis civitatem, maximè erat necessarium, *l. 1. ff. sol. matr.* subveniebat Lex & consvetudinem introductam approbabat, constituebatqve, ut cogi qvandoqve possent ad dotem constituendam personæ illæ, qvæ ad pietatis officia obligatæ erant, uti de patre legitur in *l. 19. ff. de R. N. l. 6. ff. de collat. l. 7. C. de dot. promiss.*

XII. Ad eundem modum originem dotium describit Joachimus Hopperus *de verâ jurispr. lib. 10. tit. 2.* his verbis: *Cum nonnullis legum Conditoribus placuit indotatas esse Uxores, ut non census, sed morum, & generis & formæ ratio habeatur, jus civile Romanorum sic est compositum, ut ad communes hominum mores respiciat, iisq; leges qvàm aptissimas accommodet. Et ideò, ut tùm qvidem ad legitimas nuptias masculi invitentur, ad civitatem legitimâ prole replendam ne deficiat, qvæ ratio naturalis est & civilis, tum vero fœminæ rei familiari tantò diligentiùs studeant, dum rem suam etiam conservant, qvæ est ratio œconomica: placuit, non solùm dotes permitti, sed & favorabiles haberi: scribitqve Paulus JCtus, Reip. interesse, muliers dotes salvas habere, propter qvas nubere possunt.* Similia habet Vaconius à Vacuna *lib. 1. declarat. 21. n. 14.* Franciscus de Amaya *lib. 2. observat. c. 4.*

XIII. Num eadem sit ratio Ecclesiæ, & num ideò dos illi constituenda sit, ut procum inveniat, viderint Canonistæ. Mihi certè id non videtur. Neque id visum primis Ecclesiæ Doctoribus, inter quos plurimi non ad presbyteratum tantùm, sed in ipsam etiam cathedram Episcopalem inviti & repugnantes evecti sunt. *Multi*, ait Augustinus *epist. 204. ut Episcopatum suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur tanta, qvæ nolunt, donec eis adsit voluntas*

suscipiendi operis boni. Memorabile est exemplum Pauliniani, qvem planè invitum Epiphanius ordinavit, uti testatur ipse in *epistolâ ad Johannem Hierosolymitanum*, qvæ legitur apud Hieronymum *epist. 60.* his verbis: *Cùm celebraretur collecta in ecclesia villæ, qvæ est juxta monasterium nostrum, ignorantem eum, & nullam penitus habentem suspicionem per multos diaconos apprehendi jussimus, & teneri os ejus, ne fortè liberari se cupiens, adjuraret nos per nomen Christi: & primùm diaconum ordinavimus, proponentes ei timorem Dei & compellentes ut ministraret. Valdè qvippe obnitebatur, indignum se esse contestans. Vix ergò compulimus eum, & persvadere potuimus testimoniis Scripturarum & propositione mandatorum Dei. Et cùm ministraret in sanctis sacrificiis, rursus eum ingenti difficultate tento ore ejus, ordinavimus presbyterum: & iisdem verbis, qvibus antea svaseramus, impulimus, ut sederet in ordine presbyterii.* Talia exempla plura refert Claudius Espencæus *digress. lib. 3. cap. 4. s. seq.*

XIV. Nulla in rationibus ab Epiphanio adductis fit mentio dotis, qvæ tamen hodiè in animis Sacerdotum maximam habere solet vim persvasivam. Ad mandata divina & testimonia Scripturarum provocarunt, ut pertinaciam ejus frangerent, non ad reditûs & proventûs optimos. Et floruit sanè diu in Ecclesiâ talis integritas, ut non crederentur digni, qvi avaritiâ tenti aut inescati ministerium Ecclesiasticum affectarent. Elegans in hanc rem est Constitutio Leonis Imperatoris in *l. 31. C. de Episc. & Cler.* ex qvâ ista nunc subjicio verba: *Cesset altaribus imminere profanus ardor avaritiæ, & a sacris adytis repellatur piaculare flagitium. Itaqve castus & humilis nostris temporibus eligatur Episcopus, ut, qvocunqve locorum pervenerit, omnia vitæ propriæ integritate purificet. non precio nec precibus ordinetur antistes. tantum ab ambitu debet esse sepositus, ut qværatur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat. Sola illi suffragetur necessitas excusandi. profectò enim indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus.* &c. Tales cum esse debeant ministri Ecclesiæ, statui neqvit, dotis Ecclesiasticæ eundem esse finem, qvi est dotis matrimonii carnalis, ut scil. invitentur proci ad matrimonium contrahendum, & ut eò faciliùs Ecclesia inveniat conditionem nubendi.

XV. Sed enim dote Ecclesiæ semel constitutâ idem ferè contigit circa matrimonium spirituale, qvod in matrimonio carnali evenire solet, ut scil. ad dotem magis respiciatur, qvam ad ipsam Ecclesiam. Nubere hodie volentes ante omnia volunt scire qvantitatem dotis

dotis pro veſtibus & jocalibus emendis, nec volunt carnem ſine ſapore, inqvit Joh. de Nevizan. *Sylv. nupt. lib. 4. n. 115.* Ita qvi officium Eccleſiaſticum ambiunt, non ipſum propter ſe expetunt, ſed magis annexos reditûs, & hos qvidem principaliter. *Inducta enim turpiſſimâ & pernitioſiſſimâ proprietate,* (verba ſunt Marci Antonii de Dominis *lib. 9. de Rep. Eccleſ. c. 3. n. 11.* ubi de dote Eccleſiarum agit) *qvod erat acceſſorium & connexum ſacro officio, factum eſt præcipuum. Et hoc ipſum jam præcipuè qværitur, poſthabito ferè officio. Ita ut beneficium bonum à minùs bono diſcernat non Eccleſiaſticus ordo, aut munus & officium, ſed temporalis qvæſtus, copia aut inopia, & ad hæc beneficia, h. e. commoda & utilitates opum & pecuniæ conſervanda & augenda, nunc ferè proceres Eccleſiaſtici omnes corporis & animi vires expromunt.* &c.

XVI. Recentioribus ſcil. temporibus Canoniſtæ, ut beneficium, qvod ita termino artis vocabant, rem ſacram facerent, ex officio ſacro, & ejus reditu, conflárunt unum qvid, ſed ex partibus planè heterogeneis, & hoc conflatum vocárunt beneficium Eccleſiaſticum. Atqve hinc planè aliud loqvendi genus exortum eſt. Nam ita hoc argumentum apud veteres tractatum offendimus, *ut miniſterii ferè mentio fiat,* (loqvor cum Franciſco Duareno *ex lib. 2. de ſacr. Eccleſ. miniſter. c. 3.*) *non proventus aut ſtipendii alicujus. At poſtqvam bonos non onus affectari cœpit, & qvæſtus eſt habita ratio magis, qvàm muneris atqve officii, unà cum moribus hominum mutata eſt loqvendi ratio. Ut exempli gratia: ſolebant ita diſputare antiqviores, ut qværerent, qvis Eccleſiæ miniſtrum ordinare, & qvis ordinari deberet. Recentiorum verò qvæſtiones hæ ſunt vulgo uſitatæ, qvis beneficium conferre, cui conferri poſſit, &c. Qvod igitur primarium ac præcipuum merito habebatur qvondam, id nunc acceſſionis cujusdam locum vix obtinet, qva in re tanta eſt indignitas, ut eam diſſimulare nemo bonus poſſit.* Hactenus Duarenus.

XVII. Temperare mihi neqveo, qvin ſimul addam hîc elegantem Annæi Roberti JCti Clariſſimi invectivam ejusdem argumenti, qvâ *lib. 1. rer. judicatar. c. 7.* perditiſſimos ſeculi mores & inſanum beneficiorum Eccleſiaſticorum aucupium graviter & verbis conqviſitis perſtringit. Atqve ſic ille: *Prælaturæ & ſacerdotia & qvæ nunc vocamus, beneficia, olim martyria erant, qvin & primis Eccleſiæ temporibus ordinarii beneficiorum proventus & annui dignitatum Eccleſiaſticarum reditus non alii fuerunt, qvàm perſecutiones, flagella, fiditulæ, cruces, ſupplicia, membrorum lacerationes. At nunc Eccleſiæ prælati cœleſtes illos proven-*

tûs

tûs abnuunt, & pro tormentis, cruce & culeo, delicati martyres, magno Ecclesiasticorum beneficiorum reditu superbiunt, & pingvi fructuum abundantiâ saginantur. --- --- Sacerdotia & prælaturæ, dum viguit incorrupta Ecclesiæ antiqvitas, nec annuos, nec statos reditus habebant. Unde conveniens videbatur, ut plebs Christiana Sacerdotes suos in unaqvâqve Ecclesiâ alere teneretur Magnam & solicitam adhiberi operam hoc seculo videmus ab iis, qvi fructuum & redituum occasione beneficia venantur. --- --- Vanæ sunt & superfluæ sunt hoc tempore illæ canonum constitutiones, qvibus sub gravi pœnâ interdicitur, ne qvis ad sacerdotia sacros ordines aut dignitates Ecclesiasticas invitus promoveatur. Neq; enim corvos aut cæteras aves, qvæ laceratione corporum aluntur, tàm rapido volatu ad cadavera per aerem ferri videmus, qvàm ægrotante Clerico, beneficii opimi possessore, corvos beneficiarios cernimus aut ad extorqvendam à langvente resignationem & spolia adhuc spiranti detrahenda, aut desperatâ resignatione ad Regis aulam, curiamve Romanam incredibili celeritate advolare.

XVIII. Ego sanè necessitatem illam, qvam doti constituendæ afferunt Canonistæ, nullibi tantam reperio, ut diversum asserere non liceat. Uti enim Ecclesia Christiana consistere potest sine templis & ædificiis consecratis: sic etiam consistere poterit sine dote. Et templa ipsa cur dotem præcisè & necessariò habere debeant, nulla sufficiens redditur ratio. Præcipua est, ut alimenta habeant ministri, qvi sacris inserviunt. Atqvi hæc illis aliunde obvenire possunt, & comparata eis fuerunt olim ex collationibus & oblationibus fidelium. Et fatentur Antonius Bengeus & Franciscus Pinssonius *de benefic. Eccles. tit. de dot: constit. §. 2. in fin.* in Lutetiâ Parisiorum parochiales inveniri Ecclesias, aliàs indotatas, rectoresqve ipsos ex solis oblationibus & retributionibus spiritualibus, administrationis gratia illatis, alimenta sibi qværere, eaqve abundantiùs subministrari. Dicis, incertos esse hos reditûs, neqve Clericos inde sibi promittere posse, fore, ut sufficientes sint & perpetui. At de tali incertitudine nullibi legimus, conqvestos fuisse Clericos Ecclesiæ primitivæ, neqve ipsos Apostolos. Poterit verò etiam hic defectus, si qvis aliqvando se exerat, ex fisco aut ærario publico, qvando Christianus est magistratus, suppleri. Et hodiè in benè constitutis Rebuspubl. certa ministris Ecclesiæ apud nos constituta sunt salaria, qvæ ex publicâ pecuniâ illis exsolvuntur, ut adeò absolutè necessarium non sit, Ecclesiæ ædificandæ dotem certam dari oportere.

XIX. Apud

XIX. Apud Græcos stipendia qvædam fixa erant, qvæ per singulas domos colligebantur. Sic enim legitur in bullâ aurea, qvam edidit Isacius Comnenus Imperator, & extat in jure Græco Rom. *lib. 2. Nomine*, inqvit, *Canonici à Vico habente triginta fumaria, nummus aureus unus exigatur, argentei duo, aries unus, hordei modii sex, vini mensuræ sex, farinæ modii sex, tringinta gallinæ. Ab eo verò, qvi fumaria viginti habet, dimidium aurei, agentum æqvivalens duobus argenteis, agnus mediæ ætatis unus, hordei modii qvatuor, vini mensuræ qvatuor, gallinæ viginti. A vico denique decem habente fumaria, quinque argentei, agnus unus, hordei modii duo, gallinæ decem, qvemadmodum & in veterum exactorum sigillis scriptum est.* &c. Et hæc fixa erant Stipendia, qvæ è variis nummorum, frugum & animantium generibus constabant. Habuerunt verò Clerici isti insuper obventiones alias, ex variis ministerii officiis qvotidiè oblatas, sed incertas eas, & mutabiles, qvas excutere & investigare nunc nihil attinet. Progredimur ad alteram necessitatis speciem, qvam dotis constituendæ causam faciunt Canonistæ, ut habeat scil. Ecclesia, unde luminaria sibi comparare qveat. Ut enim unaqvævis Ecclesia ministris suis diversimodè prospicere solet, ita universos istos modos describere velle, plus laboris, qvàm industriæ erit. Et si vel maximè studium nostrum in eâ re ponere animus esset, parum tamen id faceret ad propositum.

XX. Quod luminaria attinet, videntur & ipsa tàm necessaria non esse, ut sine illis Ecclesia consistere neqveat. Et fatetur Nicolaus Serarius *de Sacr. Eccl. process. l. 1. c. 6. n. 6.* faces & cereos in processionibus necessitatis causâ non adhiberi, sed esse hoc honoris qvoddam genus, qvod exhiberi aliqvando solitum fuit illis, qvibus obviam processum fuit, ut dignè exciperentur. Et *lib. 2. cap. 3.* non aliam cereorum in sacris adhibitorum reddit rationem, qvàm quòd Ecclesia ritum istum vel in priscis Hebræis imitata sit, vel in gentilibus expiaverit, atqve ad honorem & gloriam Dei traduxerit. Positô hôc, non alia erit eorum necessitas, qvàm rerum aliarum omnium, qvæ inter adiaphora referuntur, talia sc. qvæ libertati humanæ secundum se tota subjecta sunt, qvanqvam non sit negandum, etiam in his vel recipiendis vel abrogandis prudentiæ Ecclesiasticæ & charitatis Christianæ leges maximè observandas esse, ut sc. omnia fiant εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν, *1. Cor. XIV, 40.* & ad ædificationem, non ad destructionem, *2. Cor. XIII. 10.* Optimè Augustinus *epist. 118. Qvod neq; contra fidem, neq; contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter qvos vivitur, societate servandum est.*

XXI. Sanè de Judæis constat, speciale eos festum per integrum octiduum celebrasse, qvod festum Lumium vocarunt. *Tanta lætitia,* inqvit Josephus *antiqv. Jud. lib. 2. c. 11. ob reductos ritus patrios et priscam religionem occupavit gentis ejus animos, maximè, quòd ea felicitas ex insperato obtigerat, ut lex lata sit ad posteros, qvæ juberet qvotannis hoc festum reparati cum ceremoniis templi per octo dies celebrari, & ex eo tempore mos hic apud nostros obtinuit: vocamusqve hanc festivitatem luminum, opinor ideò, qvòd ex insperato nobis illuxerit tanta felicitas.* &c. Sed alia fortè ejus nominis ratio, qvæ ex facularum accensarum copiâ in istis diebus usitatâ petenda erit. Scimus, ait Josephus Scaliger *de emend. temp. lib. 5.* per illos dies octo tantum lucernarum ab illis accendi, ut nusqvam alias plus. Itaqve inde appellatio τῶν φώτων καὶ τῆς λυχνοκαΐας. Originem ex Talmudicis Scriptoribus hanc refert Johannes Seldenus *de Synedr. lib. 3. c. 13. n. 9.* fuisse in templo Judæorum decem candelabra, atqve in illis lucernas perpetuò ardentes oleo puro subinde conservatas fuisse: Antiochum verò, ut sacram supellectilem reliqvam, ita & oleum, qvantum nactus est, sacrum aut abstulisse, destruxisse aut polluisse, ut cùm repurgaretur jam templum, supellectilisque illius pars qvælibet diligentiùs excuteretur, unicum tantùm olei sacri vasculum seu Lenticula, sigillo munita Pontificis maximi, intacta reperta fuerit. Illam autem adeò exiguam fuisse, ut nec diei unici lucernis per se sufficeret: nihilominus, ne oleum deesset lucernis purum, adeò per octo illos encæniorum dies, jugiter ita, ex miraculo crevisse oleum illud ac continenter repletum esse, ut satis inserviret lucernis in templo dierum illorum octo, atqve in miraculi illius memoriam in festo Encæniorum tot lumina perpetuo dein fuisse in templo. Et post testimonia in hanc rem adducta ex iisdem Talmudicis refert porrò, accensionem fieri oportuisse solennem, ad ostium domus cujusque, &, ubi plures in unâ domo habitarent, secundum eorum tàm fœminarum, qvam virorum numerum; qvin etiam nocte primâ pro qvolibet unicum lumen, secundâ pro quolibet duo, & sic deinceps, ut tandem octo pro unoquoque inhabitante nocte octavâ seu ultimâ lucerent.

XXII. Miraculum istud utrum vere contigerit, cùm ipsi inter se adhuc disceptent Hebræi, non est, ut solliciti simus; de eo tamen consentiunt Magistri, lucernas in magnâ copiâ semper per istud octiduum accensas fuisse. Jusserat verò antiqvissimis temporibus ipse Deus,

ut

ut in tabernaculo testimonii candelabrum poneretur ex auro purissimo, & in eo septem lucernæ perpetuo ardentes oleo puro alerentur, *Exod XXV, 31. cap. XXVII, 20. Levitic. XXIV, 1.* Atqve id exemplum perpetuo in ore habent Pontificii, ut lampadum & cereorum usum ad cultum divinum necessarium in Ecclesiâ probent. Sed enim ex ritibus Mosaicis parum præsidii peti potest, dum non mortuas tantùm, sed mortiferas etiam ceremonias eas agnoscunt Scholastici. Et in hoc scil. differre leges ceremoniales Mosaicas à judicialibus, scribit Thomas Aqv. *lib. 2. q. 104. art. 3.* qvòd judicialia autoritate Principis repeti qveant in Rep. & novâ *νομοθεσία* promulgari, ceremonialia autem sub statu Evangelico repeti sine crimine neqveant. Qvod ipsum tamen limitat Didacus Covarruvias *1. resol. c. 17. n. 1.* & restringit ad istas ceremonias, qvæ præcipuè significarunt Christi adventum, reliqvas verò, qvæ ad devotionem & ornatum cultûs divini magis pertinent, à Christianæ Reip. Rectoribus optimo jure statui posse contendit. Qvicqvid hujus sit, id tamen inde seqvitur, ceremoniales istas leges nullam amplius necessitatem obligandi habere, nisi noviter à Principe Christiano promulgatæ fuerint. Tùm verò non obligant ampliùs, ut Mosaicæ & in V. T. præscriptæ, sed ut Christianæ, & ex potestate *νομοθετικῇ*, qvæ est penes principem, provenientes. Atqve hinc conficio porrò, frustra hodiè ex V. T. peti argumenta, qvibus ceremoniæ in nostris Ecclesiis usitatæ confirmentur, ut necessitas earum stabiliatur.

XXIII. Cereos verò ardentes etiam apud gentiles sacris adhibitos fuisse, vel unicum probat Licinii exemplum apud Euseb. *de vit. Constant. lib. 2. c. 5.* Et videtur apud eos qvandoqve æmulatio qvædam fuisse, qvis maximam facem accenderet, qvod Græci dicebant *δᾶδα ἱστάναι.* Unde apud Scriptores sæpè *δαδουχεῖν τὰ μυστήρια.* Fuerunt & alia *λαμπαδουχίας* certamina varia Athenis, ut præter Platonem, Pausaniam in Atticis, & Suidam Scholiastes Aristophanis docet in Ranis. Conf. Casaubon. *in Theophrasti charact. Eth. c. 3.*

XXIV. Hos duces habuisse Ecclesiam, qvæ luminaria interdiu sacris primùm adhibuit, non dissimulant Pontificii, sed aperto ore confitentur. Sic enim scribit Guilielmus Durandus Episcopus Mimatensis *Rational. lib. 7. c. 7. Romani de qvinto in qvintum annum in Kalend. Febr. ad honorem Februa matris Martis, qvi, ut putabant, erat deus belli, illustrabant Urbem totâ nocte cum cereis & facibus accensis, ut filius ejus eis victoriam de hostibus concederet: cujus matrem tàm solenniter honorabant*

bant, qvod festum à Burbale dicebatur. Ipsi autem in mense Februario sacrificabant Februo, i.e. Plutoni, cum cæteris diis infernalibus pro animabus prædecessorum suorum, ut propitiarentur ipsorum, eis solennes hostias offerentes, & totâ nocte eorum laudibus cum cereis & facibus accensis vacantes. Mulieres qvoq; Romanorum his diebus festum luminum exercebant. Gentiles namq; pro eo, qvod dicitur Pluto deus infernalis, concupiscens Proserpinam speciosissimam, eam in principio hujus mensis rapuit, deamq; fecit, qvam Ceres ejus mater & parentes facibus accensis per sylvas de nocte in Æthna monte Siciliæ multo tempore quæsierunt, prout poetarum fabulæ fingunt; idcirco & ipsæ in principio mensis Februarii in memoriam hujus rei de nocte Urbem lustrabant. Hos igitur lustrandi mores, Sergius Papa mutans in melius statuit festum purificationis, in memoriam matris Domini in eodem mense; & tunc processiones fieri, ut plebs universa portans cereos ardentes in manibus per ecclesias procederet in memoriam cœlestis regni, qvando omnes electi luculentibus bonorum actuum lampadibus obviam sponso veniant.

XXV. Consimilia leguntur apud Baronium *in Martyrol. ad 2 Febr. Addidit*, inqvit, *huic solennitati Sergius Papa (ut habet ordo Romanus) litanias sic institutas, ut exeunte Clero cum populo ab Ecclesia S. Hadriani procederet cum cereis ad talem usum benedictis ad Basilicam S. Mariæ Majoris.* Et post pauca: *Porrò ante Christi adventum, cereorum in singulos distributio fieri consvevit à gentilibus in Saturnalibus, qvæ agebantur mense Decembri, ut tradit Macrobius lib. 1. Saturn. Putamus (sicut & de multis aliis contigit) usum illum superstitiosum gentilium, sacris ritibus expiatum, ac Sacrosanctum redditum, in DEI Ecclesiam esse laudabiliter introductum.* &c. Idem Baronius annal. *tom. 1. ad annum CCCCXXXIX. n. 88.* cum paganismo conformitatem non unam in Ecclesiâ observat, dum ait: *Vigilias anniversarias habes apud Svetonium in Vespas. c. 7. lustralem aqvam, aspersionem sepulchrorum apud Juvenal. sat. 6. & alios: lumina in iisdem parare, apud Sveton. in Octavio c. 98. lucernam accendere, cereos in populo distribuere apud Senecam l. 14. epist. 15. & Macrob. in Saturn.* Et *tom. 2. ad ann. CC. n. 5.* sic rursus ait Baronius: *Consulto postea introductum videtur, ut qvæ erant gentilitiæ superstitionis officia, eadem veri Dei cultu sanctificata, in veræ religionis cultum impenderentur.* Conf. Joh. Bapt. Casalius *de vet. sacr. Christ. ritib. c. 42. f. 188.*

XXVI. Utrum ista rituum receptio & immutatio in meliorem sensum atqve devotionem excusari qveat, nolo nunc prolixiùs discutere. Numinis divini gravis hæc est admonitio, *Deut. XII, 29. Qvando disperdiderit*

Domi-

Dominus ante faciem gentes, ad qvas ingredieris possidendas, cave, ne imiteris eas, postqvam te fuerint introeunte subversæ, & reqviras ceremonias earum, dicens: Sicut coluerunt gentes illæ deos suos, ita & ego colam. Non facies similiter Domino Deo tuo. Qvòd si jam collatio instituatur, tanta utiqve reperietur similitudo cultûs divini, qvi olim fuit in delubris gentilium, & qvi nunc ad statuas in pontificiorum templis conspicitur, ut Ludovicus Vives fateatur, non posse discrimen aliqvod ostendi, nisi qvòd nomina tantùm & titulos mutârint. Et potuerunt qvidem Christiani & gentiles qvandoq; in externis qvibusdam ritibus, & qvoad externam speciem in oculos incurrentem, convenire; sed factum id non animo ad æmulationem aut imitationem composito atqve destinato, neqve eum in finem aut cum eâ intentione, ut convenirent, verùm ex accidente, & dum utriqve, qvod sibi seorsim placuit, observari voluerunt, hi qvidem cum superstitione, illi verò ex conscientiâ liberâ & sine κακοζηλία, atqve cum hac conditione, ut mutare id qvandocunqve liceret, sicubi offendiculum aliqvod inde metuendum fuerit.

XXVII. Videtur verò usus cereorum diurnus occasionem cepisse ex nocturnis Christianorum conventibus, qvippe qvibus necessariò candelas ardentes adhibere oportuit. Illi verò deinceps, cum liberiore aurâ frui contigisset, in memoriam prioris calamitatis, & cultûs divini in cryptis antea & locis sæpè subterraneis freqventati, usum istum candelarum retinuerunt, tùm ad externum ornatum, & ut eò splendidiora redderentur sacra, tùm in signum lætitiæ, tùm deniqve ad commendationem & memoriam illustris fidei Martyrum, cujus gloriâ & celebritate velut lumina in Ecclesiâ fulgebant. *Accenduntur luminaria*, inqvit B. Hieronymus *adversus Vigilantium, non utiq; ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.* Credo ego etiam ex dicto CHRISTI, qvod extat *Matth. V, 16.* aliqvod candelis accensis sumptum fuisse patrocinium, dum ait: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qvi in cœlis est.* Ex hoc enim dicto rationem reddit Georgius Codinus Curopalata *de offic. Constantinop. n. 37.* cur Imperatori Constantinopolitano lampas præferatur, etiam tùm, qvando in oratorium adscendit, ad qvem locum videri possunt, qvæ notant Jacobus Gretserus & Jacobus Goarus.

XXVIII. Non verò ex instituto aliqvo Apostolico, aut lege divinâ, sed ex privilegio libertatis Christianæ primitus receptus fuit ille cereorum in sacris usus, nec etiam ab Ecclesiâ sub necessitatis qvâdam lege

tàm peremptoriè sancitus fuit, aut sanciri potuit, qvin eum liceret negligere aut abrogare prorsus, siqvidem offendiculo esse compertum fuerit. Et hanc Christianorum libertatem luculenter probat statutum, qvod in Concilio Eliberino sive Elliberitano circa tempora Constantii & Galerii, uti volunt nonnulli, *can. 34.* his verbis sancitum est: *Cereos per diem placuit in cœmeterio non incendi: inqvietandi enim spiritus Sanctorum non sunt. Qvi hæc non observaverunt, arceantur ab Ecclesiæ communione.* In qvo canone explicando mirè se torqvent Interpretes Pontificii, uti videre licet apud Franciscum Longum à Coriolano *in not. ad eund.* & Gabr. Albaspinæ. *ibid.* Mirum, non responderi ab iisdem, qvod respondet ad *Canonem 36.* ejusdem conciliiCardinalis Baronius *ad ann. 57. n. 119. & 122. Anne potuit vel debuit decem & novem Episcoporum conventus in orbis angulo congregatus aliud statuisse, qvàm ubiq; locorum universalis profiteretur Ecclesia? --- --- Eeqvam tandem fidem meretur tàm paucorum Episcoporum canon, qvem totius catholicæ Ecclesiæ usus contrarius continuò abolevit, imò anteqvam nasceretur, extinxit?* Verùm illi patres istos de fide suspectos reddere nolunt, qvin potiùs commodam, sed in varias formas desinentem qværunt interpretationem, qvam proliziùs hic examinare nihil nunc attinet. Sufficiat nobis ex canone illo ostendisse, tempore concilii Eliberitani talem, qvalis hodiè fingitur, non fuisse creditam cereorum necessitatem.

XXIX. Qvod verò aliis ceremoniis pluribus contigit, id etiam huic evenisse seqvioribus temporibus compertum fuit, degenerâsse scil. eam in extremam superstitionem. Sensim enim huic ritui adhæsit opinio religiosæ cujusdam necessitatis, qvasi impium esset, & irreligiosum, sine cereis cultum divinum administrare. Accessit deinde superstitiosa consecratio cereorum aut benedictio. Non enim contenti sunt Romano-Catholici communibus cereis, sed sacerdotales consecratos & exorcisatos reqvirunt, eisqve tribuunt vim supernaturales effectus efficiendi pariter & significandi. Atqve dehinc illa qvoqve invaluit superstitio, qvam inter articulos fidei numerant Romano-Catholici, ut pro parte cultûs haberetur, Sanctos accensis cereis honorare. Qvæ omnia qvantum ab origine primigeniâ abierint, qvibusqve abusibus rem per se indifferentem contaminaverint, prudentiores omnes agnoscunt.

XXX. Qvæ dicta hactenus sunt, hoc saltem evincunt, nullam tantam cereorum in Ecclesiâ esse necessitatem, ut vel sine illis Ecclesia consistere non possit, vel cultus divinus formâ suâ essentiali destituatur, si illi non adhibeantur. Nec ergò statuere lice-

licebit, necessarium esse, ut Ecclesiæ dos constituatur, ideo, qvòd cultus divinus sine luminaribus peragi neqveat. Poterit verò etiam constituta jam olim dos per diuturnam belli calamitatem ita imminuta esse, ut cereis comparandis non sufficiat ampliùs, num intermitti propterea debebit cultus divinus? & num propterea Ecclesia minùs digna erit, ut ab Episcopo aut presbytero illi ministerium debitum impertiatur? aut num propterea solutum dicamus, qvod inter eos fingitur, matrimonium? At verò non desinit tale, qvod est inter maritum & uxorem, ut maxime dos uxoris perdita aut consumpta fuerit. Habent insuper Clerici adhuc alias obventiones, qvas ex fructibus dotis non percipiunt, sed qvæ planè separatum constituunt lucrum, ut sunt canonicæ portiones, mortuaria, funeralia, oblationes, decimæ, cathedraticum, synodaticum, & si qva ejus nominis sunt alia, ex qvibus, cùm & ipsâ intuitu Ecclesiæ acqvirantur, luminaria sibi comparare possunt, si qvidem sacra absqve his fieri omninò non posse, persvasum habeant. Istas enim obventiones sæpè tàm largas esse, ut argumentum præbeant αἰσχροκερδίας, patet ex *c. si qvis. 8. de consecr. dist. 1.* ubi prohibetur consecrari Ecclesia, qvæ non pro devotione fidei, sed pro qvæstu cupiditatis ædificata est, ut qvicqvid ex oblatione populi colligitur, inter ædificantem & clericos divideretur.

XXXI. Et oblationes fidelium ad comparationem luminarium, tùm etiam ad reparationem ipsius Ecclesiæ insumptas fuisse, manifestè patet ex *canone 2.* concilii Bracarensis II. cujus hæc sunt verba: *Placuit, ut nullus Episcoporum per diœceses suas ambulans præter honorem cathedræ suæ, i. e. duos solidos, aliqvid per Ecclesias tollat: neq; tertiam partem ex qvâcunq; oblatione populi in Ecclesiis parochialibus reqvirat; sed illa tertia pro luminariis Ecclesiæ vel recuperatione* (legendum, ut arbitrior: *reparatione*) *servetur, & singulis annis Episcopo inde ratio fiat. Nam si tertiam partem illam Episcopus tollat, lumen & sarta tecta abstulit Ecclesiæ &c.* Verba hæc nonnihil immutata refert Gratianus *c. placuit. 10. q. 3.* Qvòd si dotis tàm necessaria est exactio, ut luminaria inde comparari qveant, non sanè stringeret argumentum concilii, Episcopum nihil debere ex oblationibus participare, ne luminibus carere deberet Ecclesia, qvippe qvibus carere ideò non potest, qvia dotem adhuc eum in finem constitutam salvam habet. Habitum autem est concilium memoratum A. Christi D LXXII.

CAP.

CAPUT V.

Necessitatem dotandi non ad Ecclesias tantùm, sed Oratoria etiam, & singula in illis altaria productam atqve extensam esse.

SUMMARIA.

Ministris Ecclesiæ salaria aliunde constitui posse, nec necesse esse, & præterea parùm civile videri, ædificatori injungere onus hoc dotandi, n. 1.
Per ædificationem Ecclesiæ fieri patronum. eôd.
Patronum qvomodò comparent Canonistæ cum patre, ut evincatur dotandæ Ecclesiæ necessitas? cum adjecta responsione in contrarium. eôd.
Antiqvissimam tamen doctrinam esse, non debere ab Episcopo Ecclesiam aliqvam consecrari, nisi sufficiens ei dos anteà constituta fuerit, deducitur 1. ex Jure Canonico, n. 2.
2. ex Jure Civili, n. 3.
Ratio, cur liberalitas hoc casu, qvæ ab initio fuit, deinceps in legem & necessitatem iverit. eôd. & n. 4.
Consilium illis, qvi doti constituendæ non suffecerunt, ab imperatore Justiniano datum, n. 4.
Num ante Justiniani tempora lex aliqva de dotanda Ecclesia extiterit? n. 5.
Canonibus Conciliorum etiam, & capitulis Karoli Magni, item Ludovici Pii dotem Ecclesiæ necessariam factam esse, n. 6, 7. & 8.
Dotationis necessitatem etiam ad Oratoria (qvorum distinctio repetitur) esse productam, n. 9.
Item ad altaria, n. 10
Altarium numerus antiquitùs & hodierno tempore qvis? n. 10. junctô n. 12.
Qvô tempore multiplicari cœperint altaria, & qvæ ejus multiplicationis ratio fuerit? n. 11.
Qvando Concilium Antisiodorense habitum fuerit? eôd.
Georgii Calixti interpretatio altarium de memoriis martyrum, ex Thuano, cujus verba subnexa. n. 12.

Num

DOtis constitutionem non adeò necessariam esse, ut sine eâ cultus divinus subsistere non possit, dixi capite antecedente. Nec tamen proinde nego, utile id esse atqve Ecclesiæ maximè proficuum, si fiat, ut scil. ministri, qvi illi inserviunt, certa habeant & stata salaria, sed qvæ tamen etiam aliunde constitui possunt, & necesse non sit onus hoc dotandi injungere ædificatori. Qvin videtur hoc parum civile, ut ab eo, qvi ædificavit Ecclesiam, & suis sumptibus eam in esse produxit, etiam ista exigantur, qvæ alendis ejus ministris, aliisqve, qvæ ad sacra pertinent, sufficiunt. Sed incidit hîc alia comparatio, qvam faciunt Canonistæ. Per ædificationem enim patronum Ecclesiæ fieri, communis omnium est sententia. Patronum autem dici volunt ad similitudinem patris. Sicut enim pater filium, ita patronus Ecclesiam ducit à non esse ad esse, uti loqvitur Cæsar Lambertin. *de jur. part. lib. 3. qv. pr. art. 1. n. 14.* Porrò igitur, sicut pater tenetur alere filium: Sic etiam pâtronus tenebitur alere Ecclesiam, ejusqve ministros. At profectò, qvæ ex jure naturæ resultant,

tant, præcepta, non habent eandem obligandi vim, si per modum comparationis applicentur illis rebus, qvæ ex institutione hominum veniunt. Quod si porrò inferas: Pater tenetur dotare filiam, Ergo sic etiam ædificator Ecclesiam, respondebo, disparem esse statum, neqve matrimonium statui debere, ubi nullum est, prout *cap. anteced.* exposui.

II. Nihilominùs tamen antiqva hæc est doctrina, & fortassè illicò post ætatem Constantini Magni recepta, non debere ab Episcopo Ecclesiam aliqvam consecrari, nisi sufficiens ei anteà dos constituta fuerit. Antiqvissimum, qvod eâ de re extat in jure Canonico documentum, videtur esse fragmentum Epistolæ Gelasii Papæ, qvi vixit circa annum CCCCXCII. & refertur à Gratiano *c. pia mentis. 16. qvæst. 7.* his verbis: *Piæ mentis amplectenda devotio est, qvâ se Julius nobis in re Julianâ sui juris fundâsse perhibet Ecclesiam, qvam in honorem S. Viti confessoris ejus nomine cupit consecrari. Hanc igitur, frater charissime, si ad tuam diœcesin pertinere non ambigis, ex more convenit dedicari, collata priùs donatione solenni, qvam ministris Ecclesiæ destinasse præfati muneris testatur oblator, sciturus sine dubio præter processionis aditum, qvi omni Christiano debetur, nihil ibidem se proprii juris habiturum.* Præcedere vult Gelasius donationem atqve eam qvidem solennem, anteqvam Ecclesia consecretur; qvod argumentum est, ex lege qvâdam aut constitutione saltem Ecclesiasticâ id fieri oportuisse.

III. Adulto jam ferè seculo sexto, anno scil. DXXXVIII. edidit Justinianus Imperator Novellam constitutionem *67.* in cujus *cap. 2.* hunc in modum loqvitur: *Deinde sancimus, non aliter qvempiam Ecclesiam ex novo ædificare, priusqvam loqvatur ad Deo amabilem Episcopum, & definiat mensuram, qvam deputat & adluminaria & ad sacrum ministerium & ad incorrumpendæ domus custodiam, & observantium alimenta, & si sufficienter habere videtur, faciat priùs donationem eorum, qvæ futura sunt deputari, & ita domus ædificetur &c.* Qvod liberalitatis ab initio fuisse videtur, ut qvi ædificaret Ecclesiam, ei etiam conservandæ certa destinaret subsidia, id deinceps lege injunctum & necessitatis factum est, ne scil. qvod contigisse refert Justinianus in *præf. d. novell.* in nudis ædificiis constitutæ Ecclesiæ aut destruantur, aut omninò sacro ministerio defraudentur.

IV. Et, nî fallor, ipsa hæc Justiniani novella abundè exponit rationem & causam impulsivam, qvare dotari debeat Ecclesia noviter ædificata. Nimirum erant tùm temporis

ris haud pauci, qvi ex ædificatione Ecclesiarum gloriolam captabant, atqve ita nominis celebritatem affectabant, non attendentes, plures jam numero ubiqve extare Ecclesias, qvàm plebi capiendæ opus esset. Qvo factum, ut, cùm nemo esset, qvi oblationes in Ecclesiis noviter ædificatis faceret, & jam distinctæ ubiqve locorum essent parochiæ, plebesqve certis Ecclesiis assignatæ, istæ, qvæ noviter ædificatæ erant, facilè deinceps ruinam sui minarentur, nisi eis conservandis certi fuissent destinati reditûs. Et ut isti hominum, qvi doti constituendæ non sufficiebant, cupiditati qvodammodò velificaretur Imperator, hoc eis consilium dat, *d. cap. 2.* ut Ecclesias antiqvas ruinæ periculo subjacentes & jam antè dotatas reædificent, atqve hâc ratione nominis sui memoriam sine ulterioribus impensis posteritati commendent. *Si autem*, inqvit, *non sufficiat qvidem aliqvis ad hoc, nomen fortè desiderans, qvo & ipse fabricator Ecclesiæ vocetur, & vult aliqvid tale facere, (multa enim & in hac regia civitate, & in provinciis Ecclesiæ sunt, in qvibus competenti qvidem administratur modo, periculum verò ruinæ patiuntur per vetustatem, aut etiam parvæ constitutæ sunt & inordinatæ secundùm desiderium eorum, qvi in eis deputati sunt) licebit ei unam talium Ecclesiam accipienti hanc ædificare, & hic voluntate DEO amabilis orthodoxorum Episcopi res agenda est. Sic enim poterit & sacræ domus fabricator vocari, & nihil de suo superexpendere: deputatis jam circa hoc expensis oblatis ab eis, qvi etiam prius has expendebant.*

V. Utrum verò ante Justiniani tempora talis aliqva lex extiterit, non perinde liqvet. Parum abest, qvin credam, consvetudine tantùm, aut ex præscripto Episcoporum ita observatum fuisse, ut dos constitueretur. Movet me Novella Justiniani tertia *in præfat.* ubi Imperator ad mores hominum totum hoc negocium retulisse videtur, dum ait: *Investigantes igitur illud undiqve, invenimus, qvoniam singuli horum, qvi sanctissimas Ecclesias ædificaverunt in hâc felicissimâ civitate, non pro ædificio solummodò cogitaverunt, sed etiam, ut expensas sufficientes darent à se factis venerabilibus domibus, & determinarent, qvantos qvidem competens esset presbyteros per unamqvamqve Ecclesiam, qvantosqve diaconos masculos atqve fœminas, & qvantos subdiaconos & rursus cantores atqve Lectores & Ostiarios constitui. & super hac etiam Oratorii expensas definierunt, & reditûs proprios dederunt sufficientes iis, qvæ à se constituta sunt &c.* Non provocat Justinia-

H 2 nus

nus ad legem aliqvam anterioris cujusdam principis, uti in ejusmodi rebus facere aliàs folitus eſt, ſed invenire ſe ita obſervatum dicit, neqve immutat qvicqvam, niſi qvod in ſeqventibus numerum Clericorum contrahendum eſſe, præſcribit.

VI. Poſtqvam verò deinceps lege publicâ dos Eccleſiæ neceſſaria facta eſſet, ſecuti ſunt ex conciliis in eandem rem Canones qvamplurimi, qvibus inhibetur conſecratio, niſi de dote anteà conſtitutum fuerit. In Concilio Aurelianenſi IV. qvod anno CHRISTI DXLV. habitum eſt, hæc leguntur verba *canon. 33. Si qvis in agro ſuo aut habet, aut poſtulat habere diœceſin, primùm & terras ei deputet ſufficienter, & Clericos, qvi ibidem ſua officia impleant, ut ſacratis locis reverentia condigna tribuatur.* Ex alio Concilio Aurelianenſi Gratianus *cap. 7. de conſecrat. diſt. 1.* hanc nobis refert ſententiam: *Nemo Eccleſiam ædificet, anteqvam Epiſcopus civitatis veniat & ibidem crucem figat, publicè atrium deſignet: & antè præfiniat, qvi ædificare vult, qvæ ad luminaria & ad cuſtodiam & ad ſtipendia cuſtodum ſufficiunt: & oſtenſâ donatione ſic domum ædificet: & poſtqvam conſecrata fuerit, atrium ejusdem Eccleſiæ ſanctâ aqvâ conſpergat.* Eadem hæc verba inter capitula Karoli Magni & Ludovici Pii inveniuntur *lib. 5. tit. 29.* & hâc ratione legis publicæ formam acceperunt.

VII. Pari modo Lotharii Imperatoris temporibus anno DCCCLV. Valentiæ in Galliis Concilium coactum præſidibus Remigio Lugdunenſi, Egilmaro Viennenſi, Rodlando Arelatenſi Archi-Epiſcopis talem edidit canonem *cap. 9. Sed & ipſi ſeculares & fideles Laici, ſi condere voluerint baſilicas in prædiis ſuis, ſicut edictum piiſſimorum Auguſtorum continet, unicam colonicam veſtitam cum tribus mancipiis, dotationis gratiâ, eis conferant: moxq; Epiſcoporum juri & ſanctæ matri Eccleſiæ eandem baſilicam ſubmittant, aliter verò nos earum conſecrationem ſciant non impleturos &c.* Edictum illud, cujus hic fit mentio, extat inter capitula Karoli Magni *lib. 1. c. 91.* & refertur in vitâ Ludovici Pii apud Aimoin. *continuat. lib 5. c. 10.* Qvid autem ſit colonica veſtita, explicabimus infrà, qvando de materia dotis agendum erit.

VIII. In Concilio Wormatienſi *can. 3.* tali modo decretum legimus: *Unusqvisq; Epiſcopus meminerit, ut non priùs dedicet Eccleſiam, niſi anteà dotem Baſilicæ, & obſeqvium ipſius per donationem chartulæ confirmatum accipiat; Nam non levis eſt iſta temeritas, ſi ſine luminaribus, vel ſine*

ſub-

substantiali sustentatione eorum, qui ibidem servituri sunt, tanqvam domus privata consecretur Ecclesia. Hæc eadem verba ex concilio Bracarensi II. qvod anno DLXXII. celebratum fuit, petita sunt, à qvo prorsus idem statutum est *can. 5.* Talia adduci possent plura, si opus esset. Qvod si insuper decretales Pontificum Epistolas in testimonium vocare liceret, dies nos deficeret, si qvidem singula annotare oporteret. Nobis hîc plura addere nec lubet, nec vacat.

IX. Qvod de Ecclesiis diximus, idem illud etiam ad Oratoria fuit productum, ut & illis dos certa assignaretur. Sed hîc repetenda est distinctio Oratoriorum, qvam suprà *cap. 2.* proposui. Ut enim Oratoriis merè privatis dos constitueretur, nulla svadere potuit ratio. Ædificabantur illa solius orationis & precum gratiâ, qvas in ædiculis istis majore cum devotione effundi posse arbitrabantur. Mysteria alia nulla peragebantur, aut si qva talia peragi qvis vellet, reqvirendus erat singulis vicibus consensus Episcopi. Atqve idcircò, qvod de dotatione Oratoriorum aliqvando legitur, id vel de ipsis Ecclesiis accipiendum est, vel de tali specie Oratoriorum, qvæ merè privata non erant, nec solius orationis gratiâ habebantur.

X. Eadem dotandi necessitas etiam ad altaria extensa fuit. Et qvidem unicum tantùm erat antiqvitùs in unâqvâqve Ecclesiâ altare, cùm nec pluribus opus esse crederetur. Σεμνὸν, καὶ μέγα καὶ μονογενὲς θυσιαστήριον in templo Tyriorum fuisse refert autor Panegyrici Paulino Tyriorum Episcopo dicti apud Euseb. *lib. 10. cap. 4.* augustum magnumqve & unicum altare. Sed augeri deinceps numerus eorum cœpit, & nunc in tantam excrevit copiam, ut hodiè, qvot columnis sustentantur basilicæ, tot adposita ferè numerare liceat altaria. Viginti qvinqve altaria, qvæ in Ecclesiâ majore Cluniacensi extant, qvæqve singula specialiter alicui Sancto dedicata & consecrata sunt, ordine recenset Franciscus de Rivo *in Chron. Cluniacens.* Ulmenses templum parochiale ingentibus impensis excitatum unâ & qvinqvaginta aris elegantissimè decorasse refert Caspar Bruschius apud Hospinian. *de orig. templ. lib. 1. c. 6.* Et in templo Antverpiensi septuaginta altaria visa fuisse, ex historiâ superioris seculi cognitum habemus. Vid. Ern. Eremund. *in histor. Belg. tumult. p. m. 204.*

XI. Qvo tempore ita multiplicari cœperint altaria, & qvæ ejus multiplicationis fuerit ratio, non satis constat. Credo ego ex multitudine missarum, quæ uno die haberi solebant, numerum istum pri-

mùm exortum fuiſſe. Conſtitutum ſcil. fuerat in Concilio Antiſiodorenſi *can. 10.* hunc in modum: *Non licet ſuper uno altario in uno die duas miſſas dicere: nec in altario, ubi Epiſcopus miſſas dixerit, presbyter in illâ die miſſas dicat.* Non prohibet canon plures unâ in uno die dicere miſſas, ſed prohibet dicere plures in uno altari, qvod argumentum facit, jam eo tempore miſſas uno die plures celebratas fuiſſe. Habitum autem eſt Concilium Antiſiodorenſe ſub Gregorio I. anno Domini DXC, uti vult Franciſcus Longus â Coriolano, & Severinus Binius, ſive ſub Papa Theodato, qvi aliàs Deusdedit dicitur, circa annum DCXV. uti putat Bartholomeus Caranza.

XII. Nec igitur mirum, tempore Gregorii I. qvem Magnum aliàs dicere ſolent, Palladium Epiſcopum Sanctionis, tredecim altaria in unâ Eccleſiâ â ſe conſtructâ collocaſſe, uti patet ex dicti Gregorii *lib. 5. indict. 14. epiſt. 50.* Qvòd enim putat Georgius Calixtus, Vir cæteroqvin in hiſtoriâ Eccleſiaſticâ verſatiſſimus, *de miſſis ſolitar. n. 18.* per altaria iſta memorias martyrum intelligi oportere, eamqve in rem adducit verba Jacobi Auguſti Thuani, tùm & Canonem 14. Concilii Carthaginenſis qvinti, vereor, ut eam interpretationem ferre qveant literæ Gregorii. Idqve ut clariùs pateat, ſingulorum verba recenſebo. Thuanus *lib. 2. commentar. de vitâ ſuâ.* cùm retuliſſet, qvâ ratione Auguſtam Auſciorum Novempopuloniæ olim caput perveniſſet, & qvæ ibi obſervaſſet, inter alia ſic ait: *Hic & luſtratum S. Orentii templum, in qvo & paræcia eſt, id infimâ vetuſtatis paulum à ruinâ abeſt, qvamvis optimis vectigalibus dotatum cœnobium, qvod ad Cluniacenſem metropolim pertinet, in eoqve juvit ſpectare altaria, hinc inde in templo poſita, qvæ ſunt ſepulchra martyrum, ad qvæ Chriſtiani cœtus olim celebrari ſolebant, non menſæ, ut ſunt noſtra, ſpecie plana jacentia, ſed dorſi gibbo aſſurgentia, cum notâ labari inſcriptione, qvæ duabus literis Græcis Chriſti nomen refert. qvod purioris antiqvitatis ſeculum procul dubio arguit.* Ut in his ſtatuamus, miſſas celebratas fuiſſe, non admittit forma, qvam deſcribit Thuanus, celebratos tamen ad ea Chriſtianorum cœtûs non videtur improbabile, qvandoqvidem ſolenne hoc fuit Chriſtianis, ut perſecutionum tempore in cœmeteriis ſacra ſua haberent. Vid. Dav. Blondell. *in apol. de Epiſc. & presbyt. Sect. 3. p. m. 243.*

XIII. Canon decimus qvartus Concilii Carthaginienſis qvinti, uti eum recenſet Chriſtophorus Juſtellus *in Cod. Can. Eccleſ. African. ſub num. 83.* ita habet integer: *Item placuit, ut altaria, qvæ paſſim per agros & per vias, tanqvam memoriæ martyrum conditæ probantur, ab epiſcopis, qvi locis eiſdem præſunt, ſi fieri poteſt,* ever-

evertantur: si autem hoc per tumultus populares non finitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca freqventent, ut qvi rectè sapiunt, nullâ ibi superstitione divincti teneantur, & omninò nulla memoria martyrum probabiliter acceptetur, nisi ubi corpus aut aliqvæ reliqviæ sunt, aut origo alicujus habitationis vel possessionis vel passionis fidelissima origine traditur. Nam qvæ per somnia & per inanes qvasi revelationes qvorumlibet hominum ubicunq; constituuntur altaria, omnimodo improbentur. Refert ea eodem contextu Gratianus *c. placuit. de consecrat. dist. 1.* & loqvitur Canon de Cenotaphiis, qvæ honorarios tumulos appellat Svetonius, qvæqve non ipsa defunctorum cadavera continebant, sed famam tantùm & nomen, ut in eo loco, in qvo corpus non poterat, memoria & laudes demortui ostenderentur.

XIV. Gregorii verò epistola *d. l.* ita se habet: *Veniens lator præsentium Leuparicus presbyter vester insinuavit nobis; fraternitatem vestram Ecclesiam in honorem B. Petri & Pauli Apostolorum, nec non Laurentii atque Pancratii martyrum construxisse, atqve illic tredecim altaria collocasse, ex qvibus qvatuor nec dum dedicata comperimus remansisse, ob hoc, qvod supra scriptorum sanctorum reliqvias illic collocare Deo annuente disponitis. Et qvia reliqvias Sanctorum Petri & Pauli, nec non Laurentii atqve Pancratii martyrum cum veneratione præbuimus, hortamur, ut eas cum reverentia suscipere & collocare auxiliante Domino debeatis: provisuri ante omnia, ut servientibus ibidem non debeant alimoniarum deesse suffragia.*

XV. Non agit de cenotaphiis Gregorius, nec de tumulis, cadavera defunctorum continentibus, sed de altaribus in memoriam martyrum extructis & solenni dedicatione consecrandis, qvorum novem jam dedicata fuerant, qvatuor autem reliqva dedicari ideò non poterant, qvia destituebantur reliqviis, sine qvibus nulla jam eo tempore fieri poterat consecratio. Ut igitur consecratio procederet, mittit Gregorius Sanctorum istorum reliqvias sub altaribus recondendas, & jubet simul, ut Palladius dotem istis altaribus constituat, ne desint ministrantibus alimenta. Agit igitur de veris altaribus ministerio sacro destinatis, & qvidem in Ecclesiâ à Palladio noviter extructâ.

XVI. Eandem tamen cum Calixto tenet sententiam Joh. Bapt. Casalius *de veter. Sacr. Christian. ritib. c. 33.* plura in unâ Ecclesiâ altaria tot sepulchra martyrum denotasse, qvod, ubicunqve martyr esset conditus, illic altare erigi consveverit. Quod qvidem aliqvando & alicubi factum non negem; factum verò id sem-

ſemper & ubiqve, non auſim aſſerere. Qvanqvam neqve hoc diffitear, non fuiſſe ſeqvioribus temporibus conſecratum aliqvod altare, quod non contineret reliqvias alicujus Sancti. Vid. quæ dixi ad Lancelotti inſtitut. jur. Canon. Et notat idem Caſalius *in notabilib. p. 414.* in loco Eccleſiæ, qvi Confeſſio dictus fuit, antiqvitus brandea adponi ſolita, & vice ipſarum reliqviarum inter pios fideles diſpenſata fuiſſe. Brandeum autem dicebatur velamen, qvod admoveri ſolitum erat ſanctis martyrum corporibus, Baron. *in martyrolog. ſub XV. Jun. p. 369. & lib. 1. annal. p. 467. & l. 8. p. 84. & lib. 9. p. 299.* aut etiam, qvo conſecratum corpus Domini involvebatur. Vid. Sigebert. Gemblacenſis *ad ann. CCCCXLI.*

XVII. Multitudo hæc altarium promiſcuè deinceps & ubiqve in Eccleſiis Occidentalibus recepta, inutilis tandem & oneroſa viſa fuit Eccleſiaſticis Viris. In appendice primâ ad librum quartum capitularium Karoli Magni per Anſegiſum Archi-Epiſcopum Senonenſem collectorum *ſub n. 7.* hæc legitur ἐπιγραφὴ: *De Eccleſiis ſine honore manentibus, absq; officii & luminaribus: & de his, qvi decimas ſumunt & de Eccleſiis non curant: & de altaribus, ut non ſuperflua ſint in Eccleſiâ.* Capitulum ipſum ampliùs non extat. Videtur tamen, uti ex inſcriptione patet, non omnis numerus altarium prohibitus, ſed tantùm, ne ſit ſuperfluus, ut non plura altaria in Eccleſiis erigantur, quàm qvæ neceſſaria ſunt pro miſſarum celebratione: ita ut nullum ſit, in qvos ordinariè per ſingulos dies ſacrificium non offeratur, uti commentatur Ludovicus Bail. *in addit. ad Summ. Concil. Coriolani pag. 11.* Sic & ſuperiori ſeculo in concilio Aquenſi provinciali anno MDLXXXV. celebrato *tit. de altari,* hunc in modum ſtatutum legitur: *Id inprimis propoſitum habeat Epiſcopus, nimiam altarium freqventiam eſſe vitandam, ac ne illa, ut uſu evenire ſolet, ornamentis neceſſariis, qvo plura ſunt, eò faciliùs deſtituta remaneant.*

XVIII. Cæterùm de multitudine altarium, ut hoc obiter addam, placet omnino, qvod ſcribit Marcus Antonius de Dominis *de Rep. Eccleſ. lib. 5. c. 6. n. 248.* dum ait: *Nullam pariter invenio memoriam, tot miſſas privatas fuiſſe unâ die in eodem templo, imò & ſimul, ac eodem tempore in pluribus ejusdem templi altaribus celebratas: ſed propter populi communicaturi freqventiam, bis & ter in unico & eodem altari ſucceſſivè miſſam celebratam, ſive ab eodem, ſive â diverſis miniſtris. — Altarium verò multitudo in eâdem Eccle-*

Ecclesiâ est manifestum schismatis signum: & qvia altare Christum repræsentat, & Christus unicus est, ideò unicum altare in singularum Ecclesiarum consecrationibus consecrari solitum invenio. &c.

XIX. Qvotqvot verò altaria in Ecclesiâ aliqvâ exstructa fuerunt, singula ea si non specialiter, saltem in genere cum integrâ Ecclesiâ, & eo liberaliùs qvidem, qvò plura ea fuerunt, dotari oportuit. Et compelli debere constructorem altaris, ut congruam ei assignet dotem, tradit Julianus Vivianus *de jur. patron. lib. 2. cap. 4. n. 27.* Sed & singula plerumqve speciales suos reditûs & obventiones hodiè habent, qvas ex donationibus fidelium Rectores illorum percipiunt. Plurima talium donationum instrumenta in veterum chartis reperire licet, sed qvæ hîc colligere & prolixè recensere non est, ut â nobis exigatur. Unicum tantùm, qvod obvium nobis & qvasi in visceribus nostri Athenæi natum est, adscribere libet, & qvo abunde, qvalis superiorum seculorum vel devotio vel superstitio fuerit, constare qveat. Atqve id continet sive dotationem, sive ejus argumentum, qvod Wenceslaus Elector Saxoniæ fecit altari Sancti Wenceslai Martyris in templo omnium Sanctorum, qvod hîc Wittebergæ est, his verbis:

„ *In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis feliciter, Amen.* „ *WENCESLAUS Dei gratiâ Angariæ, Westphaliæ, Saxoniæ & Lüneburgensis Dux, Comes Palatinus Saxoniæ, Comes Brenensis, ac Sacri Romani Imperii Archimarschallus: notum facimus tenore præsentium universis & singulis, Christi fidelibus, tàm præsentibus, qvàm futuris.* „

„ *Expedit debitis obseqviis rationabiles creaturas suum cognoscere Creatorem, ast cis, qvibus cultus divinus & animarum salus augetur, dignum favorem impendere ac personarum Ecclesiasticarum studio, vacantium piæ vitæ indemnitatibus, salubriter providere. Hinc est; qvod nos ob memoriæ celebris inclytorum progenitorum nostrorum remissionem peccaminum, ac nostra, & successorum nostrorum animarum felix remedium, animo deliberato, ex certâ scientiâ, nonper errorem aut improvidè, sed maturo super eo habito consilio, ob reverentiam & honorem DEI omnipotentis, suæq; matris Virginis intemeratæ, ad altare S. Wenceslai, Martyris, pro primâ missâ Capellæ omnium Sanctorum in Wittenberg, incorporavimus, appropriavimus, incorporamus, appropriamus perpetuè per præsentes, unam curram, cum duobus mansis, in Villa Kli-* „

"*zene omni & pleno jure; item in* "*villa Berkzan super qvinqve mansis* "*etiam mediam, sexagenas praeciso*"*rum grossorum. item in villa Gomo*"*law unum chorum siliginis; in villa* "*Ritegast, novem modios siliginis,* "*novem modios tritici, decem & octo* "*modios avenae. in villa Dornau me*"*diam sexagenam praecisorum grosso*"*rum super uno manso. in villa Wer*"*begk super qvatuor mansis duos* "*choros avenae; item super desertâ* "*marchiâ Vitleisen propè oppidum* "*Nymik unum chorum hordei cum* "*tribus solidis denariorum, item in* "*villa Wartenberg super medium* "*mansum mediam sexagenam praeci*"*sorum grossorum. De qvibus bo*"*nis praefatis dicti altaris Rector pro* "*tempore existens Dominis Capellae* "*praefata tres sexagenas praecisorum* "*grossorum cum decem grossis latis,* "*annis singulis ministrabit. Dantes* "*proprietatem eorundem plenariè* "*Ecclesiasticae libertati: cedentes li*"*berè pro nobis & heredibus nostris* "*omnibus & singulis feudis & juri*"*bus, qvae nobis in dictis bonis hac*"*tenus competebant, seu qvomodo*"*libet competere possint in futurum.* "*Jure tamen superioritatis, tuitionis* "*& dominii nobis & successoribus* "*nostris in eisdem specialiter reser*"*vatis. Proviso vero, qvod Rector* "*dicti altaris, qvi pro tempore fue*"*rit, nostrae, progenitorum & suc*"*cessorum nostrorum sedulam & perennem habeat memoriam anima*"*rum; harum qvibus sigillum no*"*strum appensum est, testimonio lite*"*rarum. Datum Wittemberg anno*" *Domini millesimo trecentesimo se*"*ptuagesimo qvinto, ipso die beati*" *Gregorii Episcopi.*"

XX. Talia donationum instrumenta inter antiqvos hujus provinciae scripturas reperiuntur plura. Atqve ista altaria saepè ab integris opificum societatibus atqve Collegiis fundata fuisse, oppidum Hertzbergense in viciniâ attestari poterit, in cujus rationibus Ecclesiasticis reperiuntur consignati reditûs ex altari sutorum, ex altari pellionum, & sic porro. Ita etiam in antiqvis Ecclesiae Wittebergensis documentis fundata leguntur altaria diversorum Collegiorum: der Elenden Altar/ der Tuchmacher Altar/ der elff tausend Ritter Altar: der Schuster Altar/ der Fuhrleute Altar/ &c. Talia altaria alicubi dicuntur Lehn. In matriculâ enim Consistorii Ecclesiastici Wittebergensis, de anno MDLV. in recensione redituum Ecclesiae Belzigensis inter alia haec habentur verba: Dem Spital zum heil. Geist haben drey Altar oder Lehn gehört/ jeder Altar hat gewisses Einkommen an Gelde und Getreidich. Credo ego per vocabulum istud Lehn significari jus patronatûs Xenodochio super ista altaria competens. Tale namqve jus patronatûs Germanis qvandoqve dici

Pfarr-

Pfarr-Lehn oder Geistlich Lehn / notat Sigm. Finckelthaus *de jure patron. cap. 1. num. 14.* & eum, qvi construit altare cum consensu Episcopi, acqvirere jus patronatûs in istud altare, communis est Canonistarum sententia. Vid. Roch. de Curte *de jur. patr. tit. de construct. Eccles. n. 9.* Paulus de Citadinis *part. 3. cauf. 1. n. 54.*

XXI. Facit huc instrumentum, qvod anno MCCCI. confectum refert Martinus Crusius *annal. Svevic.*
„*l. 3. p. 3. Quia pium est, &*
„*DEO præ aliis humanis actibus*
„*acceptum, cultum divinum divini-*
„*tus augmentare: idcirco ego Got-*
„*fridus de Niffen, Canonicus majo-*
„*ris Ecclesiæ Augustensis & Rector*
„*Ecclesiæ in Weissenborn, volens*
„*prospicere saluti propriæ & saluti*
„*animarum progenitorum meorum,*
„*de consensu & auctoritate venera-*
„*bilis Patris Wolfhardi Episcopi*
„*Augustensis & Capituli ejusdem,*
„*& Alberti Comitis de Marstetten*
„*dicti de Niffen mei fratris patroni*
„*Ecclesiæ parochialis prædictæ, con-*
„*struxi duo altaria in Ecclesiâ meâ*
„*jam dictâ; & eadem dotavi qvinq;*
„*curiis.----Et vult, ut prædictus fra-*
„*ter suus & ejus successores habeant*
„*jus præsentandi ad illam præbendam*
„*personam idoneam, qvæ sit actu Sa-*
„*cerdos, et resideat ibidem, ac celebret,*
„*sive dicat missam cotidiè summo*
„*manè in illis altaribus.* &c.

XXII. Addamus ex nostris his provinciis, & ex ipsis hujus Urbis Wittebergensis monumentis exemplum aliud, idqve valdè illustre. Wir Rudolff von GOttes gnaden zu Sachsen und Lüneburg Hertzog / Pfaltzgraffe zu Sachsen / Graffe zu Brehna / Burggraffe zu Magdeburg / des heiligen Römischen Reichs Ertz-Marschall / und Churfürst / Bekennen und thun kund offendlich mit diesem Briefe allen denen / die ihn sehen oder hören lesen / daß vor uns gekommen seyn Er Niklas Pfluckaff unser lieber andächtiger und darzu die gantze Brüderschafft der Schützen zu Wittenberg unsere lieben getreuen / und haben uns eintrechtiglichen angericht / wie daß sie dem allmächtigen Gott unserm HErrn seiner gebenedeyten Muttern Mayth Marien czu eren und würdigkeiten / und den heiligen dreyen Köningen / Sanct Sebastiano dem heiligen Merterer czu lobe / und allen seligen selen czu trosse einen neuen Altar / der in der Pfarrkirchen czu Wittenberg gelegen ist / von neues uffstiff-

uffstifften / und mit rechten Renthen / gülden und zugehörung vermachen wollen / und haben uns demüthigli-chen gebeten / daß wir unsern willen und fullborth (Vollwort) darzu geben wollen. Und wann wir nu in derselbigen Brüderschafft und gesellschafft seyn / und die vorstehen verwesen und handhaben helffen / und auch daß wir je von einflosse und anweisung unsers Schöpfers und HErrn darzu geneiget sollen seyn / daß wir je die ehre und das lob des ehgenanten unsers HErrn und seiner Heiligen nach unsern Vermögen je mehren und nicht krenken noch schwechen sollen / nach dem daß her uns mildiglichen alle güte von seinen Göttlichen gnade / alle täglichen erzeiget / und uff daß / daß solche göttliche Dinge vollführt und vollzogen werden / So haben wir der ehgenanten Brüderschafft vernünfftigliche Bethe angesehen / und haben darumb mit wohlbedachten Muthe / rechter wissen / zu solcher Stifftung und machung des ehgenanten Altars unsern willen / wissen und fullborth gegeben / und geben darzu unsern willē / wissen und fullborth in crafft dies Brieffs / also daß die ehgenanten Schützen der Brüderschafft einen Priester / der zu den Priesterlichen Orden geweihet und geordnet ist / zu demselbigen Altar setzen und geben mögen / in solcher weise und masse / alß hier nachgeschrieben steht / der denselben Altar mit Massen verwesen und belesen soll / mit nahmen / daß der uff denselben altar alle Wochen gleich fünff messen lesen und bestellen soll / zwu messen allen gläubigen seelen / die von dieser Welt geschieden seyn zu Trost / und drey messen GOtt unsern HErrn und seinen Heiligen zu lobe / worzu er von GOtt unsern HErrn die Gnade hat zuhalten / also daß dieselben messen fürbaß mehr auch nicht abegehn noch fallen sollen / in keiner weise. Und sintemahl daß der ehgenante Er Niklas Pflukauff mit guter andacht etzlichen Handreichung und Hülffe zu demselbigen Altar gethan

gethan hat/ So habẽ wir Jhm mit der Brüderschafft der ehgenanten Schützẽ einträchtiglichen zugegeben und gegunst. Zugeben und gönnen Jhm in Crafft dieß Brieves also/ daß er die erste Lehn über denselbigen Altar haben und thun soll/ und darnach wenn derselbe Altar von todes wegen des ehgenanten Er Pflukafes ledig und loß wird/ So sollẽ nũ mögen die Brüderschafft d Schützen/die nur seyn/und hernachmahls komen/einen Bederbeman/ der darzu geschickt und geordnet ist/ sämblichen kiesen und erwehlen/ und sollen denselbigen Uns/ unsern Erben/ Nachkommen Hertzogen zu Sachsen entworten/ und denselbigen den wollen wir/adder unsere Nachkomen den ehegenanten Altar leihen und ohne gefehrde reichen/ und Brieff darüber geben/als gewöhnlich ist. Doch also/ daß derselbe Altar bey allen seinen Ehren/ Würden und Wesen bleiben soll/ daß die Messen uff denselben Altar zu halten/ als vor geschrieben ist mit nicht abgehen soll in keiner Weiß.sondern wenn und wie dicke darnach in künfftigẽ Zeiten der ehegenante Altar ledig und loß wird/ So behalten wir uns/ unsern Erben und Nachkommen Hertzogen zu Sachsen die Lehn desselbigen Altars darüber also lauterlichen. Doch daß wir/unsere Erben und Nachkommen Hertzogen zu Sachsen fürbaß mehr den ehegenanten Altar verleihen und reichẽ wollẽ und mögen/ wie offt und dick dieß noth seyn und also kommen wird/ ausgeschlossen alle geverde. Doch so setzen wir und wollen/daß der Verweser/dem der Altar zu zeiten also geliehen wird/unser/unser Eltern Vorfahren und Nachkommen Hertzogen zu Sachsen/ und auch die in derselbigen Brüderschafft seyn und zu künfftigen Zeiten darinne kommen werden/ ihrer seelen in seinen messen und gebeten stetiglich haben/und unsern HErrn GOtt mit Fleiß vor sie bitten soll. Wir sein auch mit ehgenanten Brüderschafft eins worden/ also/ wenn und uff welche Zeit iemands

mands aus der Brüderschafft vom todes wegen abgehet, denselben oder dieselben Brüderschafft erbarlichen mit vigilien und mit messen begehn als gewöhnlich ist/ und darzu so sollen kommen alle und iegliche/ die in derselbigē Brüderschafft seyn / nehmlich wer gemelt ist/ das der darzu komme oder sein weib / von ihrer beyder wegen dabey habe, alsodaß ihrer einer je dabey kommen soll, und solle die Begehung erbarlichē thun. Welcher aber also nicht entkommet ohne ehhafftige noth/ derselbe oder dieselbigen sollen verfallen und geben sechs Wittenbergische pfennige. Dieselben pfennige solle die Brüderschafft zu der ehre unsers HErren GOTTES und seiner Heiligen / gentzlichen kehren und wenden ohne gevehrde. Mit uhrkund dieß Briefs versiegelt mit unsern anhängenden insiegel. Geben zu Wittenberg nach Christi Geburth vierzehen hundert jahr / darnach in dem zwölfften jahre / dienstages nechst vor unsers HERRN Leichnams Tage.

XXIII. Cùm in hoc genere diplomatum versemur, addam adhuc aliud eandem Ecclesiam Wittebergensem concernens, cùm in eo plurima habeantur, quæ ad illustrationem totius hujus materiæ haud parùm faciunt. Istud autem sic se habet:

In Nomine DOMINI, Amen. Wenceslaus DEI gratiâ Angariæ, VVestfaliæ, Saxoniæ & Luneburg Dux, Comes Palatinus Saxoniæ, Comes Brenensis, Burggravius in Magdeburg, ac sacri Rom. Imperii Archimareschallus ad perpetuam rei memoriam. Licèt multæ sollicitudines ex officio Ducalis nostri dominii nobis incumbant, ad ea tamen merito curam nostram convertimus, quæ cultus divini concernunt augmentum, nobisq; ac progenitoribus nostris in remedium proficiunt salutare. Hinc est, quod nos de expresso beneplacito & consensu illustris Principis ac Domini, Domini Alberti Ducis Saxoniæ & Luneburg Patrui nostri dilecti ad reverentiam & honorem DEI omnipotentis, ejusq; matris Virginis intemeratæ, animo deliberato ex certâ scientia, non per errorem aut improvidè, sed maturo habito consilio, ob felicis memoriæ progenitorum nostrorum Ducum Saxoniæ, remissionem peccatorum ac æternæ retributionis intuitu altaris Beatæ Virginis Sanctorum Johannis & Matthei

"*thei Apostolorum & Evangelista-* "*rum & Johannis Baptistæ præcurso-* "*ris Domini constructo & fundato in* "*capellâ novâ sancti corporis Chri-* "*sti & ejus sangvinis preciosi consti-* "*tuta in cœmiterio parochialis Eccle-* "*siæ Wittenberg pro sustentatione* "*congruâ Rectoris perpetui seu mini-* "*stri, qvi est vel pro tempore fuerit* "*pro primâ missâ ejusdem altaris* "*deputatus, appropriavimus, applica-* "*vimusqve & tenore præsentium in* "*perpetuum appropriamus & appli-* "*camus bona, census, reditus ac pro-* "*ventus annuos infrà scriptos. Pri-* "*mô in villa* Bitegast *super curiâ* "*Rudeman senioris de uno manso* "*qvatuor modios tritici, qvatuor* "*modios siliginis & octo modios ave-* "*næ. Super curia Rudeman junioris* "*de altero medio manso sex modios* "*tritici &c.* (Seqvitur longa enumeratio rerum donatarum, & post eam iste porrò verborum con- "textus :) *Eo signanter proviso,* "*qvod Rector altaris suprà dicti, qvi* "*est vel pro tempore fuerit pro pri-* "*mâ missâ deputatus unam in cantan-* "*do servabit hebdomadam, Rector* "*verò altaris ejusdem secundæ missæ* "*deputatus aliam tenebit in cantan-* "*do septimanam, & sic alternatim* "*vices suas compleant, juxta teno-* "*rem, qvi seqvitur, prout etiam in* "*literis nostris super secundâ missâ* "*ejusdem altaris editis lucidè conti-*

netur. Ita videlicet, qvòd Rector," *altaris sæpe dicti pro primâ missâ,*" *deputatus singulis qvintis feriis se-*" *ptimanæ se tangente unam missam,*" *in honorem corporis Christi, & die-*" *bus sabbatis aliam missam de beatâ,*" *Virgine intra primam & summam,*" *missas in dictâ parochiali Ecclesiâ,*" *decantandum perpetuis futuris tem-*" *poribus solemniter debeat decanta-*" *re, nisi fortè Rector secundæ missæ,*" *seu minister loco sui libens ac spon-*" *te voluerit celebrare, reliqvis verò,*" *diebus cujuslibet septimanæ dicti,*" *altaris Rector tempore supradicto,*" *prout sibi DEUS inspiraverit, &*" *devotionem habuerit, sine tamen,*" *præjudicio plebani in Wittenberg,*" *missam legere sit adstrictus. Su-*" *per qvo conscientiam ejus oneramus,*" *Nec idem Rector altaris suprà di-*" *cti qvi est, vel pro tempore fuerit,*" *pro primâ missâ deputatus alium,*" *loco sui pro hujusmodi suo officio,*" *salubriter peragendum deputare,*" *possit. Sed apud dictum altare,*" *continuam debebit facere residen-*" *tiam personalem. Debet etiam,*" *se plebani dictæ parochialis Ecclesiæ,*" *qvi est vel pro tempore fuerit vo-*" *luntati & beneplacito cum diligen-*" *tiâ conformare. Volumus etiam,*" *& decernimus per præsentes, qvod,*" *dicti reditus, census, fructus & pro-*" *ventus exnunc inanteà perpetuò gau-*" *dere debeant plenariè Ecclesiasticâ,*" *liber-*

"libertate, cedentes liberè pro nobis, heredibus & successoribus nostris in perpetuum omnium juri & dominio, qvod nobis dictis heredibus & successoribus nostris in bonis & censibus hujusmodi hactenus competebat, seu competere posset in futurum ---- ---- salvo tamen superioritatis ac tuitionis dominio, nec non supremo judicio in villis & & earum hominibus, qvod nobis heredibus & successoribus nostris prædictis reservamus expressè. Jus verò patronatûs seu præsentandi ad dictum altare seu ad primam missam ejusdem qvoties vacare contigerit ad honorabilem Johannem de Beliz plebanum in Wittenberg devotum nostrum dilectum, nec non Conradum Vinitoris civem ibidem qvoad vixerint ambos in solidum volumus pertinere, post mortem autem amborum idem jus patronatus seu præsentandi ad nos heredes & successores nostros liberè devolvatur. Insuper addicimus, qvod si altari hujusmodi bona eqvivalentia unqvam futuris temporibus applicare seu appropriare vellemus loco illorum, ex tunc bona census, reditûs & proventus prædicti ad nos, heredes & successores nostros, liberè revertentur. Etiam omnia, & singula offertoria, qvæ in sæpè dicta capella oblata fuerint pro plebano dictæ parochialis Ecclesiæ Wittenberg, qvi est vel pro tempore fuerit perpetuò reservamus, his qvæ in cerea seu cereis offerri contingat, duntaxat exceptis, qvæ ad luminaria inibi conservanda volumus juxta giter pertinere. Volumus etiam & expresse addicimus, qvod Rector altaris sæpè dicti nostri nec non progenitorum nostrorum tàm in orationibus qvàm in missis jugem facere debent memoriam in nostrum & ipsorum remedium salutare. Harum qvibus sigillum nostrum authenticum, appensum est testimonio literarum. Datum Wittenberg *anno Domini, millesimo trecentesimo septuagesimo, septimo ipso die sancti Bonifacii papa & martyris."*

CAPUT VI.
Cui incumbat onus dotandi Ecclesias.

SUMMARIA.

A qvo dotatio Ecclesiæ fieri debeat & possit? n. 1, 2, 3, 4, 6, 7, 9, 11, 12, 13, 14.
Jus patronatus acqviri vel fundatione, vel ædificatione, vel dotatione. n. 2.

Dotis

Dotis constitutionem pracedere debere consecrationem, imò ipsam ædificationem, n. 3.

Num dotatio ista intelligenda sit cum effectu, aut sufficiat cautio? eôd.

Dotis constitutionem ante ædificationem omissam, fieri debere ante consecrationem, neq; desisti posse à semel cœptâ ædificatione; & qvomodò cœpisse qvis opus intelligatur? n. 4.

Qvomodò compellatur detrectans perficere cœptum opus? n. 5.

De favore Ecclesiæ & civitatis, & earundem æqviparatione qvoad privilegia, item de Actionis, qvæ adversus recusantem perficere cœptum opus datur, qvalitate, eôd.

Constitutionem dotis ante consecrationem omissam fieri oportere post eam, n. 6.

Gradus obligationis in dotationis negocio qvi sint? eôd.

Num etiam heredes ædificantis obligentur ad constituendam dotem? n. 7.

Comparatio dotis Ecclesiæ post consecrationem constitutæ cum dote, qvæ datur in matrimonio carnali; & differentia inter has dotes, n. 8.

Num & unde dotari debeat Ecclesia, si is, qvi consecrari eam fecit, aut heredes ejus, constituendæ doti non sufficiant? n. 9.

De consvetudine nonnullarum gentium, qvâ eorum, qvi construxerunt Ecclesiam, dotare verò eam aut neqveunt, aut nolunt, arma & insignia dejiciuntur, & sepulchra de loco constituto tolluntur, n. 10.

Statuarum detractionem, nominis expunctionem, insignium dejectionem & memoriæ extinctionem injuriam esse, si pœna non sit, eôd.

De necessitate dotandæ Ecclesiæ parochianis aliqvando imposita & incumbente, n. 11, 12, 13.

Nostrarum provinciarum in reficiendis aut restaurandis templis, item in constituendis pastorum & ministrorum Ecclesiæ salariis observantia, num. 12, 13.

Num, qvi Ecclesiam semel congruè dotavit, dote istâ casu extinctâ & deperditâ, dotare denuò teneatur? n. 13.

Parochianos ex eo, qvòd sufficientes pastori suo reditus semel constituerint, a collationibus immunes non esse, si reditûs illi casu defecerint & deperditi fuerint, eod.

Minorem non posse sine Magistratus decreto dotem constituere Ecclesiæ, n. 14.

Causa pia subtilitatem legum respuit, eôd.

Minorum personas & bona, donec ad perfectam ætatem pervenerint, defendi & servari, Juris naturalis esse, eôd.

K Post-

POstqvam, uti in antecedentibus exposui, non intelligeretur esse Ecclesia, qvæ non consecrata esset, consecrari autem non potuerit, nec debuerit, nisi de dote ei provisum fuisset, *c. 8. X. de consecrat. Eccles.* disqviri deinceps cœpit de causâ efficiente, & cui officium dotandi incumbat. Atqve id qvidem ab initio, dum de ædificandâ Ecclesiâ deliberatur, liberum unicuiqve est, dotem constituere, nec præcisè necessum est, ut ipse solus, qvi ædificat, dotem assignet. Potest vel ipse, qvi ædificat, solus, potest etiam cum aliis, potest aliqvis tertius solus, aut cum aliis dotem dare, neqve ad hoc, ut Ecclesia dotata sit, qvicqvam interest, à qvo dos constituatur, nisi qvòd jus patronatûs, qvod inde nascitur, diversimodè interdum se habeat, qvod prolixè exponere nostri nunc non est instituti.

II. Regulariter tamen ad ædificatorem hoc officium spectat, qvippe qvi eâ intentione ædificare præsumitur, ut in Ecclesiâ ædificatâ perpetuò habeatur cultus divinus, qvi haberi perpetuò non potest, nisi de conservatione ejus prospectum fuerit. Atqve sic intelligendus est canon Concilii Aurelianensis allegatus Gratiano *c. 8. de consecrat. dist. 1.* & qvod ipse Justinianus lege publicâ constituit in *Novell. 67. cap. 2.* Nec enim tenetur ædificans ad dotem constituendam, si qvis fuerit alius, qvi sponte id munus in se suscipit, cùm, uti notum est, fundationis titulo alius, alius ædificationis, & deniqve alius donationis titulo jus patronatûs conseqvi valeat, qvi ipsi tamen tituli omnes plerumqve in uno subjecto concurrere solent. Nec tamen curiosè sollicitus esse debet Episcopus consecraturus, nec opus habet, ut tùm prolixè inqvirat, utrùm fortè qvis alius præstò sit, qvi dotem promittere velit, cum scil. in finem, ut, qvi ædificat, hoc onere liberetur; qvandoqvidem sufficit, ab ipso constructore ut exigatur dos congrua, atqve is vel ipse constituere eam tum debet, vel sistere alium, qvi hoc in se suscipiat.

III. Ex eodem Aurelianensis Concilii Canone, tùm & novellâ Justiniani patet, dotis constitutionem præcedere debere consecrationem, imò ipsam etiam ædificationem. Sic enim se habent verba Canonis: *Nemo Ecclesiam ædificet, anteqvam Episcopus civitatis veniat, & ibidem crucem figat: publicè atrium designet: & antè præfiniat, qvæ ædificare vult, qvæ ad luminaria & ad custodiam & ad stipendia custodum sufficiunt: & ostensâ donatione sic demum ædificet.* Et Justiniani: *Deinde non aliter qvempiam Ecclesiam ex novo ædificare sancimus, priusqvàm loqvatur ad Deo amabilem Episcopum, & definiat mensuram, qvam deputat, & ad luminaria, & ad sacrum ministerium, & ad incorrumpendæ domûs custodi-*

ftodiam, & observantium alimenta. & si sufficienter habere videtur, faciat prius donationem eorum, quæ futura sunt deputari: & ita domus ædificetur &c. Præcedere debere dotationem, ubiqve dicitur, & tùm demum ædificari posse Ecclesiam. Atqve hanc dotationem cum effectu intelligi debere, rectè notat Julianus Vivianus *de jur. patron. l. 2. c. 4. n. 15.* Canonistæ tamen sufficere putant cautionem, qvà se construens vel construere volens se obligat ad tradendum ipsam dotem. Rochus de Curte *de jur. patr. ad verb. & dotavit. n. 13.* Paulus de Citadinis *part. 3. caus. 2. n. 19 seq.* ideò scil. qvia ille, qvi ædificat ante constitutionem congruæ dotis, propterea non immunis fit, nec ab hoc onere liberatur, qvin potiùs magis magisq; obligatur, ut cogi deinceps possit ad hoc onus subeundum. Qvod si vel maximè, qvi ædificavit, facultates eas ampliùs non habeat, ut congrua inde Ecclesiæ dos constitui qvæat, nullum tamen ex hoc Ecclesia sentiet damnum, qvippe qvæ deinceps ab ipso Episcopo, qvi ædificare permisit, dotari debet, uti mox dicam.

IV. Sic igitur jus est, ut ædificari Ecclesia neqveat sine consensu Episcopi, *c. qvicunq;. 16. q. 1. c. qvidam. 18. q. 2. Nov. 131. c. 7.* Episcopus autem consentire non debeat, nisi dos priùs constituta fuerit, *d. c. nemo. 7. de consecr. dist. 1. d. nov. 67. c. 2.* Qvòd si verò ante ædificationem dotis constitutio fuerit omissa, oportebit eam ante consecrationem fieri, *c. piæ mentis. 16. q. 7. c. placuit. 1. q. 2.* Et tùm scil. multò arctiùs obligatur ædificans, neq; in ipsius potestate ampliùs est dotis constitutio, & nec propterea desistere qvidem potest à semel cœptâ ædificatione. Si semel cœperit aut novam ædificare Basilicam, inqvit Justinianus *nov. 131. c. 7.* aut veterem renovare: modis omnibus compellatur à beatissimo locorum Episcopo, & Oeconomis ejus & civili judice, eam explere, & si is distulerit, hoc moriente, heredes ejus opus inchoatum adimpleant. Applicari scil. hic solent ea, qvæ de pollicitationibus in Digestis constituta leguntur. Cogi enim debet etiam ille, qvi promisit, ut cœptum opus perficiat, *l. 3 ff. de pollicitat.* Cœpisse autem sic accipimus, si fundamenta jecit, vel locum purgavit; sed & si locus illi petenti destinatus est, magis est, ut cœpisse videatur: Item si apparatum sive impensam in publico posuit. Sed si non ipse cœpit, sed cùm certam pecuniam promisisset ad opus Ecclesiæ, contemplatione pecuniæ cœpit opus facere: tenebitur qvasi cœpto opere &c. *l. 1. §. 3. & 4. ff. de pollicitat.* Non minùs enim, qvæ ita constituta sunt, ad Ecclesiam, qvàm ad Remp. pertinere videntur.

V. Et sic igitur, si qvis detrectet perficere opus cœptum, idem illud locum obtinebit, qvod de pollicitationibus in civitatem factis Divi Fra-

tres Flavio Celso rescripserunt in *l. 8. ff. de pollic.* actores sc. constitutos, qvi legitimè pro Ecclesiâ agere possint, nomine publico adire adversus eum judices posse, qvi cùm primum potuerint, cognoscent, & si opus perfici ab eo debere constituerint, obedire eum ob hanc causam jubebunt, aut prohibebunt distrahi sua bona. Idem scil. & fortasse haud paulò major est favor Ecclesiæ, qvi est civitas, & qvæ de civitate constituta sunt, ad Ecclesiam optimè applicari solent, *l. 23. C. de SS. Eccles.* & plerumq; inter Doctores Respublica & Ecclesia qvoad privilegia æqviparantur. Actio autem illa, qvæ adversus recusantem datur, utrum sit actio in factum, qvasi ex contractu, uti vult Sig. Finckelthaus *de jur. patron. c. 4. n. 55.* an qva alia & cognitio extraordinaria, uti non malè statuit Justus Meyerus *in Colleg. Argentorat. tit. de pollicitat.* nostræ nunc non est inspectionis.

VI. Qvòd si consecrata fuerit Ecclesia nullâ adhuc dote constitutâ, constituenda erit illa etiam post consecrationem, *c. 8. X. de consec. Eccles.* & qvidem à constructore, si præstò non fuerit alius, qvi onus istud in se suscipiat, qvia tum ille ad hoc fortiùs, uti loqvitur Pontifex, tanqvam ex debito jam tenetur. Dantur scil. in hoc negotio obligationis qvidam gradûs. Anteqvam qvis ædificet, & anteqvam promiserit qvicqvam, dum secum adhuc deliberat, nulla subest obligatio. Si promiserit deinceps, ex promissione illâ tenebitur. Qvòd si cœperit ædificare, & si absolverit ædificium, & si consecrari id fecerit, fortior ubiqve evadit obligatio, qvæ necessitatem dotandi parit, in omnibus casibus ædificatori incumbentem, à qvâ nec liberari poterit ipse, nec heredes ejus, nisi alius aliqvis locum ejus qvasi subintret, & obligationem istam in se recipiat.

VII. Heredes enim ædificantis non minùs obligantur ad constitutionem dotis, atqve ipse, si adhuc viveret, ædificator. Benignior tamen hoc casu fuit Imperator Leo, *novell. 14.* familiæ herciscundæ judicium admittens, & causæ piæ certam tantùm portionem pro ratione circumstantiarum majorem aut minorem assignans. Sic enim ait: *Si testamentum conditum est, qvæ in illo Ecclesiæ assignata sunt, ea illi cedant. Si verò anteqvam de rebus suis statueret, evectus fuerit, tum si ad tres numero liberi supersunt, qvadrantem bonorum involabit monasterium: Sin ultra ternarium numerum sobolis multitudo procedet, liberis connumerabitur monasterium, & deducto ære alieno, ex universâ substantiâ, qvantum ipsorum qvisq; capiet. Qvòd si defunctus sine liberis decesserit, parentes autem superstites habeat, rebus bifariam divisis, una pars parentibus, altera monasterio applicabitur. At si neq; parentes, neq; liberos habeat, & cognati* ad

ad hereditatem prodeant, ipsi qvidem, qvotcunq; fuerint, trientem inter se distribuent, bes verò Ecclesiæ accedet. Verum enim verò, si aut per oblivionem aut aliam qvampiam causam in contrarium laudabili legitimoq; proposito testamentum sententiam conceptum sit, ut ejus loci antistes DEI amantissimus, qvantum ad Ecclesiæ eorumqve, qvi in illâ assidui sunt, sustentationem suffecerit, vendicet, de reliqvis verò legum præscriptio, & testamentum dijudicent.

VIII. Quòd autem etiam post consecrationem dos constitui debeat, in eo similem esse volunt doti, qvæ dari solet in matrimonio carnali. Qvemadmodum enim dos ista etiam constante matrimonio constitui potest, *l. 20. C. de donat. ante nupt.* ita ajunt, etiam post consecreationem dotem Ecclesiasticam rectè constitui. Anton. Bengeus & Franciscus Pinsson. *de benefic. tit. de fundat. Eccles. part. 2. n. 4.* Sed est tamen adhuc ingens inter has dotes differentia. Dotem propter nuptias fieri, & sine nuptiis nullam dotem intelligi, sine dote autem nuptias posse celebrari, scribit Justinianus *in d. l. 20.* At sine dote non posse contrahi matrimonium inter Episcopum aut presbyterum & Ecclesiam scribunt Canonistæ. Sed & hoc animadvertendum est, per consecrationem Ecclesiæ non illicò contractum censeri matrimonium, qvandoqvidem consecratio fieri potest antè qvàm qvisqvam ordinetur, qvi curam ejus Ecclesiæ habeat. Verùm de hoc matrimonio spirituali quid sentiendum sit, jam supra exposui, qvæ proinde hìc repetere necessum non est.

IX. Porrò, si is, qvi consecrari fecit Ecclesiam, aut heredes ejus, constituendæ doti non sufficiunt, subsidiaria actio datur adversus ipsum Episcopum, qvi eam consecravit. Glosſ. *in c. nemo. 7. de consecrat. dist. 1.* Bengeus & Pinsson. *d. l. n. 6.* Paul. Piasec. *in prax. episc. part. 1. c. 5. n. 2.* Augustin. Barbos. *de offic. & potest. Episc. part. 3. alleg. 64. n. 2.* ut dotem congruam constituat, ad exemplum scil. ordinatorum sine titulo, qvos vel alere tenetur, vel de beneficio eis providere, *c. 4. X. de præbend. c. 16. eod.* Quod tamen tùm demum locum habere volunt, qvando Episcopus eam potest dotare ex bonis vel propriis, vel Ecclesiæ suæ, sine ejus læsione. Petr. Gregor. *de benefic. c. 15. n. 3.* Potest enim aliqvando Ecclesia tantum habere in facultatibus suis, ut ex illis subvenire posſit alteri. Sed hoc fortè non admittetur priùs, qvàm excussæ fuerint facultates tùm ædificatoris, tùm deinde ipsius Episcopi.

X. Moribus receptum est apud nonnullas gentes, ut, sicubi, qvi construxérunt Ecclesiam, dotare eam aut neqveant, aut nolint, arma eo-

rum & insignia dejiciantur, & sepulchra de loco constituto tollantur. Didacus Spino à Caceres *in specul. testam. gloss. 4. princ. n. 34.* Id verò iniquius videtur, qvàm ut excusari qveat. Plus enim videtur contulisse ille, qvi Ecclesiam primùm extruxit, qviqve substantiam ei dedit, qvàm qvi alimenta tantùm suppeditat. Nec minus igitur ille, qvàm iste meretur, ut ejus memoria conservetur, & ad posteritatem propagetur. Pœnæ genus est, &, si talis non est, inter injurias refertur, si cujus statuæ detrahantur, nomen expungatur, insignia dejiciantur, & memoria extingvatur. Et qvî verò promeruisse infamiæ hanc notam dicamus eum, qvi dum impensas in structuram Ecclesiæ fecit oppidò liberaliter, in dotatione ejus deinde deficit? Aut certe, si pœnæ nomine insigniendum id facinus non est, injuriam committet, qvisqvis istud patraverit. Distincti sunt actus, ædificatio & dotatio, & uterqve suâ laude coruscat, qvâ privari neuter omninò seorsim debet.

XI. Addendum verò etiam hoc est, parochianis aliqvando impositum fuisse hoc onus dotandi Ecclesiam. Idqve observo constitutum in certo casu fuisse apud Longobardos, in qvorum legibus *lib. 3. tit. 1. n. 46.* hæc habentur verba: *De Ecclesiis emendandis volumus, ut ita observetur, ut in capitulari nostro continetur, qvod ad Olonam fecimus: & si in uno loco plures Ecclesiæ sint, qvàm necesse sit, destruantur. Quod si forte in alio loco Ecclesia sit constructa, qvæ tamen necessaria sit, & nihil dotis habuerit, volumus ut secundum jussionem Domini ac genitoris nostri unus mansus cum XII. bunuariis de terra arabili detur, & mancipia duo a liberis hominibus, qvæ in eadem Ecclesia officium audire debent, ut sacerdotes ibi posint esse, & divinus cultus fieri: qvod si hoc populus facere noluerit, destruatur.* Hoc scil. est, qvod supra dixi, in immensum aliqvando auctum fuisse numerum Ecclesiarum, nec eas tamen ita dotatas semper aut reditibus instructas fuisse, ut inde sartæ tectæ conservari potuerint. Cùm igitur plurimæ earum ruinam minarentur, hoc inprimis attendi voluit Karolus M. sive qvisqvis Legis istius Longobardicæ autor fuit, utrum illis carere posit Universitas, in cujus finibus illæ sitæ fuerint, an minùs. Priori casu destrui eas jubet; posteriori verò ab universitate reparari vult; aut si populus id facere noluerit, similiter destruendas esse statuit.

XII. Ultimum hoc extra *νομοθεσίας* terminos vagari videtur, cur enim destrui debeat, qvod necessarium est, & qvo carere non potest universitas? & qvamobrem id liberæ

liberæ relinqvendum ſit populi voluntati, qvod neceſſarium eſt? Potius igitur eſt, ut ſtatuamus, debere hoc caſu cogi plebem, ut de ſuis facultatibus reditùs certos conſtituat, qvibus divinus cultus inſtrui & conſervari qveat. Cæſ. Lambertin. *de jur. patron. qvæſt. 7. pr. art. 2. n. 8.* Atqve ſic in noſtris his provinciis obſervatur, ut in reficiendis aut reſtaurandis templis primùm excutiatur ærarium Eccleſiaſticum; id verò ſi ſufficiens non fuerit, coguntur parœciani ex propriis ſuis facultatibus collationes aut contributiones facere, ut ex illis ædificia reparentur. Atqve idem etiam obſervatur in conſtituendis ſalariis paſtorum & miniſtrorum Eccleſiæ, qvibus ex bonis parœcianorum qvandoqve ſubveniri oportet. Videri poterunt Carpzovius *in Jp. Conſiſtor. lib. 2. def. 338. 339. & lib. 1. def. 99.* Finkelthaus *de jur. patron. cap. 4. n. 86.*

XIII. Et hi qvidem obligantur toties, qvoties vel inventarium, uti vocant, ſine culpâ paſtoris fuerit imminutum aut deperditum, aut Eccleſia reparatione indigeat, neqve ærarii ſacri tantæ facultates ſint, qvæ impenſis faciendis ſufficere qveant. Etſi enim, qvi Eccleſiam ſemel congruè dotavit, dote iſtâ caſu extinctâ & deperditâ, dotare denuò non teneatur, *arg. l. 2. §. 7. ff. de adminiſtr. rer. ad civit. pert.* qvanqvam hic diverſum ſtatuiſſe videatur Karolus Imp. *lib. 6. capit. num. 69.* parochiani tamen ex eo, qvòd ſufficientes paſtori ſuo reditûs ſemel conſtituerint, a collationibus immunes non fiunt, ſi reditûs illi caſu defecerint & deperditi fuerint. Dignus eſt enim operarius alimento ſuo ſuàqve mercede. Qvis unqvam verò ſtipendiis ſuis militat? qvis plantat vineam & de fructu ejus non edit? *1. Cor. IX, 7.* Et igitur juſtum eſt, ut parochiani pro ratione ſuarùm facultatum & patrimonii ad ſalaria contribuant, prout in aliis contributionibus civilibus fieri ſolet, qvibus meritò præferendæ ſunt Eccleſiaſticæ propter curam animarum, qvam gerere debent Eccleſiæ miniſtri.

XIV. Unicum iſtud reſtat, ut videamus, utrum minor dotem Eccleſiæ ſine decreto Magiſtratûs conſtituere qveat? Et non poſſe verius videtur, cùm expreſſè dicatur *in l. ult. C. ſi maj. fact. al. fact. ſin. decr. rat. hab.* donationes à minoribus nec cum decreto celebrari poſſe, tantum abeſt, ut ſine decreto facere eas liceat. Dotationem autem hoc caſu ſpeciem donationis eſſe, nemo fortè ambiget, qvandoqvidem ex merâ liberalitate ea provenit. Sicut igitur propter matrimonium carnale non licet dotem dare, niſi ex decreto magiſtratûs, *l. 21. C. de adminiſtrat.*

ſtrat. tut. ita etiam non licebit in matrimonio hoc, qvod Canoniſtæ efformant, ſpirituali. Nec facit, qvod hic agatur de cauſâ piâ, qvæ legum ſubtilitatem reſpuit, qvodqve dotatio talis ſit actus devotionis, qvæ nunqvam nimia eſſe poſſit. Licet enim magnus ſit favor piarum cauſarum & Eccleſiarum; attamen qvia Eccleſia & ipſa cultrix eſt juſtitiæ, neqve aliqvid patitur contra juſtitiam fieri in ſe vel in alterum, uti ditur *1. F. 13.* neqve hic neceſſe erit, diverſum qvid ſtatuere; præſertim cùm nulla hic juris ſubtilitas inveniatur, ſed ex jure naturali hoc reſultet axioma, minorum & perſonas & bona, donec ad perfectam ætatem pervenerint, defendi & ſervari debere. Devotio autem in profuſione bonorum non conſiſtit, neqve pium hoc erit ex parte Eccleſiæ, ſi accipiat ea liberales erogationes ex manu adoleſcentis judicio nondum ſatis inſtructi.

CAPUT VII.

De qvantitate dotis, & qvæ dicatur eſſe dos ſufficiens, ſive congrua.

SUMMARIA.

QVanta & qvalis debeat eſſe Eccleſiæ dos? n. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 17, 18, 19, 20, 30. 32, 40, 41.

Unde æſtimanda ſit ſufficientia dotis? n. 2.

Onera Epiſcopalia qvæ dicantur? eòd.

Utrum ab initio, dum conſtituenda eſt dos, exigi ea tanta debeat, ut ferre inde Eccleſia onera epiſcopalia qveat? n. 3.

Num etiam hoſpitalitas in conſtitutione dotis attendi debeat? n. 4, 5.

Viſitationum finis præcipuus qvi ſit? n. 5.

Num etiam dotis conſtitutio ad reparationem & conſervationem Eccleſiæ porrigi debeat? n. 6.

Qvomodo conſuli debeat Eccleſiis collapſuris, aut ruinam minantibus, & qvibus impenſas in eam rem facere deceat? remiſſivè, *eòd.*

Præcipuam rationem, ex qva qvantitatem dotis conſtituenda commenſurari oportet, manere iſtam, qvòd ſufficiens ea eſſe debeat, ut miniſtri Eccleſiæ deſtinati commodè ſuſtentari, & luminaria inde comparari qveant, n. 7.

Adiaphora, qvæ longò uſu recepta ſunt, difficulter, & non niſi gravibus ex cauſis abrogari aut mutari poſſunt, eòd.

Num

Martinum ab Azpilcueta satis sit cuiq; Cleriorum? n. 19.

Ratiocinatio ab immensitate numeri clericorum in Ecclesiis cathedralibus ad magnitudinem constituendæ dotis, eôd. conf. n. 30.

De Lautitia clericorum, eôd.

Plures interdum cooptatos esse clericos, qvàm destinati ab initio ex intentione constituentis fuerunt, indeq; factum esse, ut numerô crescente dos constituta ampliùs non suffecerit; Et qvomodò istum numerum Justinianus iterum contraxerit? n. 21, 25.

Numerum Justinianeum plerorumqve clericorum probabiliter adhuc nimium fuisse, n. 22.

Ostiarii officium secundùm Canonistas, eôd.

Heraclii Imperatoris numerus Clericorum, n. 23.

Ostiarii num referantur inter clericos? eôd.

Isidorus Hispalensis qvando vixerit? eôd.

Inter clericos Ecclesiæ Constantinopolitanæ nonnullos fuisse Officiales; Unde illi sint dicti, & qvô numerô ab Heraclio definiti? num item simplici aliqvô beneficiô verisimiliter contenti fuerint? n. 24.

Jacobi Gothofredi observatio de necessaria clericorum numeri & laxatione interdum & contractione; Et cui munus numeri istius definiendi commissum fuerit? Cum adjuncta Epicrisi, n. 26.

De necessitate & antiqvitate ordinum clericorum recensitorum, qvam statuunt Canonistæ, n. 27.

Qvomodo isti Salvatorem ipsum dictos ordines exercuisse contendant? eôd.

Minores ordines in primitivâ Apostolorum Ecclesiâ non fuisse, probatur autoritate & testimonio Gratiani, eôd.

Qvo tempore reliqvi ordines cœperint. remissivè *eôd.*

Decretum Concilii Tridentini de ordinum à Diaconatu ad Ostiariatum functionibus in usum revocandis, n. 28.

Epicrisis de functionibus istiusmodi, n. 29.

Ad splendorem qvæ inventa sunt, necessitatem nullam inferre, & qvæ liberè recepta sunt, aliis cedere non debere in coactionis vinculum, eôd.

Quæ ratio fuerit, cur primitùs dicta officia distincta à se invicem, & distinctis personis commissa fuerint? eôd.

Distinctionem isthanc personarum & munerum factam fuisse tum temporis, cùm nulla adhuc factum esset distinctio præbendarum, eôd.

Quæ fuerit vita clericorum & sustentatio ante præbendarum distinctionem? eôd.

Canoni-

Ab Voce Hida probabiliter esse Germanicum Hütte/ *eód.*
De numero mansorum majoribus Ecclesiis tributorum, n. 39, 40.
Parochialem Ecclesiam, bonis auctam, in conventualem aut collegiatam freqventer esse mutatam, n. 40.
Etsi de mensura & modo mansorum non satis constet, certum tamen eum fuisse, pro varietate locorum nihilominus variantem, n. 41.
Bunnarium, sive buunarium, aut bunuarium qvid sit, & ex qvot buunariis constiterit mansus Ecclesiæ, Capellæ & Oratoriorum? eód.
Ecclesiæ si constituenda fuerit dos, solicitè in id semper inqvisitum esse, ut mansus integer & justa terræ portio assignaretur, & ne deinceps de integritate aliqvid deficeret. n. 42.

EGimus hactenus de necessitate dotis Ecclesiasticæ, & qvis eam ex mente Canonistarum constituere teneatur. Agendum nunc est de qvantitate ejus, & intra qvos terminos necessitas ista contineatur. Modicam enim dotem pro dote non haberi, & ne qvidem cum consensu Episcopi dotem insufficientem constitui posse, neqve ex tali dote jus patronatûs acqviri, constans est Canonistarum sententia. Vid. gloss. *in c. qvicunqve. 16. q. 7.* Andr. Gail. *lib. 2. Obs. 85. n. 10.* Thom. Trivisan. *lib. 2 decis. 55. n. 25. seq.* Atqve idcircò, dotem debere esse congruam, sufficientem, & ex intentione dantis perpetuam, nullisqve conditionibus circumscriptam, uno consensu atqve unâ voce profitentur. Qvæ autem ex ipsorum placitis haberi qveat pro sufficiente, necesse nunc est, ut videamus, & levi penicillô delineemus.

II. Et generaliter qvidem sufficientiam ex eo potissimum æstimandam esse volunt, si tantum suppetat, ex qvo Clerici sacro officio & custodiæ ipsius Ecclesiæ deputati commodè sustentari, & luminaria cultui divino necessaria comparari qveant. *c. nemo. de consecrat. dist. 1. Novell. 67. c. 2.* Alii reqvirunt insuper tantam copiam, ut onera Episcopalia inde persolvi & hospitalitas exerceri qveat, *per c. 12. X. de prabend. c. 1. eod. in 6. Clement. 1. de jur. patron.* Onera autem Episcopalia dicuntur, qvæ vel in signum subjectionis Episcopo ex Ecclesiarum reditibus dantur, ut est cathedraticum, sive synodaticum, qvod in Synodo singulis annis celebrandâ præstari consvevit, vel propter visitationem, ut est procuratio, vel propter aliam aliqvam necessitatem subitò occurrentem, qvalis præstatio dici solet subsidium charitativum. Alii adhuc addunt, debere dotem etiam sufficere ad sarta tectaqve ædificia sacra tuenda. Idqve

Idqve reqvirere videtur Justinianus *dict. novell. 67. c. 2.* ubi ab ædificatore Ecclesiæ constitui simul debere dicit, qvæ faciunt πρὸς τὴν ἀδιάφθοραν τῦ οἴκυ συντήρησιν, *ad perpetuam ædis conservationem*, sive, uti Haloander vertit, *ut ædes sarta tecta habeatur.*

III. Et onera qvidem Episcopalia denegari neqveunt, si tantæ fuerint Ecclesiæ facultates, ut ferre ea possit. Sed de hoc qværitur, utrum ab initio, dum constituenda est dos, exigi ea tanta debeat, ut ferre inde Ecclesia ejusmodi onera qveat? Et qvia circa procurationem constitutiones Pontificiæ rationem haberi volunt facultatum Ecclesiæ, *c. 14. X. de cens. c. 16. X. de offic. Ordin.* inde concludunt Abbas Panormitanus, & Henricus Card. Hostiensis *in c. 8. X. de consecrat. Eccles.* non esse necessarium, ut ab initio talis constituatur dos, qvæ sufficere possit ad jura Episcopalia persolvenda. Qvæ tamen concludendi forma non usqveqvaqve stringit. Potest enim adhiberi ratio facultatum Ecclesiæ, ut maximè ab initio etiam ad procurationem in constitutione dotis habitus fuerit respectus, nempe ne procuratio exigatur ultra id, qvod ab initio eam in rem constitutum fuit, ne excedat qvantitatem primitùs destinatam. Nec enim æqvalis & uniformis ab omnibus Ecclesiis debetur procuratio, sed amplior modò, modò tenuior, pro ratione vel visitatoris, vel facultatum Ecclesiæ. Atqve hinc postqvam constituisset Alexander III. & præscripsisset numerum eqvorum, qvos secum ducere liceret prælatis visitantibus, *c. 6. X. de censib.* mox addit: *Sanè qvod de prædicto numero evectionis secundùm tolerantiam dictum est, in illis locis poterit observari, in qvibus ampliores sunt reditus & ecclesiasticæ facultates. In pauperioribus autem locis tantam volumus teneri mensuram, ut ex accessu majorum minores merito non doleant se gravari. Nec sub tali indulgentiâ illi, qvi paucioribus eqvis uti solebant, hactenus plurium sibi credant potestatem indultam.*

IV. De hospitalitate qvod addunt, etiam illam in constitutione dotis attendi debere, fatentur Hostiensis & Panormitanus *d. l.* oppidò paucos repertum iri, qvi Ecclesiam constructuri essent, si tanta deberet ab initio assignari dos, qvæ hospitalitati exercendæ sufficeret. Commendat in Episcopo istam virtutem Paulus Apostolus *1. Tim. III, 2.* multisqve aliis veterum glossematis atqve exemplis illustrat Claudius Espenceus *l. 2. digress. 1.* eandemqve etiam à presbyteris suis exerceri vult Hincmarus Archi-Episcopus Rhemensis *in capitulis, qvibus presbyterium instructum voluit*, ubi sub *num. 10.* hanc ponit legem: *Ut curam hospitum maximè pauperum atq; debilium, orphanorum qvoq; atq;* pere-

peregrinorum habeat, hocqve ad prandium suum qvotidiè juxta possibilitatem convocet, eisqve hospitium competenter tribuat. Unde & Gregorius Magnus animadverti vult in Archidiaconum Florentinum Ecclesiæ Anconitanæ ex tenacitate tàm famosum, qvòd nunqvam amicus domum ejus ad charitatem introiisse diceretur, apud Gratian. *c. 1. dist. 85.* Sed enimverò hospitalitas illa non aliter exercenda est, nisi juxta possibilitatem, uti ait Hincmarus *d. l.* Et Episcopus ipse in Concilio Carthaginiensi IV. *can. 15.* jubetur vilem suppellectilem & mensam ac victum pauperem habere, & dignitatis suæ autoritatem fide & vitæ meritis qværere. Atqve ex tali victu etiam hospitalitas exercenda est, & qvidem sine delectu personarum, uti in Chrysostomi verbis monet Gratianus *c. qviescamus 3. dist. 42.*

V. Concludunt igitur Hostiensis & Panormitanus, non debere multum severè agi contra ædificatorem, nec opus esse, ut dos detur ab initio pro hospitalitate exercendâ, vel pro juribus Episcopalibus solvendis. Ego hoc addo, majorem esse necessitatem procurationis, qvæ fit propter visitationem, qvàm hospitalitatis, & proinde cogi posse parochianos ad procurationem faciendam, non ita cogi posse ad collationem faciendam, ut inde exerceatur hospitalitas. Disciplina Ecclesiastica hoc exigit, ut observentur in eâ ministrantes, qvaliter se gerant, & divina officia peragant. Exigit Religio & pietas, ut sarta tecta conserventur ædificia cultui divino destinata. Et hic scil. præcipuus est finis visitationum, qvas ubiqve locorum tam necessarias esse arbitrantur tùm Ecclesiæ tùm Reip. præfecti, ut sine illis neqve religio salva, neqve subditorum fides conservari posse censeatur. Qvæ ratio facit, ut qvemadmodum carere non potest Ecclesia tali visitatione, sic neqve carere possit sumptibus & expensis in eam faciendis. At hospitalitas ferè ex liberalitate provenit, cujus actûs non ita sunt necessarii, ut sine illis Ecclesia consistere neqveat. Nec proinde cogi poterunt parochiani ad conferendas symbolas, ut ex illis hospitalitas exerceatur, nisi qvatenus id exigat miseria humana, qvo casu eleemosynas imperari posse, rectè statuunt Doctores, notante Franzkio *1. resol. 7.*

VI. Qvod reparationem Ecclesiarum attinet, voluit qvidem Justinianus *d. nov. 67.* ædificatorem ab initio tantam constituere debere dotem, ut ex portione ejus sarta tecta conservari ædificia qveant. Sed enim vixit Justinianus eo tempore, qvo præter necessitatem in immensum auctus fuerat Ecclesiarum numerus, uti *cap. 5.* prolixiùs exposui, qvarum plurimas ideò, qvòd conservari non possent, destruere oportebat. Qvo

rerum

rerum ftatu, cùm qvisqve fibi inde, quòd Ecclefiam ædificâffet, immortalem nominis fui memoriam fperaret, atqve ex devotione alii, alii gloriæ cupiditate extruere Ecclefias & præter neceffitatem multiplicare pergerent, durioribus conditionibus ædificatores adftringi oportuit, ut fcil. ultra neceffariam dotem ftipendiis miniftrorum fufficientem, daretur etiam id, ex quo confervari ædificia poffent, ne fcil. ruinam impenderet priùs, qvàm fama ædificatoris pofteritati cognita fuiffet. Extra talem cafum incivile erit, ædificatorem cogere, ut dotem ideò auctiorem faciat, qvò inde facta tecta fervari qveant ædificia. Qui verò confuli debeat Ecclefiis collapfuris aut ruinam minantibus, & qvibus impenfas in eam rem facere deceat, prolixè tradunt Doctores *ad tit. de Ecclef. ædif. vel repar.* qvæ nunc excutere omnia neceffe non eft. In eo tamen ferè conveniunt, adigi non debere eos, qui dotem conftituunt, ut reparationi aut reftaurationi eam fufficientem faciant.

VII. Præcipua igitur ratio, ex quâ quantitatem dotis conftituendæ commenfurari oportet, manet ifta, quòd fufficiens ea effe debeat, ut miniftri ifti Ecclefiæ deftinati commodè fuftentari, & luminaria inde comparari qveant. De luminaribus aut cereis jam *cap. 4.* dixi, eorum tantam non effe neceffitatem, ut carere illis Ecclefia neqveat. Ex qvo confequitur, neqve in dote conftituendâ neceffarium haberi debere ad illos refpectum. Sed qvia adiaphora, qvæ longo ufu recepta funt, difficulter & non nifi gravibus ex caufis abrogari aut mutari poffunt, fateor, idem etiam de cereis ftatui debere. Sed manere tamen illi nihilominùs debent, ut funt, adiaphori, ne fiant laqvei confcientiarum; & fine opinione neceffitatis, fine fuperftitione, fine abufu liberè ferventur, ita ut extra cafum fcandali posfint omitti, vel Ecclefiæ ordinatione & confenfu mutari vel abrogari. Qvòd fi igitur in civitate aliqvâ, ubi cerei recepti funt, nova ædificetur Ecclefia, nolim ego, nullam eorum in conftituenda dote haberi rationem, quandoqvidem fatius tùm fuerit, reliqvis, qvæ in eâdem civitate funt, etiam hanc conformem reddi, qvàm periculo fcandali eam fubjicere.

VIII. Magis verò follicita debet effe cura ædificatoris, ut habeant miniftri Ecclefiæ, unde vivant, &, qvi finis ultimus eft, ut cultus divinus ne aliqvando intercidat. Atqve hoc totum pendere volunt Canoniftæ ex numero eorum, quos fundator voluerit Ecclefiæ infervire. Qvæ tamen fententia monftri qvid alere videtur ex eo, qvòd feqvioribus temporibus Ecclefiæ non tàm propter plebem, qvàm propter Clericos ædificatæ crederentur, neque Clerici propter populum,

pulum, sed propter seipsos ali debere putarentur. Homines enim incesserat opinio meriti, salutem æternam se consecuturos, si facerent, ut in sui nominis memoriam vel unica saltem qvotannis missa celebraretur, illamque vel certiorem fore, vel faciliùs obtineri posse, si missæ tales numero plures cantarentur, & profusiùs illi bona sua in hanc rem impenderent. Missæ autem illæ freqventer admodùm pro vivis & pro defunctis celebrabantur, nec populus, ut interesset, nedum ut communicaret, invitabatur aut præparabatur, & sæpissimè presbyter solus coetu & communicantibus totum peragebat officium. Invalescente enim superstitione atqve errore de purgatorio, & liberandis ex eo per suffragia & iterata missarum solennia animabus, missarum solitariarum tum numerus, tùm autoritas plurimùm creverat. Hàc ratione non is primariò finis intendebatur, ut in devotionem populus effervesceret, aut excitaretur, sed ut benè esset illis, qvorum memoria recolebatur, qviqve salutem sibi ex istiusmodi missis æternam qvæsiverant. Nec proinde ad populum respiciebat ampliùs, qvi Ecclesiam ædificabat, ut illius devotioni inserviret, sed ut suam propriam procuraret salutem, qvam eò certiorem sibi persvadebat, quò plures Ecclesiæ illi destinaret missificos. Atqve sic in arbitrio ædificantis aut dotem constituentis poni coepit, qvot adhiberi & destinari vellet sacrificos, qvotqve ministros alios.

IX. Hàc opinione imbutus Hugo III. Dux Burgundiæ damnatus voti, quod in itinere Hierosolymitano nuncupaverat, Ecclesiam ædificavit, illiusqve ministerio decem Clericos destinavit, non in commodum & utilitatem populi, sed, ut ipse loqvitur, pro remedio animæ suæ, suorumqve salute. Diploma recenset Aubertus Miræus *in Donat. Belg. l. 1. cap. 70.* ex qvo seqventia, quæ huc faciunt, adscribam verba: *Cùm autem rediissem, gratiâ DEI,* „ *convocatis amicis meis, & multis* „ *honestis Viris decem Clericos pro* „ *remedio animæ meæ & prædecesso-* „ *rum, successorumq; meorum salute* „ *DEO in perpetuum servituros apud* „ *Divionem institui, qvibus laudante* „ *AALIDE Uxore meâ, & ODONE* „ *primogenito meo in eâdem villâ in* „ *proprios usûs, reditus assignavi.* &c. „

X. Ad errorem istum retundendum & solitarias missas refutandas, sufficit unicum Ludovici Imperatoris capitulum, qvod habetur in *addit. 2. sub num. 7.* adducere his verbis: *Visum etiam nobis fuit illud inhibendum, ut nullus presbyterorum solus missam celebrare præsumat; qvia ita nec verba Domini Salvatoris, qvibus mysteria corporis & sangvinis suis discipulis celebranda contradidit, nec*

Pauli

Pauli documenta declarant, nec etiam in ipsis actis Apostolorum, si enucleatim legantur, ita fieri debere ullo modo invenitur. Unde conveniendus, imò interrogandus nobis videtur hujusmodi corporis & sangvinis Domini solitarius consecrator, qvibus dicit, DOMINUS VOBISCUM, & à qvo illi respondetur, ET CUM SPIRITU TUO? vel pro qvibus supplicando Domino inter catera, MEMENTO DOMINE ET OMNIUM CIRCUMSTANTIUM, cum nullus circumstet, dicit? Qvæ consvetudo, qvia Apostolicæ & Ecclesiasticæ autoritati refragatur, & tanto mysterio qvandam dehonorationem irrogare videtur, omnibus nobis in commune visum est, ut deinceps hujuscemodi usus inhibeatur.

XI. Verba hæc, ut jacent, ipso hoc regnante Ludovico, anno DCCCXXIX. in concilio Parisiis congregato concepta fuerunt, & habentur *can. 48. lib. 3.* Simile qvid in concilio Nannetensi constitutum refert Ivo Carnutensis in Decreto his verbis: *Definivit Sanctum Concilium, ut nullus presbyter præsumat solus missam cantare. Cui enim dicit, Dominus vobiscum, aut, Sursum corda, aut gratias agamus Domino DEO nostro, cùm nullus sit, qvi respondeat? aut in canone, & omnium circumadstantium &c. cùm nemo adsit, aut qvem invitat ad orationem, cùm dicit, oremus, cùm nullus sit, qvi secum oret? Aut igitur iste penitus reticenda sunt, & non solùm non erit perfectum sacrificium, verùm etiam incurret, qvisqvis ille est, terribilem illam sententiam: Si qvis tulerit de hoc, tollet Dominus partem ejus de libro vitæ, aut si hæc muris aut parietibus insusurraverit, ridiculosum est. Qvapropter illa ridiculosa superstitio maximè à monasteriis monachorum exterminanda est.* Nannetense hoc Concilium qvo tempore habitum fuerit, non satis constat. Et æqvè ignotum est, à qvo, qvomodo, & qvâ occasione id convocatum fuerit. Franciscus Longus à Coriolano *in summ. Concil.* id refert ad annum Christi DCCCXCVI. Jacobus Sirmondus Jesuita illud inseruit *tom. 3. concil Gall.* sub annum Domini DCCCC. Qvidqvid hujus sit, ex collatione constat, nihil omninò differre sententiam hujus concilii, ab illâ, qvam ex Parisiensi adduximus, & utrobiqve solitarias missas ut ridiculas & superstitiosas rejectas fuisse. Sed de his plura dicere nunc nihil attinet.

XII. Videtur autem circa tempora Justiniani, seculo ineunte sexto, & qvantum conjicere licet, ævo adhuc anteriore arbitrium hoc, de qvo diximus, definiendi numerum Clericorum patronis relictum fuisse. Sic enim ait Justinianus ipse *novell. 3. Investigantes igitur illud undiqve invenimus, qvoniam singuli horum, qvi sanctissimas Ecclesias ædifi-*

M cavé-

cavèrunt in hâc feliciſſimâ civitate, non pro ædificio ſolùm cogitavérunt, ſed etiam ut expenſas ſufficientes darent à ſe ſactis venerabilibus domibus, & determinarent, qvantos qvidem competens eſſet presbyteros per unamqvamq; Eccleſiam, qvantosq; diaconos maſculos atq; fæminas, & qvantos ſubdiaconos, & rurſus Cantores atq; Lectores & Oſtiarios conſtitui, & ſuper hæc etiam Oratorii expenſas definiérunt: & redituus proprios dedérunt ſufficientes iis, qvæ à ſe conſtituta ſunt: ſi qvis autem adjecerit multitudinem, neqvaqvam amplius penitus extendi valentes, ſive, uti Haloander ultima hæc verba exponit: *neq; multitudinem aliqvam adjectam, cui exinde competens ſolutio fieri non poſſet.* Arbitrium tamen iſtud non fuit tùm temporis prorſus abſolutum, uti hodierni id faciunt Canoniſtæ, ſed maximam partem ex Epiſcopi judicio pendebat, qvi arbitrabatur, qvousqve numerus Clericorum in qvàvis Eccleſiâ extendi deberet. Qvò pertinere videntur verba ejusdem novellæ ſeqventia: *Cùm vero DEO amabiles Epiſcopi ad aliqvorum preces ſemper reſpicientes protracti ſunt ad ordinationum multitudinem, aucta qvidem eſt expenſarum qvantitas ad immenſitatem multam* &c. Et *cap. 1. ejusd. nov.* colligit Imperator, propter auctam plebem clericorum numerum in majore Eccleſiâ Conſtantinopolitanâ ad antiqvam figuram redigi non poſſe, qvem tamen conſtringi debere, & judicavit ipſe, & lege latâ ordinavit.

XIII.. Totum igitur hoc, qvod de numero Clericorum uni Eccleſiæ adſcribendorum ſtatuendum eſt, non ſimpliciter arbitrio ædificantis aut dotantis relinqvi debet, ſed conſiderari oportet circumſtantias ſingulatim omnes, atqve inprimis populi, cujus gratiâ Eccleſia conſtructa eſt, amplitudinem. Nec enim alium in finem erecta & extructa olim fuérunt ejusmodi ædificia, niſi ut populo in illis conventûs ſacros habere, & cultui divino unitâ qvaſi, & in commune collatâ pietate operam dare liceret. *Eccleſia*, inqvit Cyprianus *l. 4. ep. 9. eſt plebs ſacerdoti adunata, & paſtori ſuo grex adhærens.* Parochiales ſcil. tùm erant Eccleſiæ omnes. Qvi hodiè aliqvando, & tantùm non plerumqve, intenduntur fines, qviqve inter Canoniſtas celebres ſunt, ut, qvod in paſtoralis dignitatis privilegium, & propter ſepulturam aut etiam in monachorum gratiam & propter Canonicos aliqvos, ſæpè extruantur, priſtinæ Eccleſiæ plane ignoti fuerunt. Atqve hinc factum, ut parochiales Eccleſiæ parum deinceps æſtimarentur, & parochiæ ipſæ penè interciderent. Qvam in rem adſcribere libet qverelam ab Nicolao le Maiſtre *lib. 2. de bon. Eccleſ. cap. 9.* congeſtam, dum ſic ait: *Non ſinit in-*

ſtituta

stituta de parochiis disputatio a querelis abstinere. Nam cùm omnia temporis progressu in Ecclesia adoleverint, Episcoporum splendor, dignitas, monasteriorum amplitudo, numerus, prærogativa: sola parochiarum disciplina ita exolevit, ut nisi mediocres villæ & pagi earum vestigia qvædam retinuissent, vix sciremus parochias extitisse. Nam qvotusqvisq; est hodierna die, qvi in parochia missarum solemnibus sacris intersit? Qvotusqvisq; oblationibus DEUM placat? Qvotusqvisq; monenti pastori aurem patientem & docilem præbet? Ista omnia vetustatis accusantur, ingenii famam novitatum studio omnes ambiunt, & nisi cœlum meliorem nobis mentem immittat, periculum est, ne sacrum Evangelii fœdus in antiqvitatis infamiam incurrat, & lex Christiana, ea qvæ maximè est commendabilis longævitate rideatur. &c.

XIV. Qvandoqvidem autem Canonistarum placita nunc nobis investiganda sunt, eò quòd pleraqve ista originem rebus Ecclesiasticis, prout nostra eos acceperunt tempora, dederint, dispiciamus nunc porrò, qvid vel de numero Clericorum Ecclesiis præficiendo, vel de dote illis constituenda publicis doctrinis statuatur. Et qvidem fuisse Ecclesias qvasdam, qvas non presbyteri aut Diaconi, sed inferioris nominis ac gradûs Clerici regerent, putat Nicolaus le Maistre *d. l. cap. 8.* idque abunde liqvere dicit ex *Epistola 19.* Gregorii Magni *lib. 2.* ubi Ecclesiam S. Agnetis, qvæ viâ Suburranâ constructa erat, commendat curæ ac ministerio Leonis cujusdam Acolythi, cui propterea assignat pensiones domorum. Mihi verò id non videtur; neqve qvisqvam exsculpere id poterit ex dictâ Gregorii Epistolâ, qvæ non libro 2. sed libro 3. *indict. 12. n. 19.* habetur, qvæque non de Ecclesiâ Agnetis, sed Ecclesiâ S. Agathæ verba facit. Ipsa tota Epistola hunc in modum concepta est: *GREGORIUS LEONI ACOLYTHO: Locorum Venerabilium cura nos admonet de eorum utilitate per omnia cogitare. Qvia ergò Ecclesia S. Agatha sita in Suburra, qvæ spelunca fuit aliqvando pravitatis hæreticæ, ad catholicæ fidei culturam, Deo propitiante, reducta est: ideò hujus auctoritatis tenore commonitus, pensiones omnium domorum in hac Urbe constitutarum, qvas prædictam Ecclesiam temporibus habuisse Gothorum constiterit, et annis singulis congregare non desinas, & qvantum in sartis tectis vel luminaribus aliisq; reparatione ejusdem Ecclesiæ necessarium fuerit, erogare modis omnibus studebis. Qvicqvid verò exuberare potuerit, fideliter rationibus te Ecclesiasticis inferre præcipimus.* Unde verò ex hâc Epistolâ colligi poterit, Ecclesiam istam Suburranam non alium habuisse Rectorem, qvàm

Acolythum Leonem? an, qvia ad eum exarata fuit Epistola? at verò etiam ad Diaconos & Subdiaconos sæpenumero scripsit Gregorius, nec tamen propterea Diaconos & Subdiaconos Rectores Ecclesiarum facies. Ut taceam jam, nihil omninò præceptum aut mandatum fuisse Leoni, qvod innuere posset regimen aliqvod, sed solam & nudam ærarii Ecclesiastici curam commissam fuisse, qvæ aliàs Oeconomorum propria est. Et potuit sanè tùm Ecclesias S. Agathæ Rectore suo adhuc fuisse destituta, qvippe qvam ex hæreticâ pravitate & hæreticorum manibus in integrum qvasi restitutam refert Pontifex, solo fortè isto acolytho ex pristinis illius ministris superstite.

XV. Ut suæ assertionis fidem faceret Nicolaus le Maistre, aliam præmisit probationem, capitulum scil. 2. Concilii Toletani sub Recaredo Rege æra Hispanicâ DCXXXV. anno Christi DXCVII habiti, illudqve proponit his verbis: *Placuit Dei sacerdotibus, ne qvisqvam infra suam parœciam Dei aulam inqvirat, & munificus ille, qvi sanctam Dei ædificaverit Ecclesiam, qvod ibidem pio suo herede largitus est, eodem loco presbyter secundum priorum Canonum instituta deserviens habeat. Et si presbyterum ea facultas habere non permittit, vel diaconus instituatur. Certè si minor est census, ostiarius à Sacerdote sit electus, qvi nitorem infra sinus Sanctæ Ecclesiæ faciat, qvi & sanctarum reliqviarum luminaria omni subseqventi nocte accendat.* Fateor, verba hæc non exiguam probandi vim habere; Sed animadvertendum I. concilium istud esse provinciale, ab sedecim Episcopis celebratum, tredecim autem tantùm subscripsisse, uti videre est apud Severin. Binium *tom. 2. Concil. p. 959.* Deinde, coactum id fuisse eo tempore, qvo in immensum jam excreverat Ecclesiarum numerus, ut impossibile esset decenti & sufficienti ministerio eas instruere. Atqve hinc satius visum fuit, ex infimis ordinibus aliqvem illis præficere, saltem, ut esset, qvi attenderet, ne damnum illæ sentirent, & ut cultus aliqvis utcunqve fieret, qvàm permittere, ut, qvod Karoli Magni ætate statutum dixi, illæ prorsus interciderent & destruerentur. Illum tamen præfectum à Sacerdote eligi debuisse, dicitur in canone, qvi Sacerdos sine dubio ex alienâ Ecclesiâ implorandus erat, ut hinc intelligatur, priorem illam presbytero destitutam Ecclesiam, alteri isti qvodammodo subjectam fieri.

XVI. Sed qvæso ego, qvis iste censebitur esse cultus divinus, nitorem tantum facere sive purgare pavimentum & luminaria accendere? Si nihil aliud accesserit, nego ego, hisce

hisce talibus cultum aliqvem divinum terminari aut absolvi. Dicis, propter reliqvias sanctorum in istis templis asservatas luminaria accendi, atqve sic pietatem & cultum declarari. Respondeo ego, tacere me nunc velle ea, qvæ superstitioni isti confutandæ faciunt, qvæ certè permulta sunt; & in præsenti negocio unicum id urgendum esse, neqvaqvam visum fuisse veteribus sufficere istum talem reliqviarum cultum, sed reqvisitam insuper fuisse psalmodiam saltem, si missa celebrari non posset. Sic enim legitur in Concilio Epaunensi anno Christi DIX. statutum *canon 25. Sanctorum reliqviæ in Oratoriis villaribus non ponantur, nisi forsan Clericos cujuscunq; parochiæ vicinos esse contingat, qvi sacris cineribus psallendi freqventia famulentur.* Si psallendi freqventiâ honorandæ sunt sanctorum reliqviæ, non sufficiet institutio Ostiarii, neqve accensio luminarium, & sine dubio plus insumendum tunc erit, qvàm stipendium aut salarium Ostiarii exegerit. Simile est, qvod Gregorius Magnus, *lib. 3. indict. 12. epist. 18.* cùm Mauro Abbati Ecclesiam S. Pancratii tradidisset, veluti commonitorium aliqvod addit, ut ante Pancratii reliqvias qvotidiana celebretur liturgia. *Præ omnibus*, inqvit, *tibi curæ sit, ut ibidem ante sacratissimum corpus Beati Pancratii qvotidiè opus Dei procul dubio peragatur.* Hæc non aliâ adducuntur fini, qvàm ut superstitio superstitione confutetur, & qvàm parùm sibi ex seqvioris Ecclesiæ instituto cohæreat, manifestum fiat.

XVII. Cæterùm cum in simplicitate suâ sibi adhuc placeret Ecclesia Christiana, non plures sibi, ubicunqve terrarum congregaretur, eligebat ministros, qvàm qvot sibi necessarios propter populum, cui inservirent, arbitraretur. Omnes tùm Ecclesiæ erant parochiales, Clerici omnes curæ animarum intendebant, beneficia, de qvibus hodiè tot immensa volumina prostant, planè ignota erant, & qvæ de compatibilitate & incompatibilitate, de residentia & justis non residendi causis, de beneficiis non curatis, de Clericis regularibus & secularibus multo cum fastidio nunc disputantur, inter corruptæ Ecclesiæ notas meritò referuntur. Gradûs Ecclesiastici primâ institutione dignitates non erant, & præeminentiæ aut præmia aut honores, sicut à multis jam seculis, hodieque conspiciuntur, sed ministeria, onera, à D. Paulo alio nomine nuncupata opera; & qvi ea obibant, à Christo Domino in Evangelio dicti operarii. Hodiè verò longè alia facta & prorsus immutata est Ecclesiæ facies, postqvam scil. ex reditibus æstimari cœpit officium Ecclesiasticum. Atque tum distingvi cœperunt Ecclesiæ in Cathedrales,

collegiatas, conventuales & parochiales, qvibus omnibus & singulis qvanta dos constitui debeat, curiosè deinceps apud plerosqve Canonistas annotatum legitur. Vid. Rochus de Curte *de jur. patron. verb. & dotavit. n. 14.* Paulus de Citadinis *part. 3. caus. 2 n. 11. seq.* Julian. Vivian. *de jur. patron. part. 1. lib. 2 cap. 4.*

XVIII. Summa hæc est, Ecclesiam Cathedralem habere debere bona qvadripartita, ut scil. una pars separetur pro alimentis Canonicorum & reliqvorum Clericorum, altera pro alimentis Episcopi & ejus familiæ, tertia pro pauperibus, & qvarta pro fabricâ Ecclesiæ: Monasterio vel Ecclesiæ Collegiatæ tot debere assignari reditûs, qvot sufficiant pro monachis vel Canonicis ac aliis ministris necessariis: Ecclesiæ parochiali tantam constitui debere dotem, qvanta sufficiat Rectori & uno ministro: tantam etiam deberi Ecclesiæ simplici, qvæ curam animarum annexam non habet: & tantam etiam capellis atqve altaribus proprium Rectorem habentibus. Cæterum Cathedrali Ecclesiæ dos ideò opimior & haud paulò largior constitui debet, qvia illa opus habet non vicariis tantùm, sed & aliis ad prædicationis officium, audiendas confessiones, & injungendas pœnitentias idoneis, deniqve & illis, qvi veluti assessores & Consiliarii sint, qviqve Canonici vulgo dicuntur. In conventuali autem & collegiatâ Ecclesiâ non pauciores tribus institui debere contendunt: & in parochiali deniqve admittunt, ut in dotem computentur decimæ, oblationes & aliæ casuales obventiones, ut adeò durior mihi videatur statui conditio Ecclesiæ parochialis, qvam reliqvarum omnium, qvòd casuales illæ obventiones planè incertæ sint, neqve firma aliqva in illis spes figi aut conservari qveat. Et in parochialibus tamen Ecclesiis cura animarum maxima habetur, certe haberi debet, qvi principalis est finis ministrorum Ecclesiæ, ab ipso autore Christo, & ejus Apostolis, atqve horum successoribus per iteratas gentilium persecutiones intentus.

XIX. In reliqvis Ecclesiis, qvæ parochiales non sunt, beneficii nomen maximè vulgare est, & non tàm ministerium in illis, qvàm qvod pro ministerio debetur, isto nomine insigniri solet. Unde in axioma hoc generale abiit, qvicqvid à Canonistis eà de re statuitur, debere beneficium sufficiens esse Clerico, cui id assignatur. Qvantum autem satis sit cuiqvè, largo pede metiuntur, non personam, sed qvalitatem personæ respicientes, neqve id reputantes satis esse Sacerdoti gregario, qvod non ipsi, familiæqve è consangvineis, tribus famulis & eqvo alendo sufficit; qvòd si nobilis fuerit, aut benè doctus,

co

eo plus illi largiendum contendunt. Neqve est credibile, qvàm largâ manu Episcopo portionem suam assignârint, dignitatem & decorum loci ejus contemplati. Nam ad Cardinales qvod attinet, Curiæ Romanæ sermo qvotidianus Regibus eos æqviparat, unde nullus apparatus aut reditus iis nimius videtur, nisi qvi Regium exsuperat. Qvis verò exsuperare dicetur? cùm Reges sibi omne id, qvod libet, licere putent. Et ut constet, qvousqve sufficientiam beneficii extendant, & intra qvos terminos concludant Canonistæ, operæ pretium erit adscribere, qvaliter illos determinaverit Martinus ab Azpilcueta Navarrus *tom. 3. miscell. 62. n. 7.* his verbis: *Ut beneficium dicatur sufficiens alicui Clerico, qvamlibet simplici & sano, reqviritur, ut valeat ad minus tantum, qvantum est necessarium ad alendum mediocriter, sive modestè se & unum ministrum & unum coqvum focarium, & ad conducendam habitationem sibi necessariam. Ut autem dicatur sufficiens nobili etiam inferioris gradus & Magistro Theologiæ & Doctori jurium mediocris literaturæ, oportet, ut tantum valeat, qvantum reqviritur ad alendum se & duos ministros & unam eqvitaturam, & unum coqvum focarium, & ad conducendum habitationem digniorem eâ, qvâ eget Clericus simplex. Ad hoc autem, ut sit sufficiens nobili mediocris ordinis, puta filio vel fratri Baronum & Vicecomitum vel Magistro & Doctori præcellenti, debet esse tanti valoris, ut possit alere se & unum coqvum & unam eqvitaturam, & qvatuor ministros, & conducere habitationem digniorem eâ, qvâ eget Clericus nobilis & literatus ordinis inferioris, &c.* Et sic progreditur ad gradûs altiores in proportione duplâ.

XX. Cogitet jam, qvisqvis immensum Clericorum in Ecclesiis Cathedralibus numerum perpenderit, qvanti illis sumptus faciendi fuerint, & qvantam proinde dotem tali Ecclesiæ constituere oporteat. Præter Episcopum, & Archidiaconum & archipresbyterum plurimi constituuntur alii presbyteri, diaconi, subdiaconi, acolythi, Exorcistæ, lectores, Ostiarii, psalmistæ, & plurimi insuper Canonici, qvorum unusqvisqve suam familiam habet & suum comitatum, eumqve aliqvando satis amplum. Atqve isti omnes ex bonis Ecclesiæ nutriri volunt, neqve parcè & tenuiter, sed lautè atqve opiparè. Qvin imò vitio datum aliqvando fuit Episcopis, sicubi abuti reditibus Ecclesiæ noluissent. Exprobratum sibi conqveritur Gregorius Nazianzenus in *oratione*, qvâ dimissionem petit, qvòd nec mensâ lautâ & opiparâ, nec veste magnificâ sit usus, nec splendidè in publicum prodierit, nec ad eos, à qvibus conveniebatur, gravitatem & fastum adhibuerit. Et notantur hinc Ammiano Marcellino

no Episcopi Urbis Romæ, qvòd ditentur oblationibus matronarum, procedantqve vehiculis consìdentes, circumspectè vestiti, epulas curantes profusas, adeò ut eorum convivia regales superent mensas. Et ex hâc ratione satis excusatos putat, si qvi hujus rei cupidi ob impetrandum qvod appetunt, Damasi & Ursicini exemplo, omni contentione laterum jurgari incipiant.

XXI. Contigit verò aliqvando, ut, si copiosior atqve liberalior constituta dos fuisset, plures deinde ex conniventiâ Episcoporum, qvi reditûs consumerent, cooptarentur clerici, qvàm destinati ab initio ex intentione constituentis fuissent. Ex qvo factum, ut numero Clericorum crescente dos constituta ampliùs non sufficeret, atqve hinc non mutuum tantùm contraheretur persæpè, sed ipsa etiam bona, qvæ in dotem data erant, alienarentur, ne ministri, qvi constituti jam essent, qvorumqve adeò numerus contrahi vix poterat sine scandalo, alimentis destituerentur. Fecit ea res negocium Justiniano Imperatori, ut qvod ita receptum fuerat per abusum, ad pristinam formam & statum redigeret. Cumqve difficile esset removere eos, qvi numerum ordinarium excederent, neqve id sine scandalo fieri posset, viventium qvidem, qvi tùm erant, neminem submoveri voluit, sed si qvis eorum defunctus fuisset, noluit qvenqvam in locum illius subrogari, qvoad is ordo pristino suo numero restitutus fuisset. Et sic qvidem in Constantinopolitanâ primùm Ecclesiâ observari voluit, cujus ex hoc capite illata damna prolixè refert *Novell. 3.* & hæc deinceps subjungit verba: *Sancimus igitur, eos qvidem, qvi hactenus sunt in eâdem sanctissimâ majore Ecclesiâ & reliqvas omnes venerabiles domos & reverendissimos Clericos, & mulieres diaconissas & ostiarios manere, in qvo sunt schemate (non enim qvod est, minuimus, sed de futuro providentes hoc sancimus) reliqvo verò tempore nulla fiat ordinatio, donec ad antiqvum numerum institutum ab iis, qvi sanctissimas Ecclesias ædificaverunt, reverendissimorum Clericorum qvantitas redigatur. ------ Qvapropter sancimus non ultra sexaginta qvidem presbyteros in sanctissimâ majore Ecclesiâ esse, diaconos autem masculos centum, & qvadraginta fœminas, subdiacones verò nonaginta, lectores autem centum & decem, cantores viginti qvinq;, ita ut sit omnis numerus reverendissimorum Clericorum sanctissimæ majoris Ecclesiæ in qvadringentis viginti qvinq;: & insuper certum existentibus iis, qvi vocantur Ostiarii. In sanctissimâ siqvidem majori Ecclesiâ hujus felicissimæ nostræ civitatis, & per tres venerabiles domos unitas ei tanta Clericorum sit multitudo: nullo qvidem horum, qvi nunc sunt, excludendo: licet multo pluri-*

plurium sit numerus ab iis, qvi à nobis nunc determinati sunt: nullo autem de cætero adjiciendo in unoqvoqve ordine in iis, qvi nunc sunt: donec ad hunc numerum mensura redigatur.

XXII. Videtur tamen adhuc nimius fuisse, qvem ita contraxit Justinianus, plerorumqve Clericorum numerus. Ad qvid enim centum ostiariis e. gr. opus fuit? etsi vel decem statuas Ecclesias alias Ecclesiæ Constantinopolitanæ unitas. Ostiarii officium esse dicunt Canonistæ, ædes sacras tueri, aperire & recludere, & omnia, qvæ sunt intus & extra, custodire, fideles recipere & infideles atqve excommunicatos expellere, librum item ei, qvi prædicaturus est, aperire, & sacras vestes, atqve totam Ecclesiasticam supellectilem custodire, *can. perlectis. 1. dist. 25.* Vid. Augustinus Barbosa *jur. Eccles. lib. 1. c. 38. n. 26. seq.* & qvi ejus collectanea feliciter exscripsit Nicolaus Rodriguez Fermosinus *de Offic. & sacr. Eccles. ad c. 2. de offic. Archidiac. qvæst. 2. n. 43.* Si nihil aliud Justiniani seculo expedire debuit ostiarius, præterqvam ea, qvæ hactenus recensui, dixerim ego, oneri magis fuisse tantum eorum numerum, qvam emolumento, qvòd vel impedimento sit alter alteri, qvò minùs dignè & ex debito peragatur ministerium, vel discordiæ & rixæ in tantâ eorum copiâ faciliùs excitari soleant.

XXIII. Post Justiniani ætatem Heraclius Imperator in Diplomate de numero definito Clericorum Magnæ Ecclesiæ *tom. 1. Jur. Græco Rom.* numerum istum ex parte auxit, ex parte minuit. *Religiosorum*, inqvit, *presbyterorum catalogus ad octoginta, diaconorum verò marium ad centum qvinqvaginta, fœminarum diaconissarum ad qvadraginta, subdiaconorum septuaginta, lectorum ad centum sexaginta, cantorum ad viginti qvinqve, ostiariorum ad septuaginta qvinqve qvacunq; tandem causâ redigatur.* Connumerando singulos, summa omnium, qvæ inde provenit, haud paulò major est, qvàm constituta olim fuit ab Justiniano. Hic enim qvingentos tantùm & viginti qvinqve, Heraclius autem sexcentòs rotundo numero esse voluit. Obiter noto, non videri Ostiarios ab Justiniano in clericorum numero habitos. In dictâ enim *novell. 3.* cùm recensuisset numerum presbyterorum, diaconorum, & diaconissarum, subdiaconorum, Lectorum & Cantorum, eos universos in unam computat summam, his verbis: *ὡς εἶναι τὸν πάντα ἀριθμὸν τῶν εὐλαβεστάτων κληρικῶν τῆς μεγάλης ἐκκλησίας ἐν τετρακοσίοις εἰκοσιπέντε προσώποις, ita ut sit omnis numerus reverendissimorum Clericorum sanctissimæ majoris Ecclesiæ in qvadringentis viginti qvinq; personis.* Deinde subjungit: *καὶ ἑκατὸν πρὸς τούτοις τῶν καλουμένων πυλωρῶν, & insuper cen-*

tum existentibus iis, qvi vocantur Ostiarii. Ac si Ostiarii tales non essent, qvi numero Clericorum continerentur. Post tempora tamen Justiniani inter Clericos recensitos atqve relatos fuisse, patet ex Isidori verbis apud Gratianum *c. cleros. dist. 21.* Vixit autem Isidorus Hispalensis circa annum Christi DCXXX.

XXIV. Inter Clericos istos Ecclesiæ Constantinopolitanæ nonnulli fuerunt Officiales, ita dicti, qvòd præter munus ordinarium certo insuper officio addicti essent. Illos hoc numero definivit Heraclius Imper. *d. l.* ut essent Syncelli duo, Cancellarii duodecim, Defensores decem, Referendarii duodecim, Notarii qvadraginta, Sceuophylaces presbyteri qvatuor, Sceuophylaces Diaconi sex, Lectores duo &c. Officia ista utrum satis ubiqve convenientia fuerint Clericorum muneri & statui, nolo nunc prolixiùs inqvirere. Continuata tamen illa, & diu servata fuisse, licèt identidem aliqva contigerit mutatio, ostendunt ea, qvæ collegit Georgius Codinus Curopalata *de offic. Cur. & Eccles. Constantinop. cap. 1.* & qvæ ibi notant Jacobus Gretserus & Jacobus Goarus. Verisimile autem est, non simplici aliqvo beneficio contentos fuisse istos officiales, sed ex officio superaddito lucrum aliqvod percepisse, neqve aliunde qvàm ex bonis Ecclesiæ destinatis.

XXV. Qvod ita in Ecclesiâ Constantinopolitanâ lege caverat Justinianus, ut numerus Clericorum per obitum aliqvorum non surrogatis aut suffectis aliis successivè imminueretur, idem illud lege aliâ, qvæ extat in *Novell. 6. cap. 8.* in aliis Ecclesiis observatum voluit. *Competit*, inqvit, *DEO amabiles patriarchas & metropolitas hujus habere providentiam: & eos qvidem, qvi hactenus sunt, sinere, in schemate, in qvo sunt, clericos: metiri verò uniuscujusqve Ecclesiæ virtutem: & ita ipsos quoqve sanctissimos Patriarchas sub se constitutas Ecclesias ordinare, & metropolitas hoc ipsum à sanctissimis patriarchis commonitos facere, illos autem alios omnes sub se positos Episcopos ad mensuram hanc deducere: & studere non ultra expensas facere Clericorum ordinationes. Scimus enim, qvantæ sanctissimæ Ecclesiæ propter hanc ordinationem & alterius expensæ effusionem inopes factæ sunt. Et qvia aliqvas earum, vix qvidem, tamen liberavimus: qvædam verò adhuc onerata jacent, ex tali relevari angustiâ non valentes: ideò hoc provideant sanctissimi Patriarchæ & metropolitæ, & reliqvi DEO amabiles Episcopi, ut & nos, qvæ ab eis aguntur, discentes, approbemus eos, qvi nostram legem in literis positam, apud semetipsos ostenderunt operibus adimpleri.*

XXVI. Omittere verò & præterire

ire hîc neqveo, qvod observat Jacobus Gothofredus *ad l. 33. C. Theod. de Episcop. Eccles. & Cler. infin.* ea qvandoqve incidisse tempora, ut numerum laxari Clericorum atqve ad Clericatum invitari oportuerit, *l. 10. C. eod.* contrà ea tempora & loca, ut coërcere eum necesse fuerit, *l. 3. l. 6. l. 33. C. eod.* totumqve id negocium, atqve numeri definiendi munus Episcopis commissum fuisse, qvi cujusqve vici magnitudinem vel celebritatem perspectam haberent. Neqve negari poterit, per effrenem Clericorum numerum maximè lædi Rempublicam, vicissim maximè Ecclesiam, sicubi ille exiguus nimis & sufficiens non fuerit. Pro re natâ igitur & augeri & minui eundem debere naturalis docet ratio, & ipsa jubet Ecclesiæ incolumitas, tùm & Reipublicæ salus, qvam utramqve attendere qvàm maximè oportet.

XXVII. Istos Clericorum ordines, qvos recensuimus, in qvâvis Ecclesiâ, nisi parochiales fortè excipias, institui debere, volunt Canonistæ, & non ab Apostolorum tantùm ætate receptos, sed à Salvatore etiam ipso exercitos contendunt, & gradatim qvidem, ne qvis transsultoriâ levitate ad summum adspiret apicem, omisso munere inferiori aut intermedio. Ostiarium eum fuisse dicunt, qvando ementes & vendentes templo expulit: Lectorem, cùm in Esaia legeret ex libro: Exorcistam, qvando dæmones expulit: Acoluthum, qvando dixit: Ego sum lux mundi: Subdiaconum, qvando discipulorum pedes lavit: Diaconum, qvando distribuit Eucharistiam: Presbyterum, qvando in arâ crucis se obtulit, & Eucharistiam consecravit. At verò agnoscit Gratianus *in præfat. dist. 21.* minores ordines in primitivâ Apostolorum Ecclesiâ non fuisse, his verbis: *Hanc eandem formam Apostoli secuti, in singulis civitatibus Episcopos & presbyteros ordinaverunt. Levitas autem ab Apostolis ordinatos legimus: qvorum maximus fuit B. Stephanus. Subdiaconos & acolythos procedente tempore Ecclesia sibi constituit.* Et disertè magis Urbanus Papa *can. nullus. 4. dist. 60.* apud eundem Gratianum: *Nullus in Episcopum eligatur, nisi in sacris ordinibus religiosè vivens fuerit inventus. Sacros autem ordines dicimus diaconatum & presbyteratum. hos siqvidem SOLOS primitiva legitur habuisse Ecclesia.* Ut adeò lepidum sit illud de Salvatore Christo per singulos ordines ministerium suum obeunte commentum. Quo tempore autem reliqvi ordines cœperint, nostrum non est, operosè nunc investigare. Videri eâ de re poterit David Blondellus *in præfat. apolog. de Episcop. & presbyt. p. 32.*

XXVIII. Nihilominùs tamen decretum fuit in Concilio Tridentino, ut ordinum à Diaconatu ad Ostiaria-

tum functiones, ab Apostolorum temporibus in Ecclesiâ receptæ, & pluribus in locis intermissæ, in usum revocentur: nec ab hæreticis tanqvam otiosæ traducantur, illa ministeria non nisi per constitutos in dictis ordinibus exerceantur, & Prælati hujusmodi functiones curent restituendas. Ea res deinceps disputationem excitavit, prout notat Petrus Svavis *in histor. Concil. Trid. lib. 8.* neque cohærere satis inter se verba putabantur. Satis difficile enim videbatur observatu, ut nullæ in Ecclesiâ pulsari possent campanæ, aut portæ observari vel aperiri, nisi ab Ostiariis ordinatis; sed nec accendi lampades & candelæ, nisi ab acolytis munera illa manuaria exercentibus, ut ad Sacerdotium pervenire possent. Et videbatur nonnihil contradictionis habere, qvòd absolutè decrevissent, ut illa ministeria non obirent, nisi ordinati, & posteà prælatis præcepissent, ut ea, quantum commodè fieri posset, restituerent. nam observato decreto absoluto, ex necessitate fieri, ut ubi ad illarum functionum exercitium personæ ordinatæ haberi neqveant, iis exercendis supersedeatur. qvòd si exerceri possint sine ordinibus, tametsi minùs commode, rectiùs absolutum illud decretum omitti potuisse.

XXIX. Non sunt reprehendendæ istæ functiones, nisi speciales ex iis facerent ordines Canonistæ, & perpetuam illorum in Ecclesiâ necessitatem urgerent. Antiqvissima esse eorum nomina non nego, sed ex necessitate tamen absolutâ constitui eos seorsim oportuisse, & personas istis negotiis adhibitas ordinari debuisse, non videtur libertati Ecclesiasticæ satis conveniens. Et cur enim ab uno plura ejusmodi munia exerceri non potuerint? Cur ab Laico campanas pulsandi actus expediri non qveat? Cur ostiarium necessariò oporteat esse ordinatum? Ad splendorem qvæ inventa sunt, necessitatem nullam inferunt, & qvæ liberè recepta sunt, aliis cedere non debent in coactionis vinculum. Certe alia longè fuit ratio, cur primitùs ista distingverentur ab se invicem, & distinctis personis committerentur officia, qvam eruditè observat Franciscus Duarenus *de sacr. Eccles. minist. lib. 1. cap. 14.* eamqve proponit his verbis: *Ut seminarium qvoddam esset eorum, qvi Episcopis, presbyteris & diaconis succederent, alebatur sumptu publico magnus juvenum numerus Ecclesiæ ministerio consecratorum, qvi interim non solùm instituebantur in studio literarum, sed portio aliqva etiam munerum Ecclesiasticorum ipsis committebatur, eorum nempe, qvæ leviora minorisq; momenti essent, qvæq; anteà à diaconis obiri solebant, ut his veluti rudimentis qvibusdam ad majora graviorasq; obeunda præpararentur. Ac ne qva confusio perturbatioq; eam*

eam functionem impediret, distincta sunt, divisaq; inter ipsos officia, ita ut unusqvisq; suo muneri bonâ fide incumbens de alieno sollicitus non esset. In qvâ distributione gradus qvidam ideò constituti sunt, qvod eorum munerum alia aliis digniora videbantur, nec poterat qvisqvam ad majus promoveri, qvi in minore anteà versatus non fuisset. Et hæc qvidem distinctio personarum & munerum facta fuit tùm temporis, cùm nulla adhuc facta esset distinctio præbendarum. Clerici tùm communi contubernio & mensâ utebantur, & ex communibus Ecclesiæ bonis tantum ex manu Episcopi accipiebant, qvantum sustentationi necessariæ satis esset, qvippe qvos ad ea accipienda non habendi ducebat cupiditas, sed cogebat vivendi necessitas, uti loqvitur Prosper Aqvitanus *de vit. comtempl. lib. 2. cap. 11.*

XXX. Longiùs digressi sumus, qvàm nostra fuit intentio. Id verò inde colligitur, propter immensum Clericorum numerum, quem unicè ad sacrificium Missaticum peragendum hodierni reqvirunt Canonistæ, amplissimam in cathedralibus Ecclesiis exigi dotem, & tantam sæpe, ut principum facultates exsuperet, & in libidinem atqve nefanda facinora pronos faciat Ecclesiæ ministros. Qui in nostris Ecclesiis altari inserviunt, non missificcs sunt, sed tales, qvales eos voluit, qui primitùs eos instituit Salvator, h. e. Evangelii præcones & mysteriorum divinorum dispensatores, *1. Corinth. IV. vers. 1.* Proinde ex libero Ecclesiæ instituto pro ratione circumstantiarum qvandoqve pluribus, qvandoqve paucioribus ministeria conferuntur, atqve in eorum numero constituendo potissimus ad numerum parochianorum, eorumque in pietate profectuum habetur respectus, qvandoqvidem circa informationem & catechizationem plus aliqvando & operæ & temporis insumendum est in universitate minore versanti, quàm illi, qui majori cœtui præest.

XXXI. Facetum est, qvod refert Felix Malleolus, Cantor aliqvando Thuricensis, posteà præpositus Solodurensis Decretorum Doctor *in dialogo de religiosis proprietariis*, qvod qvia ad rem præsentem facit, non pigebit hîc adscribere: *Nuper*, inquit, *qvidam terræ princeps perpendebat, & inutilium multitudinem Sacerdotum considerabat. Et igitur à Magistro qvodam Parisiensi, qvi qvodam qvodlibetum in civitate principis disputaverat, fraudulenter qværendo dicebat: O Magister, qvot Sacerdotes sufficerent pro rusticis in terrâ degentibus? Et fecit hoc in illum finem, ut si diceret: centum, princeps diceret: reliqvos expellamus; vel si diceret, qvòd Sacerdotes non essent sufficientes, iterum diceret: ad locum*

cujuslibet duos ordinemus. Sed sagax magister ait: Domine Princeps, nuper Parisiis in qvodam qvodlibeto qvæsivit qvidam Nobilis, qvot caudæ vulpium una post aliam extensa de terrâ tangerent cœlum. & fuerat responsum: caudæ vulpium in longitudine sunt dissimiles; sed si tres essent longitudine sufficientes, altitudinis numerum complerent. Sic ad propositum: Sacerdotes sunt dispares, & rustici sunt inæqvales. & pro bonis & honestis mille rusticis sufficerent duo Sacerdotes. Reperitur etiam unus solus Rusticus tàm iners, insulsus & ineptus, qvem decem Sacerdotes ad bonos vix reducerent gestûs, mores, ritûs ac honores. Et igitur Domine Princeps ad propositum: postquam mihi dixeritis rusticorum in singulis villis morantium mores & conditiones, dicam vobis numerum Sacerdotum, qvi talibus ad regendum forent sufficientes: & Princeps qvietatus. Hæc Malleolus, Vir suo seculo non ineruditus, & qvi corruptos Romanæ Ecclesiæ mores non unis vicibus perstringit. Vixit autem tempore Concilii Basiliensis, cujus plurimam in scriptis suis facit mentionem.

XXXII. Constitutis ita, vel constituendis, qvot necessarii visi fuerint, ministris Ecclesiæ, de alimentis prospiciendum est, non qvidem ad luxum, & magnificentiam, sed ad satietatem, & quantum alendæ familiæ tenuiori sufficit. Clericorum enim vita modesta esse debet & humilis, parca & frugalis, & ipsa tota ad exemplum composita. *Episcopus* inqvit Hieronymus *in Ep. ad Tit. cap. 1. qvi imitator Apostoli esse cupit, habens victum & vestitum, his tantùm debet esse contentus. Qvi altari servierint, de altari vivant. Vivant,* inqvit, *non divites fiant. Unde & a nobis excutitur de Zona, & unâ tantùm tunicâ induimur, nec de crastino cogitamus. Turpis lucri appetitio est plus qvàm de præsentibus cogitare.* Nec tamen invidemus, si qvis aliunde sibi, & ex ipsis etiam fidelium oblationibus, peculium aliqvod comparare qveat, dum ne nimium gravetur ille, qvi dotem Ecclesiæ constituit, qvippe qvam sufficientem putamus, si necessaria inde ministri accipere qveant alimenta. Ecclesia enim non reddit præmium laboranti, sed præstat tantùm necessaria indigenti, ut in futuro præmium laboris sui recipiat, ut ait Prosper Aquitanus *de vit. contempl. l. 2. c. 10.*

XXXIII. Fuit enimverò patrum hæc quasi perpetua admonitio, ut à comessationibus & ebrietate abstinerent Episcopi & Clerici. Inter concilia Galliæ Narbonensis, qvæ edidit Stephanus Baluzius, canon decimus septimus Concilii Monspeliensis ita habet: *Stabilivit prætereà legatus, quod --- --- multiplicitas ferculorum, qvæ boni Viri sensum obtundit, & me-*

& meliora cogitare non finit, de Clericorum mensâ præcipuè subtrahatur, & duobus ferculis carnium vel piscium ad plus, præter venationes & exenia gratis oblata, contenti, juxta verbum Jesu Christi, omnes Episcopi & Clerici attendant, ne corda eorum crapulâ vel comessationibus aggraventur &c. Sed leges istæ plerumqve parum observatæ fuerunt; neqve temperare sibi potuerunt sacerdotes, otio plerumqve & inertiæ dediti, qvò minùs Ecclesiæ opibus incrementa qvotidiè capientibus abuterentur, easq; luxu consumerent. Qvo factum, ut non victum tantùm, sed vestitum etiam præscribi oportuerit, qvem varium & variegatum sibi non unis vicibus sumpsere Clerici: Vid. canones Concilii Monspeliensis anno 1214. habiti apud eundem Baluzium *pag. 41. seq.* & sic etiam comitatum, uti id factum in literis ad Concilium Biterrense invitatoriis à Petro Archiepiscopo Narbonense anno MCCCLI. relatis ab eodem Baluzio *p. 91.* dum ait: *Ut autem superfluitatum & pomparum inanium jactantiam precludamus, vobis tenore præsentium inhibemus, sub virtute sanctæ obedientiæ injungentes, ne ultra decem eqvitaturas & duos saumerios sive gerulos pro vobis & vestrâ familiâ adducatis, ------ Abbatibus vestræ diæcesis ex parte nostrâ nihilominùs injungentes, qvod ultra qvinqve eqvitaturas ad longius, & unum saumerium seu gerulum secum adducere non præsumat &c.*

XXXIV. Apud medii ævi scriptores & in ejus temporis instrumentis publicis sæpissimè occurrit, Ecclesiæ in dotem datum fuisse mansum unum, qvandoqve etiam alterum & plures. Imò verò, ut id fieret, lege publicâ aliqvando cautum fuit. Sic enim de Karolo Magno refert Aimonius *l. 5. c. 10.* *Volens etiam unamqvamq; Ecclesiam habere proprios sumptûs, ne per hujuscemodi inopiam cultus negligerentur divini, inseruit prædicto edicto, ut super singulas Ecclesias mansus tribueretur unus, cum pensatione legitimâ & servo atq; ancillâ.* Et in Legibus Longobardorum *lib. 3. tit. 1. sub num. 46.* extat hæc Lotharii Imperatoris: *De Ecclesiis emendandis volumus, ut ita observetur, ut in capitulari nostro continetur, qvod ad Olonam fecimus: & si in uno loco plures Ecclesiæ sint, qvàm necesse sit, destruantur. Qvod si fortè in alio loco Ecclesia sit constructa, qvæ tamen necessaria sit, & nihil dotis habuerit, volumus, ut secundum jussionem domini ac genitoris nostri unus mansus cum XII. bunuariis de terrâ arabili detur, & mancipia duo à liberis hominibus, qvi in eâdem Ecclesiâ officium audire debent, ut Sacerdotes ibi possint esse, & divinus cultus fieri. Qvod si hoc populus facere noluerit, destruatur.* Atq; sic etiam Capitularia *lib. 1. num. 91.* referunt:

ferunt: *Sancitum est, unicuiqve Ecclesiæ unus mansus integer, absq; ullo servitio attribuatur* &c. Repetitum id est in Concilio Wormatiensi *cap. 50.* & legitur *c. 1. X. de censib.*

XXXV. Est autem mansus, uti Antonius Augustinus *not. ad c. 1. de censib. in collect. 1.* ex Tancredi interpretatione explicat, tanta terræ qvantitas, qvæ sufficiat duobus hominibus per annum, i. e. XLVII. acraturæ. Acrarum verò fit mentio in *c. 3. X. de Eccles. ædif.* & est vulgare Anglorum, idem aliqvando, qvod jugerum. Et jugerum secundùm eundem Tancredum habet octo staria 36. tabularum ad perticam pedis Luitprandi, qvæ habet 12. pedes trium semissium & trium digitorum. Sed incertum planè esse, qvantam terræ portionem acra olim continuerit, notat Henricus Spelmannus *in Archæolog. verb. Acra*, ubi per vocabulum istud Germanicorum Acker exprimi asserit. *Acra*, inqvit Hostiensis *ad d. c. 3. vulgare est Anglicorum, & tantum valet Acra apud Anglos, qvantum journale apud nos, & qvantum arpentum apud Gallos, & qvantum bubulcata vel tabula apud Italos & Lombardos.* Conf. Carolus Molinæus *in consvetud. Paris. §. 11. n. 6. 7.* Qvid autem sint acraturæ, ex qvarum numero definitum voluit mansum Tancredus, nondum compertum habeo.

XXXVI. Id autem observo, seculo illo Karolino mansum & Colonicam idem ferè denotâsse, & promiscuo in usu ista vocabula fuisse. Sic enim, qvod de manso in legibus allegatis legitur, per Colonicam exprimitur in Synodo Valentinâ sub Lothario Imperatore, *cap. 9. Seculares & fideles Laici, si condere voluerint basilicas in prædiis suis, sicut edictum piissimorum Augustorum continet, unam Colonicam vestitam cum tribus mancipiis donationis* (al. dotis) *gratia eis conferant.* Aliqvando tamen colonicam sub manso comprehensam fuisse, ex S. Benigni Chronico observat Hieronymus Bignonius *ad Marculf. form. lib. 1. cap. 30.* ubi in genere notat, plerumqve Colonicam, Mansum, villam, & in Germanicis scriptis diplomatibus & instrumentis Hobam & Hobunnam pro eodem accipi debere, nec semper certam qvantitatem, sed modò majorem, modò minorem agri modum continuisse. Alibi in instrumentis publicis carrucatarum fit mentio. Inter antiqvitates Tricassinæ diœceseos, qvas edidit Nicolaus Camuzat *fol. 313.* habetur instrumentum donationis, his verbis conscriptum: *Ego Gaufridus de villa,, Harduini Romaniæ Seneschallus ab-,, batiam Saphadini - - datam & con-,, cessam & etiam cum duabus carru-,, catis terræ, qvas ego prædictæ Eccle-,, siæ pro salute animæ meæ dederam,,* &c. Est autem carrucata tantæ terræ portio, qvæ ad unius aratri operam designatur. H. Spelmann. *voc. Carva.*

Ab

Ab Anglis Hida dicebatur, de qvo vocabulo idem videri poterit Spelmannus, & Jacob Usserius *de antiq. Eccles. Britann. c. 2. p. 21.*

XXXVII. Nec verò huc pertinere videtur, qvod ad Mennam Regem scribens Honorius III. Pontifex triginta passus terræ cuilibet Ecclesiæ dari voluit, nec adeò necesse fuit, ut tàm sollicitus esset Innocentius Cironius in compilatione V. Decretalium, in exqvirendis canonicis sanctionibus, qvæ istum doti Ecclesiasticæ modum dixerint. Verba Honorii, qvæ refert Cironius *cap. de jur. patron.* sic habent: *tuam Serenitatem rogamus, monemus & hortamur attentè, qvatenus cùm indecens modis omnibus videatur, ut Ecclesiæ memoratæ, competenti dote penitus sint expertes, ipsarum cuilibet, saltem triginta passus terræ, juxta Canonicas sanctiones, in liberam eleemosynam, extra cœmiterium, à parte qvâlibet earundem ad domos Clericorum faciendas; ibidem liberaliter largiaris.* Agit, nî fallor, de spacio, qvod Ecclesiæ olim circum circa assignari extra muros oportuit, idqve in reverentiam ejus, uti dicitur *can. definivit. 17. q. 4.* Estqve hæc, si rectè percipio mentem Honorii, ejus sententia, indecens esse, Ecclesias competenti dote carere, accedere verò etiam hoc, qvòd ne qvidem triginta passus, communiter tribui soliti, eis fuerint concessi; debere igitur Mennam, si de dote prospicere non possit, hoc saltem cavere, ut triginta passus terræ extra cœmiterium illis assignentur, ad hoc scil. ut domûs Clericorum illis ædificentur. Exprimit finem longè alium, qvàm qvi est mansi aut colonicæ in dotem datæ. Mansum enim, uti supra audivimus, de terrâ arabili dari oportuit, ut alimenta inde haberent Clerici, qvæ terra sæpè longiùs remota est ab Ecclesiâ; sed triginta illi passûs, de qvibus Honorius agit, Ecclesiæ aut cœmeterio contingui sunt, atqve ideò eos dari jubet, ut Clerici domos illic extruere qveant.

XXXVIII. Sed nec probari simpliciter potest explicatio glossæ *ad c. secundum. 23. q. 8.* & ad *c. 1. X. de censib.* mansum scilicet dici agrum, unde percipitur frumentum & vinum ad eucharistiam faciendam. Enimverò ex reditibus istius agri comparari debere vinum & frumentum, si aliunde materia Sacramenti non suppetat, dubium nullum est. Verùm in his solis constitutio dotis Ecclesiasticæ non absolvitur, sed longè major ea esse debet, qvàm ut sufficiat Eucharistiæ conficiendæ. Et ex antè dictis patet, alimenta etiam ministrorum inde peti debere. Ut adeò magis placeat definitio Cujacii, qvam posuit *l. F.* hunc in modum: *Mansus est fundus, unde qvis se & familiam suam tueri satis commodè potest*, ac

præterea vectigal sive censum domino referre, & qvod veteres dixere heredium. Civilis hic mansus est aut secularis, qvem definit Cujacius; Ecclesiasticus enim ab omni censu immunis est, uti infra pleniùs dicetur, qvi tamen & ipse sufficere debet familiæ alendæ, pro cujusqve instituto. Nec repugno igitur, si qvis cum Antonio Bengeo & Francisco Pinssonio *de benef. Eccles. tit. de dote const.* §. *1. n. 31.* statuat, mansi vocabulo comprehendi etiam villam, & ædificia, in qvibus habitare possint coloni seu villici. Et hoc idem etiam de Hidâ asserit Henr. Spelmannus *in glossar. voc. Hida.* Idqve fortè Germanicum nostrum est Hütte. itemqve de coloniâ Andreas Qvercetanus *ad biblioth. Cluniac. p. 30.* qvod sit domuncula cum agri tanto, qvantum colonus unus cum servis suis colere potest.

XXXIX. Ex legibus Karolinis sufficiebat singulis Ecclesiis unum mansum addicere, uti supra dixi. Sed hic modus ad Ecclesias fortè minores pertinuit, majoribus enim plures numero tributos fuisse & tribui oportuisse, ex vetere historiâ Ecclesiasticâ constat. Sæpè etiam liberalitas dotantis ordinarium modum excessit, & coerceri intra certam mensuram noluit. Imò verò Ecclesiæ qvandoqve seorsim in usus sacros, & seorsim presbytero agri assignati fuére In diplomate Ottonis I. apud Lindenbroggium *in glossario vocab. Dos Ecclesiæ* legitur: *Dotem qvoq; Ecclesiæ, i. e. duas hobas possessas, & beneficium presbyteri in eodem loco deservientis, i. e. unam habam*, &c. Episcopali Ecclesiæ Bremensi septuaginta mansos collatos fuisse, patet ex duplomate Karoli, qvod extat apud Krantzium *Saxon. lib. 2. c. 15.* Subseqventibus temporibus Episcopali Ecclesiæ trecentos mansos, qvasi ex lege, in dotem constitutos fuisse ex Helmodi *Chron. Slavorum* colligimus. Sic enim ait *cap. 83. His provocatus Dux, accersivit Comitem Adolphum, & habuit cum eo rationem de trecentis mansis, qvi oblati fuerant in dotem Episcopi.* Et clariùs *cap. 87. Et subscripsit in dotem Magnopolitanæ Ecclesiæ trecentos mansos, sicut antea fecerat Racesburgensi & Aldenburgensi Ecclesiæ.*

XL. Freqventer verò etiam hoc contigit, ut parochialis Ecclesia, sicubi bonis aucta fuisset, in conventualem aut collegiatam mutaretur. Collegiata enim dignior & honoratior â Canonistis habetur, creditumqve jam à multis temporibus fuit, solenniùs & devotiùs in tali Ecclesiâ cultum peragi divinum, magisqve placari DEUM, si & missa freqventiùs, & diurnum atqve nocturnum officium perpetuò celebretur. Nec tamen in mutationem talem consentiebat Episcopus, nisi paro-

parochiali Ecclesiæ tantæ facultates adessent, qvantæ Collegiatæ sufficerent, atqve istas ante omnia explorari oportebat. Unicum addam exemplum ex diplomate Hugonis Episcopi Leodiensis relato ab Auberto Miræo *in donat. Belg. l. 1. cap. 126.* qvo Ecclesia parochialis Diestemii in Brabantiâ in collegiatam Canonicorum „conversa est. *Nos*, inqvit, *de tàm de-„voto proposito dicti nobilis congau-„dentes, reperto per inqvisitionem „autoritate nostrâ factam, qvod Ec-„clesia parochialis S. Johannis Ba-„ptistæ prædicta & ejus locus honesti „sint, & benè dispositi, qvodq; in ea-„dem Ecclesia est Rector Ecclesiæ & „decem Capellani habentes compe-„tentiam in reditibus annuatim, de „qvibus in collegio tanqvam Canoni-„ci vivere benè possunt* &c. Ex qvo constat, uti plures reditûs, sic etiam plures mansos Ecclesiæ Collegiatæ, qvàm parochiali, & plures fortè Cathedrali, qvam collegiatæ assignari oportuisse.

XLI. Etsi verò de mensurâ & modo mansorum non satis constet, certum tamen eum fuisse, pro varietate locorum nihilominùs variantem, dubium apud me nullum est. In capitulis visitationis, qvæ ab Hincmaro Remensi congesta & magistris atque decanis presbyteris præscripta sunt, secundo loco hoc habetur, ut inqvirant, *si presbyter habeat mansum habentem bunnuaria duodecim, præter cœmeterium & cortem, ubi Ecclesia & domus ipsius continetur, aut si habent mancipia qvatuor.* Qvæ verba apprimè faciunt ad confirmandam explicationem verborum Honorii Pontificis supra adductorum. Est autem bunnarium, sive buunarium, aut bunuarium mensura qvædam terræ, sicut jugera, & ex talibus buunariis duodecim debuit constare mansus Ecclesiæ. Ecclesiæ, inqvam; Capellæ enim & Oratoria fortean tot bunnaria non semper habuérunt, uti de Capella in Attolæ curte sita refert idem Hincmarus *opusc. 55. adversus Hincmarum Laudunensem cap. 1.* eam non habere, nisi de terrâ arabili bunnuaria septem, nihil de vineâ, nihil de prato, vel qviddam de pascuali, sed & mancipium nullum. Et supra diximus, Capellis & oratoriis vel omninò nullam, vel aliqvam, sed non æqvè tantam semper, ut Ecclesiis, constitutam fuisse dotem.

XLII. Ecclesiæ autem si constituenda fuit dos, sollicitè in id semper inqvisitum fuit, ut mansus integer & justa terræ portio assignetur, & ne deinceps de integritate ejus aliqvid deficiat. Refert Helmoldus *Chron. Slavor. d. cap. 83.* pôstqvam Comes Adolphus trecentos mansos in Vagriâ in dotem Episcopii promisisset, noluisse Episcopum contentum esse mensurâ abs

Comite factâ, sed ad suam propriam mensuram mansos istos exegisse. Verba ejus hæc sunt: *Et ait Comes: Eat Dominus Episcopus in Vagriam & adhibitis Viris industriis æstimari faciat prædia hæc. qvod defuerit de trecentis mansis, ego supplebo, qvod superfuerit, meum erit. Veniens ergò Episcopus vidit possessionem, & habitâ inqvisitione cum colonis, deprehendit prædia hæc vix centum mansos continere. Qvamobrem Comes fecit mensurari terram funiculo brevi & nostratibus incognito. Præterea paludes & nemora funiculo mensus est, et ita fecit maximum agrorum numerum. Perlata ergò causa ad ducem, adjudicavit Dux Episcopo dari mensuram juxta morem terræ hujus, nec mensurandas paludes aut sylvas robustiores &c.* Et hæc verba confirmant sententiam supra propositam, istis scil. temporibus trecentos mansos Ecclesiæ Cathedrali aut Episcopali in dotem qvasi ex lege constitui oportuisse, & qvidem secundùm mensuram tùm temporis usitatam.

CAPUT VIII.

In qvibus rebus constitui debeat dos Ecclesiæ.

SUMMARIA.

Recapitulatio de mansis in dotem dari solitis, cum annexa conclusione: dotem Ecclesiæ non nisi in bonis immobilibus constitui oportuisse, n. 1, 4, 5. conf. n. 40.

Annuos reditus perpetuos, præsertim irredimibiles, qvales esse oporteat in dotem Ecclesiæ constitutos, inter bona immobilia referri, eôd.

Bonorum mobilium natura, conditio atq; ratio qvæ sit? n. 2, 40.

Præcipuam dotis Ecclesiasticæ affectionem esse perpetuitatem, eôd.

Cur fideicommissa familiarum nobilium in bonis mobilibus constitui neqveant? eôd.

Immobilium duratio & perpetuitas, cum subjunctâ differentia in illis ratione securitatis, eôd. conf. n. 40.

In utris immobilibus dos Ecclesiæ constitui debeat? ibid.

Dotis Ecclesiasticæ, & ejus, qvæ uxori in matrimonio contrahendo vel contracto constituitur, differentia ratione rerum, qvæ in dotem dantur, eôd.

Sine

Sine mobilibus qvibusdam sacra commodè peragi non posse; qvalia ista fint, num alienari possint, & qvid reqviratur ad illarum alienandarum libertatem? n. 3.

Verba Guilielmi Rodoani de ordine in alienatione rerum & bonorum ecclesiasticorum observando, eôd.

Mundum muliebrem non computari in dotem, & ex qva ratione? n. 4.

Num in mundi muliebris modum ad Ecclesiæ dotem non pertineat ornatus Ecclesiasticus, qvi in vasis & vestimentis sacris consistit? eôd.

Num instrumenta rustica prædii partem faciant ita, ut necessariò istud seqvantur, & ab eò prorsus inseparabilia sint?

Facere partem prædii, qvæ fundô aut prædio ita insunt, ut perpetuò mansura sint, eôd.

Discrimen inter dotem & donationem ac largitionem, qvæ Ecclesiæ fit, n. 5.

Sæpè utramq; in eodem comprehensam legi instrumento, eôd.

Verba Gregorii Magni ad Passivum Episcopum Firmanum, & ad Fortunatum Episcopum Neapolitanum, in hanc rem, eôd.

Diploma Gerhardi Principis, & testamentum Jacobi Presbyteri Leodiensis Diœceseos, n. 6.

Reditûs, qvi in Ecclesiarum usûs ex donationibus cesserint, admodum varios fuisse, prout qvisqve donator ipse eos anteà habuerit, & nihil omninò inveniri in hominum commercio, dum aliqvale saltem emolumentum præstet, qvod non aliqvando in suo genere Ecclesiis & piis locis dicatum fuerit, n. 7, 8, 9.

Etiam reditûs sæpè injustè acqvisitos, qvorumq; titulus planè vitiosus est, sacris destinari ædificiis & ministeriis; cum subjunctâ discussione hujus rei & epicrisi, additôq; exemplô Constantini, Caroli Magni, & ipsorum similium, n. 9.

Extra casum, qvô restitutio dominis fieri neqvit, non esse putandam eleemosynam, si pauperibus dispensetur, qvod ex illicitis rebus acqviritur, n. 10.

Laudatio & recitatio Verborum Nicolai le Maistre circa præsens argumentum, n. 11.

Propter alimenta Clericorum varias species frumenti & leguminis donatas in antiqvis monumentis legi; nec tamen frumenti appellatione legumina venire; & qvæ sint utraq;? n. 12.

Lupinos, fabam, cicer, pisa, frumenta non esse, sed fruges, eôd.

Frumenta & legumina in donationibus piis probè discernenda esse, & qvare? eôd.

Bladi nomen qvid significet? eôd.

Qvando Ecclesia cœperint habere proprios agros & bona immobilia; & qvomodò Constantinus ipse certam vectigalium partem fisco detractam alendis Ecclesiæ ministris impenderit, ac cuiq; licentiam dederit, Ecclesiis testamento relinqvendi, qvicquid voluerit, n. 13.

Alimenta Sacerdotibus gentilium ex publico præstita fuisse, eôd.

De bonorum immobilium & prædiorum sacris Gentilium olim destinatorum, & fanorum conversione in Christianos usûs, n. 14.

Illatio ex præcedentibus: Constantinum ministros Ecclesiæ ex publico sic ali voluisse, ut tamen non vetaret, Ecclesiæ propria esse prædia, certosq; ex iis proventûs, n. 15.

Valdè plerumq; miserum esse, ab ærarii præfectis pendere, eôd.

In lege Constantini qvid significet Concilium sanctissimum & venerabile? eôd.

In instrumentis ultimarum voluntatum ministerium aliqvando designari, datum autem intelligi templo; & sic etiam qvod civibus legatur, ipsi civitati legatum intelligi, eôd.

Christianorum ministrorum ordo aut corpus qvâ seqvelâ inter collegia licita referatur à Constantino? eôd.

Non valere legatum, si legetur corpori, cui coire non licet, nisi legetur singulis, eôd.

Judæorum universitati qvoqve testamentô nihil omninò relinqvi posse, posse tamen singulis, eôd.

Non minus Christianis olim, qvàm Judæis, in unum corpus coire prohibitum fuisse, eôd.

Collegium non esse prohibitum, aut pro illicito habendum, cui ex testamento capere licet, eôd.

Qvomodo post Constantinum Julianus apostata factus sit, & beneficia Christianis à Constantino collata revocarit, atq; omnia Ecclesiis ademerit? n. 16.

Restituisse res Christianorum collapsas Jovianum & Valentinianum III. n. 17.

Coërcitam tamen fuisse aliqvando potestatem, qvam in ultimis voluntatibus liberam cuiq; esse voluit Constantinus, relinqvendi sc. Ecclesiis earumq; ministris bonorum suorum qvodcunq; voluerit, duabus Valentiniani constitutionibus probatur, n. 18.

Continentes qvi dicantur? eôd.

Causa impulsiva & occasio dictarum constitutionum qvæ fuerit? n. 19, 23.

Verba

Origo

Origo illius ad qvæ tempora sit referenda? eôd.

De instrumentis circa id negocium confici solitis, ab unâ parte propriè precaria s. epistola firmitatis, ab altera parte præstaria, s. præstationis charta dictis, n. 29.

De precariarum degeneratione in beneficia diuturniora & perpetua, & consultationibus de redigendis iis in statum pristinum, ibid.

Repetitio de profusa prædiorum in Ecclesiam translatione, additis Sigonii in hanc rem verbis, n. 30.

Tria ex istbac profusione præcipuè in Rempublicam redundâsse mala, qvæ Majestati imperantium tantùm non exitium attulerunt, 1. qvòd Episcopi in luxum profusissimi bona Ecclesiastica perditè consumpserint, eôd.

2. Qvò Episcopi ultra Sacerdotii limites ad externum dominatum progressi sint, n. 32.

3. Qvòd propter exemptionem bonorum ecclesiasticorum haud exigua territorii portio oneribus civilibus prorsùs subducatur, atqve sic imperium Principis coangustetur magis, ipsumqve ærarium publicum attenuetur valdè & pauperius reddatur, n. 33.

Declamatio in luxum Episcoporum Gvilielmi Budæi, per indicem expurgatorium inde notati, n. 30.

Ipsos qvandoq; Episcopos agnovisse, suum immoderatum luxum conditioni suæ parùm convenire, n. 31.

Frugales à Coëpiscopis suis pessimè & indignissimis modis tractatos esse, eôd.

Episcopos hodiè principum magis titulô & civilis alicujus potestatis axiomate insigniri malle, qvàm ab officio, qvod gerunt, sacro, n. 32.

Jacobi Regis Angliæ verba in bonorum Ecclesiasticorum ab oneribus civilibus exemptionem, n. 33.

Qvaliter propter memorata modus à Legislatoribus positus sit Ecclesiis circa acqvisitiones fundorum & bonorum immobilium? n. 34. 35. conf. n. 37.

De collatione bonorum immobilium in manum mortuam apud Gallos vetitâ sine amortizatione, s. morticinii beneficio à Principe accepto, vel indemnitate Fisco præstitâ, & qvotupliciter illa indemnitas præstetur? num. 35.

De justitiâ dictarum legum inter Canonistas maximam esse contentionem, num. 36.

Qverela Chilperici, Regis Francorum, de depauperatione fisci propter divitiarum Ecclesiasticarum nimium incrementum, eôd.

Antonii

Antonii Capelli Franciscani Conventualis contra Jacobum Regem Angliæ, & Cardinalis Bellarmini contra Paulum Servitam Venetum negatio tot & tantarum Ecclesiæ acquisitionum, cum subjuncta epicrisi & exemplo Ecclesiarum Anglicarum Henrici III. tempore in contrarium, consilioq; de veriore in variis regionibus & hominum & redituum ecclesiasticorum calculo inveniendo. n. 37.

De Jure exactionis tributorum & præstationum publicarum circa bona ecclesiastica & clericorum patrimonialia, deq; Jurisdictione in ea omnia, n. 38.

Non rustica tantùm, sed urbana etiam prædia doti ecclesiasticæ argumentum dedisse. n. 39.

Prædia, quæ fisco vindicata, publicè adfixis titulis insignita esse, ibid.

Si mobilia tantùm quis elargitus fuerit Ecclesiæ in dotem, vendi illa & ex precio fundos & prædia comparari necesse fuisse, n. 40.

Plus cautionis & securitatis inesse in immobilibus, quàm in mobilibus, & plus in prædiis rusticis, quàm urbanis, eôd.

Repetitio ex capite præcedente, de manso uno vel pluribus Ecclesiæ assignandis primam & præcipuam fuisse curam, n. 41.

Mansum non integrum tantùm & justâ mensurâ terminatum, sed etiam vestitum sive cum instrumento suo dari oportuisse. Et mansus vestitus qui dictus sit? eôd.

Manso vestito oppositus mansus apsus s. prædium nudum & investe sine instrumento rustico, eôd.

Mansum vestitum Colonicam vestitam appellâsse Patres in Concilio Valentino, eôd.

Diplomatis, quô Bruno Trevirensis Archiepiscopus privilegia monasterii Münsteriensis confirmavit, in hanc rem verba, eôd.

Mansus indominicatus quis dicatur? eôd.

Quid propriè ad mansum vestitum requiratur? n. 42, 43.

Multum differre fundum instructum à fundo cum instrumento? Et quid fundus instructus denotet in legato & in dotis ecclesiasticæ constitutione? n. 42.

In instrumento fundi quæ contineantur, & quæ instrumenta ad mansum ecclesiasticum sint necessaria? n. 43.

Transitio ad dissertationem de hominibus istis, qui Ecclesiæ extra sacra in rebus dotalibus inservierunt. eôd.

P Reditûs

Reditûs annuos ex prædiis in dotem Ecclesiæ constitutos, manente dominiô prædii apud constituentem, regulariter censeri irredimibiles, nec liberari debitorem, sicubi pro eis sortem ad rationem usurarum computatam solvere velit, adductô præjudiciô JCtorum Wittebergensium ostenditur, n. 44.

SUb finem capitis antecedentis diximus, unum mansum minimam fuisse dotem, qvam constitui oportuit, qvippe qvem sufficere arbitrata fuit istius temporis Ecclesia, ut inde parochus alimenta sua habere qveat. Pro ratione igitur Ecclesiæ, & instituto ædificantis aut dotantis duo pluresve mansi dari solebant. Et illi quidem omnes de terrâ arabili, uti dicitur in Constitutione Lotharii Imperatoris, qvam supra adduximus, ita ut non computarentur paludes & sylvæ robustiores, uti disertè illæ exceptæ fuérunt apud Helmoldum *d. l.* Hinc igitur concludo, dotem Ecclesiæ non nisi in bonis immobilibus constitui oportuisse, sive jam ipsa terra in Ecclesiæ dominium translata, sive reditûs ex illa certi & perpetui, atqve irrevocabiles assignati fuerint. Ex communi enim Doctorum opinione annui reditûs perpetui, præsertim irredimibiles, qvales esse oportet in dotem Ecclesiæ constitutos, inter bona immobilia referuntur. Andr. Gail. *l. 2. obs. 10.* Mynsing. *1. obs. 69.* Anton. Gabriel. *comm. conclus. lib. 6. tit. de V. S. conclus. 8.* Joh. Parlador. *l. 1. rer. qvotid. c. 3. §. 8.* Molestin. Pistor. *qvæst. 124. n. 49.* Johann. Koppen *decis. 24. n. 8.*

II. Est enimverò hæc bonorum mobilium natura atqve conditio, ut variis fortunæ ludibriis exposita sint, qvædam etiam servando servari neqveant, ut adeò in his nihil præsidii habere qveat Ecclesia, qvod perpetuum sit. Perpetuitas autem præcipua est affectio dotis Ecclesiasticæ, uti ipsius etiam Ecclesiæ perpetuitas ab ædificantibus semper intenditur. Unde est, qvòd fideicommissa familiarum nobilium in bonis mobilibus constitui neqveant. Philip. Knipschild. *de fideicommiss. fam. cap. 5. num. 1.* qvippe qvæ hunc principalem finem habent, ut bona in familiâ perpetuò conserventur, & ut inde splendor familiæ constet. In bonis autem mobilibus, qvà talibus, perpetuum & durabile qvid effici neqvit. Ludov. Molina *de primogen. Hisp. lib. 2. cap. 10. n. 3.* Immobilium verò longè alia est ratio. Etsi enim per incursûs hostium & ipsa devastari, nonnulla etiam incendio consumi qveant, reparari tamen ea faciliùs possunt, & manet interea fundus, ager, area, pratum &c. qvæ usus aliqvando ex

se

ſe pleniores ſperare faciunt. Et eſt tamen in his qvoqve aliqva differentia, qvandoqvidem longè ſecurior cenſetur creditor, qvi in agro, prato, ſylvâ pignus aut hypothecam conſtitutam habet, qvàm cui domus obligata eſt, cùm hæc incendio conſumi qveat, illa verò à periculo tali prorſus exempta ſint. Et per conſeqvens dos etiam Eccleſiæ in illis potiùs, qvàm in his conſtitui debet, ideò ſcil. ut evitetur, qvoad fieri poſſit, ejus defectus & conſumptio. Et in hoc ſcil. multum differt dos Eccleſiæ, ab ea, qvæ Uxori in matrimonio contrahendo vel contracto conſtituitur, cùm ab Uxore aut pro Uxore dari poſſint non fundi tantùm, ſed mobilia etiam & moventia, & talia inſuper, qvæ numero, pondere, & menſurâ conſtant, qvorum uſus in abuſu conſiſtit, *l. 42. ff. de jur. dot. l. un. §. 7. C. de R. U. A.* id qvod doti Eccleſiaſticæ convenire non videtur.

III. Sunt verò mobilia qvædam, ſine qvibus peragi ſacra commodè non poſſunt, & qvæ proinde partem dotis Eccleſiaſticæ facere videntur, qvalia ſunt vaſa ſacra & ornamenta. Atqva iſtarum rerum alienationem jam olim ſeverè prohibuerunt leges tùm civiles, tùm Eccleſiaſticæ, *l. 21. C. de SS. Eccleſ. Novell. 7. c. 8. can. Apoſtolicos. 12. q. 2.* niſi fortè redemtio captivorum, vel alimenta in pauperes arctiori tempore eroganda id exegerint, qvoniam non abſurdum eſt, animas hominum qvibuscunqve vaſis vel veſtimentis præferri, uti loqvitur Juſtinianus Imp. *in d. l. 21.* Conf. Marc. Anton. de Dominis *de Rep. Eccleſ. lib. 9. cap. 6. n. 45.* G. Franzk. *lib. 2. reſolut. 7. n. 50. 51.* Imò verò ſollicitè magis & majori cum circumſpectione procedendum eſt in alienatione rerum iſtarum, qvam aliarum rerum dotem Eccleſiaſticam ingredientium. In illis neceſſitas & urgens qvidem ut adſit, reqviritur; in his utilitas qvandoqve ſufficit. Atqve de his mobilibus intelligo, qvod ſcribit Gvilielmus Redoanus *de reb. Eccleſ. non al. qvæſt. 19. n. 84.* in alienatione rerum & bonorum Eccleſiaſticorum ordinem ſervari, & immobilia priùs, qvàm mobilia, qvæ non ſuperflua ſunt, diſtrahi debere, *qvia*, inqvit, *ſine mobilibus neceſſariis Eccleſia non poteſt eſſe commodè, ſed benè ſine immobilibus, & ita potiùs iſta ſunt alienanda, qvàm alia.*

IV. Sed enim uti mundus muliebris hodiè in dotem computari non ſolet, qvippe qvi ad ornatum pertinet, non ad matrimonii onera ferenda: ſic etiam tentari poſſet, neqve ornatum Eccleſiaſticum, qvi in vaſis & veſtimentis ſacris conſiſtit, ad dotem Eccleſiæ pertinere, ut verum adhuc ſit, qvod ſupra dixi, nonniſi in bonis immobilibus dotem Eccleſiæ rectè conſtitui.

Faciant tamen vasa illa & instrumenta sacra partem dotis, facient nihilominùs illa partem bonorum immobilium. Etsi enim instrumenta rustica prædii partem non faciant ita, ut necessariò eum seqvantur, & ab eo prorsus inseparabilia sint, cùm nec fundo legato suppellex rustica simul legata censeatur, *l. fin. ff. de suppellect. leg.* dispar tamen videtur esse ratio suppellectilis sacræ, qvæ Ecclesiæ ita addicitur, ut perpetuò ejus sit, & in eâ perpetuò maneat. At qvæ prædio aut fundo ita insunt, ut perpetuò mansura sint, faciunt partem prædii, *arg. l. 44. ff. de leg. 3. l. 32. ff. de pign. l. 35. §. rerum. ff. de hered. inst. l. 1. & 2. C. de V. S.*

V. Anteqvam ulteriùs pergamus, monendus mihi es, Lector benevole, & hîc in seqventibus probè discerni debere dotem à donatione & largitione, qvæ fit Ecclesiæ; illam nonnisi in bonis immobilibus, hanc in qvâcunq; re, sive mobili, sive immobili consistere, veterum ostendunt monumenta. Sæpè tamen utraqve in eodem comprehensa legitur instrumento, qvatenus, qvi dotem constitnit, ultra illam liberalis est, & non dotatam tantùm congruè, sed etiam ditatam & variis bonis instructam voluit Ecclesiam. Qvò refero, qvod scribit Gregorius Magnus ad Passivum Episcopum Firmanum *lib. 10. indict. 5. epist. 12.* ubi agit de Oratorio conservando: *Et ideò* inqvit, *Frater charissime, -- -- perceptâ primitùs donatione legitimâ, id est, fundos campulos cum conduma una, boves domitos parium unum, vaccas duas, argenti libras qvatuor, lectum stratum unum, in peculio capita qvindecim, armenti capita duo, ferramenta numero qvinq;, præsentes liberos à tributis fiscalibus solidos sex, gestisqve municipalibus alligatâ, prædictum oratorium solenniter consecrabis.* &c. Et in Epistolâ ad Fortunatum Episcopum Neapolitanum, qvæ extat *lib. 2. indict. 11. n 59. Rusticam,* ait, *oratorium extruxisse, & pro voto suo qvatuor uncias totius substantiæ suæ testamento legasse, atq; hinc fieri jubet consecrationem.* Deinde addit: *Si qvid pro diversorum devotione commoditatis accesserit, sibi æstimet vendicandum, sive aurum, sive argentum, sive prædium, sive vestimentum, omnibus modis constructio præfata possideat.* &c. Sine dubio Rusticæ illius substantia ex pluribus rebus, non immobilibus tantùm, & illic consistentibus, sed pluribus etiam mobilibus aliis constitit, ex qvibus omnibus dodrans pro parte indivisâ ex donatione Oratorio aut Ecclesiæ cessit.

VI. Pertinet huc Diploma Gerhardi Viri Principis, qvem Aubertus Miræus putat fuisse Ducem Lotharingiæ Mosellanæ ordine septimum, cujus inter alia ex recensione Miræi *in donat. Belg. lib. 1. c. 20.* hæc sunt verba: *Perpendens ergò à DEO mihi reservatum hujus beneficentiæ fructum, obtuli DEO sancto-*

"*sanctoqve Martyri Benigno pro peccatorum meorum absolutione, prog, Patris mei Adalberti & Avunculi mei Gerhardi animarum salute jam memoratum prædium, villam scil. Vulferei curtis, qvæsita est in comitatu Solecensi, supra flumen, qvod dicitur Mosuna, cum omnibus suis appendiciis: inprimis scil. cum Ecclesiâ in honore DEI Genitricis dicatâ, servis & ancillis ibi commanentibus, seu alibi dispersis, sylvis, pascuis, aqvis, aqvarumqve decursibus, molendinis, cunctis insuper ad prædictum locum interiùs aut exteriùs pertinentibus, qvæsitis & inqvirendis, totum ex integro de meâ potestate in præfati Monasterii Rectorumqve ejus transfundo. &c.*" Totus verborum contextus universitatem rerum ad Villam istam pertinentium, non immobilium tantùm, sed etiam mobilium, præsentium & futurarum aut comparandarum exprimit, neqve adeò qvicqvam exceptum voluit Donator, præter jus Advocatias, de qvo in seqventibus plenior erit dicendi locus. Ad eundem modum Jacobus Presbyter Leodiensis Diœceseos, cùm Ecclesiam oppidi Bredani parochialem in conventualem & collegiatam evehi vellet, testamento bona sua pleraqve omnia ei addixit, atqve inter alia his verbis usus est: "*Omnia etiam alia bona mea mobilia & immobilia, de qvibus non ordinavi, aut non ordinabo expressè, volo, qvod ad augmentationem cedant dictarum prabendarum, si eas contingat ad effectum perduci* &c." recensente eodem Miræo *l. 1. donat. Belg. c. 127.*

VII. Reditûs, qvi in Ecclesiarum usûs ex donationibus cedebant, admodùm varii erant, prout qvisqve donator ipse eos anteà habuerat. Hugo III. Dux Burgundiæ, cùm fundaret Ecclesiam Divionensem, reditûs illi dicavit, qvos ipse antè perceperat, de qvibus tamen, qvales fuerint, vix hodie licebit certi qvid asserere: "*In eâdem*, inqvit, *villâ in proprios usus reditûs assignavi, videlicet, qvicqvid habebam de ventis, & astalagium, qvod mihi debebant pannifici & calceamentorum constructores, & placitum generale.*" Diploma refertur ab Auberto Miræo *in donat. Belg. lib. 1. cap. 70.* Qvid sibi verba ista velint, difficile erit explicare, certas tamen redituum species per illa significari, dubium non est. Habebant alii telonia, censûs, aliaqve jura, qvæ in dotem conferebant. Sic enim Johannes Dominus de Valery Abbati & conventui Cluniacensi dono dedit villam cum omnibus *censibus, talliis, justitiis & juribus qvibuscunqve*, uti habet Charta in Biblioth. Cluniacens. sub Jvon. I. *pag. 1523.* Alii usum sylvæ concesserunt, uti exemplum habetur in eâdem Bibl. Clun. sub Hugone VI. *pag. 1510.* ubi Humbertus Domi-

nus Belli joci in nemoribus de Pinoi & de Roncinis & de Ali concedit usagium, qvantum necesse fuerit domui de Arpajaco tàm ad calefaciendum, qvàm ad ædificandum & alios usûs domui necessarios. Invenio etiam haleces aliqvando datos. Sic enim legitur in fundatione Monasterii prope Insulam Flandriæ emporium, qvam fecit Johanna Constantinopolitana Flandriæ & Hannoniæ Comitissa, apud Miræ. *lib. 2. Donat. Belgic. cap. 96.* his verbis: "*Dedimus prætereà in eleemosynam* "*ipsi Monasterio unum last halecium,* "*qvod singulis annis in festo S. Mar-* "*tini debet accipere apud Mardic.* Et à Nicolao Camuzat. *in antiq. Trecens. p. 371.* recensetur instrumentum donationis Erardi Comitis Brenensis, in qvo refertur, patrem ejus tercentum halecia monasterio in perpetuum contulisse. Sed & casei qvandoqve in donationem venerunt, aliqvando & angvillæ, pelles, cerevisia, & qvicqvid deniqve emolumentum aliqvod præbere potest. Patet id ex diplomate Philippi Flandriæ Comitis, in qvo refert ea, qvæ à Patre suo Theoderico Alsatio, Ecclesiæ in burgo Brugensi in dotem data fuerunt, apud eund. Miræ. *lib. 2. cap. 65.* Inter alia hæc ibi habentur verba: *Prætereà* "*in ministerium Ecclesiæ ejusdem Cu-* "*stodem statuerunt, eiq; in usus suos* "*assignaverunt qvinqve pisa caseo-* "*rum, viginti qvatuor hodos avenæ,* *ducentas angvillas in Qvadragesimâ, qvatuor pelles in ministerio* " *Dierkimi, in officio Lamberti Notarii cerevisiam, ex Hofporcis viginti* " *novem denarios in Rogationibus* &c." Referuntur ibi etiam butyrum, oleum, cera, & alia plura.

VIII. Ut habeant antiqvitatis studiosi, in qvo se exerceant, & inprimis illi, qvi in barbarismis explicandis operam atqve industriam suam ponunt, ex instrumento donationis ab Henrico Campaniæ Comite Ecclesiæ S. Stephani Trecensis collatæ, uti id totum ab Nicolao Camuzat *in antiqv. Tricassin. pag. 331.* refertur, nonnulla huc facientia adscribere libuit, qvæ hæc sunt: *Concedo igitur prædictæ Ecclesiæ clau-*" *strum tàm qvietum & liberum,*" *qvàm est ipsa Ecclesia, qvicqvid ha-*" *bebam in molendinis juxta baluca,*" *--- & piscariam & cursum aqvæ,* *Seqvanæ sicut habebam, ---- me-*" *dietatem molendinorum de Insulis,*" *domum & justitiam ejusdem mo-*" *lendini. Dedi & decimam avenæ,*" *nemorum circa insulas, usuarium,*" *omnium forestarum mearum ad o-*" *pus Ecclesiæ & ipsorum Canonico-*" *rum, qvibuscunq; indiguerint. deci-*" *mam de balneo, ---- medietatem*" *furni bilduini de vendopera liberam,*" *ante Domgionem, medietatem fur-*" *ni berfredi liberam, qvæ tenetur ab*" *Ecclesiâ in casamento libera. Ita ta-*" *men, qvod si furni fortè comburan-*" *tur*

„*tur, illi, qvi tenebunt furnos, eos refi-*
„*ciant, & furnu necessaria ministra-*
„*bunt. Concesfionem, qvam feci vobis,*
„*scil. ne fiat furnus à cursu Seqvanæ,*
„*ubi dicitur pons aulæ, usq; ad S. Savi-*
„*nam nisi assensu capituli vestri. Do-*
„*mum unam, --- domum aliam -- te-*
„*loneum & libertatem domus Caro-*
„*li. -- -- libertatem qvinq; stallorum,*
„*qvæ dederunt in foro Ecclesiæ nostræ*
„*Theobaldus scriba.---Stallum in fo-*
„*ro liberum, qvod emistis ab amico fi-*
„*lio Belini. libertatem Jobiæ sitæ in*
„*pelliparià.--- Jobiam magistri Rober-*
„*ti & medietatem Jobiarum, qvæ*
„*partiuntur cum Petro raso, & Jo-*
„*biam corrigiarum in medio foro.*
„*Telonium corvesariæ in nundinis*
„*& per totum annum, ubiq; corue-*
„*sium vendatur. Telonium minuti*
„*ministerii ubicunq; sit in nundinis &*
„*per totum annum. Telonium totius*
„*ceræ, ubicunqve Trecis vendatur,*
„*- - medietatem telonii guimplarum,*
„*pedagium portæ ursariorum per to-*
„*tum annum sine nundinis, -- nundi-*
„*nam Clausi omninò liberam, qvæ in-*
„*cipit in festo S. Vincentii, & durat*
„*per 15. dies. pedagium per octo dies*
„*post nundinas, & pedagium de resi-*
„*duo nundinarum Clausi. medietas-*
„*tem pinii domorum clausi in eàdem*
„*nundinâ. Primum mensurarum*
„*salis, secundùm meternes salagii,*
„*& unum qvartæ trium singulis*
„*qvadrigis, qvæ à festo S. Andreæ*
„*usque ad purificationem B. Mariæ*
sal adducunt. Censum, qvem habe- „
tis in clauso, & justitiam domorum, „
ex qvibus census iste pervenit, -- -- „
pedagium doliorum vinum de foris „
advehentium. --- decimam frumen „
ti, qvod venit ad granarium meum, „
de potestate Trecarum. ---- tria ar- „
penta vineæ &c.

IX. Plura non addam, qvanqvam ejusmodi instrumenta adduci possent penè infinita. Hæc autem ideò recensere libuit, ut ostenderem, nihil omninò inveniri in hominum commercio, dum aliqvale saltem emolumentum præstet, qvod non aliqvando in suo genere Ecclesiis & piis locis dicatum fuerit. Qvin & reditûs sæpè injustè acqvisiti, qvorumqve titulus planè vitiosus est, sacris destinantur ædificiis & ministeriis. Et est scil. ea humani ingenii indoles, ut bona malè qvæsita non duratura putent, nisi ex his portio aliqva divino assignetur cultui. Et hinc adeò quamplurimos quotidiè videbis, qvi postqvam civium suorum oppressione, & avaritiâ, aut artibus inhonestis atqve illicitis ingentes divitias comparârunt, omnem ex vitiis suis contractam maculam elui, & omnibus numeris absolutam delictorum suorum veniam impetrari confidunt, sicubi ad pios usus portionem lucri acqvisiti impendant. Et est sanè eorum hoc consilium non omninò improbandum. Etsi enim laudari neqveat, qvi ideò artibus illici-

licitis utitur, ut eleemosynas faciat, aut pias causas promoveat; si tamen anteqvam in tali modo se peccare agnoscat, magnas conflaverit divitias, posteà verò per gratiam Spiritûs S. illuminatus, & de earum injustâ possessione edoctus & convictus fuerit, debet is utiqve, si potest, illi ipsi, cujus sunt res ablatæ, restituere, aut si ille in vivis esse desierit, ejus heredibus; si nec his possit, tùm ad egenos & pias causas facultates istæ sunt transferendæ. *Hoc consilio*, inqvit B. Chemnitius *in Harm. Evang. p. 2019. Christiani Imperatores Constantinus, Carolus Magnus, & ipsorum similes secuti esse videntur. Qvi & ipsi magna bella gesserunt, multos oppresserunt, immensas opes congesserunt, in qvibus bellis impossibile est, qvin multis bonis et innocentibus vis fuerit illata, qvi bonis suis præter jus & aeqvum sunt executi. Sed iidem Principes bello finito, & pace reparata, qvoniam non omnibus bona amissa restituere poterant, DEO & pauperibus eleemosynas dederunt, Ecclesias amplissimis reditibus dotarunt* &c. Conf. Joh. Conr. Danhauer *in Theol. Conscient. tom. 1. sect. 2. art. 6. n. 4.* Gisbert. Voët. *Polit. Eccles. part. 1. lib. 2. tr. 3. c. 5. p. 936.*

X. Extra hunc casum, qvo restitutio dominis fieri neqvit, non est putanda eleemosyna, si pauperibus dispensetur, qvod ex illicitis rebus acqviritur, uti ait Gregorius M. apud Gratianum *c. non est putanda. 1. q. 1.* & porrò: *Unde etiam certum est, qvia etsi monasteria vel xenodochia, vel qvid aliud ex pecuniâ, qvæ pro sacris ordinibus datur, construantur, non proficit mercedi* &c. Et ex hâc ratione improbat Isidorus Pelusiota ad Eunapium *epist. 37. l. 1.* institutum istud, qvo ex spoliis pauperum ædificantur Ecclesiæ. *Condis qvidem*, inqvit, *Ecclesiam in Pelusio, machinis qvidem ac molitionibus conspicuam, sed improbis studiis et sacrarum electionum preciis & injuriis atq; contumeliis, & tenuiorum oppressionibus & pauperum sumptibus. Id qvod nihil aliud est, qvàm ædificare Sion in sangvinibus & Hierusalem in injustitiis. Deus porrò sacrificio ex alienis bonis conflato nihil opus habet. Verum illud, perinde atqve eum, qvi canem mactat, execratur. Qvæ cùm ita sint, & ædificare & injuriam aliis inferre desine: ne alioqvi domus illa te apud eum prodat & convincat, ut qvæ sublimis qvidem & excelsa stet, verùm ob ea mala, ex qvibus exstructa est, te condemnet.*

XI. Eleganter circa hoc argumentum declamat Nicolaus le Maistre *de bon. Eccles. part. 2. lib. 1. c. 15.* cujus aliqva hic adscribam verba: *Olim*, inqvit, *milites credebant purgari se contractis in bello sceleribus et tot prædationum ac latrociniorum sordes elui, cùm prædæ partem Vulcano adolebant, & in sortem spoliorum rapacissimum vocabant elementum. Nunc homi-*

homines DEUM oblivisci furtorum & lacrymis pauperum gaudere arbitrantur, si langventium & fame pereuntium viscera aris admoveant, si in societatem fœdissimi lucri Ecclesiæ ministros adsciscant, si Christi fundum rapinis augeant. Non amat Servator his artibq splendescere, exhorrescit altaria, qvæ auro infami ac furtivo nitent. Templa ista, qvæ pauperum sangvis & viscera extruxerunt, longè ipsi suâ cruce atrociora sunt: famem suam non vult dæmonis auxilio sedari &c. Sed ista ὡς ἐν παρόδῳ. Redimus in viam, & qvod reliqvum est, conficiemus.

XII. Potissima verò in dote Ecclesiasticâ constituendâ habita fuit ratio alimentorum, qvibus Clerici sustentari possent. Atqve hinc in antiqvis monumentis, tùm frumenti, tùm leguminis variæ species donatæ leguntur. Nec tamen frumenti appellatione legumina veniunt. Sunt enim frumenta, qvæ aristâ continentur: legumina, qvæ siliqvâ. Itaqve nec lupini, nec faba, nec cicer, nec pisa frumenta sunt, sed fruges, *l. 77. ff. de V. S. l. 3. §. 8. ff. de pen. leg.* Proinde etiam in donationibus piis probè ista discernenda sunt, qvandoqvidem à donatione unius argumentari non licet ad donationem alterius, neqve plura comprehendisse censendus est donator, qvàm verbis expressit. In antiqvis Scripturis sæpè bladi nomen occurrit, qvod qvidem aliqvando valdè generaliter omnem fructum denotat, etiam arborum & vitis, aliqvando illa tantùm semina, qvæ in areâ teruntur, uti istas vocis acceptiones explicat Henr. Spelmannus *in glossar.* Sed specialiùs aliqvando restringi videtur ad certum genus frumenti. Qvod ostendunt verba donationis ab Alide dominâ Boulariæ factæ, apud Aubert. Miræ. *l. 1. donat. Belg. c. 98.* in hanc sententiam: *Superaddidi etiam reditum sex modiorum,* „ *duri bladi, & decem modiorum a-* „ *vena &c.* „

XIII. Ab eo ferè tempore, qvo Christiani rerum potiti sunt, persvaderi cœpit fundatoribus, Ecclesiam subsistere non posse, nisi proprios haberet agros & bona immobilia. Atqve ea non exigebant tantùm Episcopi & Clerici, veluti debitum aliqvod, sed illi etiam ipsi, qvi pietati studebant, spontaneâ liberalitate certatim sua prædia ad pias causas conferebant. Constantinus qvidem ipse per singulas civitates certam vectigalium partem fisco suo detractam alendis Ecclesiæ ministris impendi voluit, qvod haud obscurè colligitur ex *l. 12. C. de SS. Eccles.* & disertè traditur à Sozomeno *lib. 5. hist. Eccles. c. 5.* dum ait: *Nam cùm Constantinus res Ecclesiæ ritè disposuisset, & ex vectigalibus cujusq; civitatis ea, qvæ erant satis ad res comparandas necessaria, Clero cujusq; Ecclesiæ erogavit, illudq; lege stabilivit: qvæ lex eo tempore, qvo*

moriebatur Julianus, hactenus diligenter observata fuit &c. eodem plane modo, qvo gentilium Sacerdotibus alimenta ex publico præstita fuisse refert Ambrosius *adverſ. Symmachum*, dum scribit: *Sacerdotibus quoq; suis queruntur alimenta publica non præberi: qvantus hinc verborum tumultus increpuit*, &c. Idem tamen ille Constantinus speciali constitutione, qvæ extat in *l. 1. C. de SS. Eccleſ.* unicuiqve dedit licentiam sanctissimo Catholico venerabiliq; concilio relinqvendi testamento, qvicqvid voluerit.

XIV. Non invenio, Constantinum bona immobilia Gentilium sacris olim destinata, in pios Ecclesiarum usûs vertisse, nec asserere ausim, intra sui imperii terminos talia Gentilium sacris destinata fuisse. Si tamen fuerint, videntur mihi omnia illa in profanos usûs conversa, uti omnia eorum templa funditùs subversa leguntur apud Euseb. *de vit. Constant. lib. 3. c. 54. 55. 56. 58.* Alibi tamen à Regibus sacra ista Gentilium prædia in Ecclesiarum Christianarum usûs versa fuisse, dubitare nos non sinit Galfredus Monumetensis *histor. Reg. Brit. l. 5. c. 1.* qvando ait: *Intereà gloriosus ille Rex Lucius, cùm intra regnum suum cultum veræ fidei magnificatum esse vidisset, maximo gaudio fluctuans, possessiones & territoria, qvæ priùs templa idolorum possidebant, in meliorem usum vertens, ecclesiis fidelium permanere concessit. Et qvia majorem honorem ipsis impendere debuerant, augmentavit illas amplioribus agris & mansis, omniq; libertate sublimavit.* Imò verò inseqventibus temporibus fanorum hanc in Christianos usûs conversionem non probavit tantùm, sed & fieri jussit Pontifex Romanus. Gregorius enim Melito in Angliam ad Augustinum proficiscenti utiliter præcipiens de non diruendis fanis, qvæ à gentilibus Anglis dæmonibus consecrata erant, ita scribit, ut deletis idolis Fana ipsa conservarentur, & ad Christianæ Ecclesiæ ritus cultumque divinum à gentilitiis profanationibus expiarentur. Vid. Britann. antiq. qvas evulgandas curavit Matthæus Parkerus Archiepiscopus Catuariensis *in vit. Augustini.*

XV. Constantinus igitur ministros Ecclesiæ ex publico sic ali voluit, ut tamen non vetaret, Ecclesiæ propria esse quædam prædia, certosque ex iis proventûs: præsertim cum sciret, valde plerumque miserum esse, ab ærarii præfectis pendere. Fr. Balduin. *de Constantin. Legib. l. 1. p. 22.* Sanctissimum autem istud & venerabile Concilium, ipsam Ecclesiam denotat, non ut singuli Clerici, id quod legatum est, sibi vindicarent, sed ut eo jure istud haberetur, quo haberi solet, quod universitati vel collegio licito legatum est. Omninò enim locum hîc invenit, quod inter gentiles placuit Scævolæ JCto *in l. 20. §. 1. ff. de ann. leg.* nempe

in

in instrumentis ultimarum voluntatum ministerium qvandoqve designari, datum autem intelligi templo. Sic enim etiam, qvod civibus legatur, ipsi civitati legatum intelligitur, *l. 2. ff. de reb. dub.* Per ista autem Constantini verba Christianorum ministrorum ordo aut corpus haud obscurè inter Collegia licita refertur. Corpori enim, cui non licet coire, si legetur, non valebit legatum, nisi singulis legetur. hi enim non qvasi collegium, sed qvasi certi homines admittentur ad legatum, inqvit Paulus JCtus in *l. 20. de reb. dub.* Qvâ ratione Judæorum universitati testamento nihil omninò relinqvi potest, *l. 1. C. de Judæ.* singulis tamen legari potest. Marqvard. de Susannis *part. 2. de Judæ. c. 5. n. 24.* Carpzov. *part. 3. const. 13 def. 36.* Et qvia olim non minùs Christianis, qvàm Judæis in unum corpus coire prohibitum erat, uti ex Tertulliani *apologet. c. 39.* patet, non erit id ampliùs prohibitum, aut pro illicito collegio habendum, cui ex testamento capere licet, qvod Constantini constitutio concedit.

XVI. Post Constantinum Julianus, postqvam Libanii Rhetoris aliorumqve Ethnicorum Philosophorum artibus, Apostata factus & in gentilium superstitionem relapsus esset, nervos istos incidere, omniaqve ista beneficia Christianis à Constantino collata revocare non dubitavit. *Clericis*, inqvit Sozomenus *l. 5. cap. 5. omnem immunitatem, honorem, & frumenti congiaria ipsis à Constantino donata, ademit, legesqve eorum causâ conditas abrogavit, curiis addixit. Porrò à Virginibus & viduis, qvæ in Clerum erant propter egestatem adscriptæ, ea exigi mandavit, qvæ antè ab ærario publico acceperant* &c. Nec licuit igitur eo temporeapertè qvicqvam vel donare, vel in dotem dare Ecclesiis, qvibus etiam id, qvod habuerunt, subtrahere & auferre non erubuit astutissimus & subtilissimus persecutor.

XVII. Jovianus Julianum secutus res Christianorum collapsas restituit, laudatqve eum Theodoretus *lib. 4. histor. Eccles. c. 4.* eo inprimis nomine, qvòd editâ lege jusserit, Ecclesiis restitui frumentum, qvod iis de publico præstari jusserat Constantinus, Julianus verò prohibuerat. Nec adeò qvenqvam inter imperatores inseqventes fuisse puto, qvi ad Juliani exemplum rem Christianam evertere, & Ecclesias destruere ausus fuerit. Imò verò cùm circa annum CCCCLIV. non deessent, qvi stipendia alendis Ecclesiæ ministris ex publico destinata parciùs præberent, fortè etiam negarent aliqvando, noluit Valentinianus III. Imper. speciali in eam rem constitutione, qvæ extat in *l. 12. C. de SS. Eccles.* qvicqvam detrahi, sed jussit totum & integrum, ut constitutum

fuit ab initio, illis exhiberi. *Qvia*, inqvit, *humanitatis nostræ est, egenis prospicere, ac dare operam, ut pauperibus alimenta non desint: salaria etiam, qvæ sacrosanctis Ecclesiis in diversis speciebus de publico hactenus ministrata sunt, jubemus nunc qvoq; inconcussa & à nullo prorsus imminuta præstari.*

XVIII. Coërcita tamen fuit aliqvando potestas, qvam in ultimis voluntatibus liberam cuiqve esse voluit Constantinus, relinqvendi scil. Ecclesiis earumqve ministris bonorum suorum qvodcunqve voluerit. Extat Valentiniani Senioris constitutio in *L. 20. C. Theodos. de Episc. Eccles. & Cler.* qvâ prohibentur Ecclesiastici & continentes (h. e. qvi privato perfectioris vitæ studio ducti cœlibem vitam affectabant) qvicquam capere ex mulierum qvarumcunqve liberalitate vel testamento: relicto tantùm eis ex propinqvorum successione capiendi jure. & additâ pœnâ, ut qvicqvid adversus hanc legem à mulieribus viris Ecclesiasticis relictum vel donatum fuerit, id fisco Principis vindicetur. Et ne qvis Ecclesiasticos & continentes strictè nimis accipiat, & de Clericis tantùm inferioris gradûs, aut continentibus Viris tantùm legem istam interpretetur, idem ille Valentinianus Imp. post biennium ad Episcopos etiam & virgines DEO dicatas eam disertè applicat, in *L. 22. Cod. Theodos. eod.* nec magis istis, qvàm cæteris Ecclesiasticis aut Viris continentibus ex liberalitate mulierum acqviri aliqvid permittit.

XIX. Causam impulsivam & occasionem legum istarum ex moribus Clericorum istius seculi repetere oportet. Nempe plurimi eorum heredipetæ erant, & bonorum captores, assidentes atqve inservientes fœminis simplicioribus, ut liberalitatem earum provocarent, & vel donatione inter vivos vel ultimâ voluntate ab ipsis conditâ, suam explerent avaritiam. Turpissimum istud aucupium Hieronymus ejus seculi Doctor celeberrimus *epist. 2. ad Nepotian. de vit. Cler. & sacerdot.* his verbis describit: *Audio præterea in senes & anûs absqve liberis, qvorundam turpe servitium: ipsi apponunt matulam, obsident lectum, purulentiam stomachi, & phlegmata pulmonis manu propriâ suscipiunt, pavent ad introitum Medici, trementibusqve labiis an commodiùs habeant, sciscitantur, & si paulùm senex vegetior fuerit, periclitantur, simulatâqve lætitiâ mens intrinsecùs avara torqvetur, timent enim, ne perdant ministerium.* Ex his moribus natam fuisse istam legem agnoscit & dolet Hieronymus, qvòd scil. nimia & qvotidiè magis excrescens Clericorum & Monachorum cupiditas legi isti sanciendæ occasionem dederit.

Pudet

Pudet dicere, inqvit, *Sacerdotes idolorum, mimi, & Aurigæ & scorta hæreditates capiunt, solis clericis ac monachis hác lege prohibetur. & non prohibetur à persecutoribus, sed à Principibus Christianis. Nec de Lege conqveror, sed doleo, cur meruerimus hanc legem. Cauterium bonum est, sed qvò mihi vulnus ut indigeam cauterio. Providaqve severaqve legis cautio: & tamen nec sic refrenatur avaritia. Per fideicommissa legibus illudimus, ut qvasi majora sint Imperatorum scita, qvàm Christi, leges timemus, & Evangelia contemnimus* &c. Similia habet Ambrosius *adverf. Symmach.* qvi eodem hoc tempore, qvo constitutio ista promulgata fuit, in Ecclesiâ Mediolanensi claruit.

XX. Probè autem notandum est, per istas Valentiniani leges Ecclesiasticis tantùm & DEO dicatis personis ex mulierum donatione aut ultimâ voluntate capiendi jus ademptum, Ecclesiis verò istud salvum relictum fuisse, ut adeò parum illæ facere videantur ad nostrum hoc institutum, nisi qvòd Ecclesiæ in ministris suis hâc ratione injuriam inferri, & leges ipsas parum æqvas censeat Cardinalis Baronius *ad ann. CCCLXX. num. 118. seqq.* cujus tamen hanc ipsam censuram parum æqvam esse, ostendit Jacobus Gothofredus *ad d. l. 20.* Fuit verò etiam Ecclesiis aliqvando jus capiendi ex testamento ademptum, sed in casu admodùm speciali, qvando scil. Diaconissa testamentum condit, & Ecclesiis aliqvid in eo relinqvit. Constitutio edita est à Theodosio Magno, & habetur *in l. 27. C. Theod. eod.* his verbis: *Si qvando diem obierit* (sc. Diaconissa, de cujus ministerio videri possunt, qvæ collegit Christophorus Justellus *in Cod. can. Eccles. univ. pag. 235.* & Gabr. Albaspinæ *l. 1. observ. 24.*) *nullam Ecclesiam, nullum Clericum, nullum pauperem scribat heredes. Careat namq; necesse est viribus, si qvid contra vetitum circa personas specialiter comprehensas fuerit à moriente confectum. Imò, si qvid ab his morienti fuerit extortum, nec tacito fideicommissò Clericis in fraudem venerabilis sanctionis callidâ arte, aut probrosâ cujuspiam conniventiâ deferatur: extorres sint ab omnibus, qvibus inhiaverant bonis. Et si qvid fortè per Epistolam, codicillum, donationem, testamentum, qvolibet deniqve detegitur genere conscriptum erga eos, qvos hac sanctione submovimus, id nec in judicium devocetur, sed vel ex intestato is, qvi sibi competere intelligit, statuti hujus definitione succedat: si qvis se agnoscit filium, si qvis probat propinqvum, si qvis deniqve vel casu vel judicio, pro solido, pro portione, heres, legatarius, fideicommissarius apertis deprehenditur codicillis, fruatur fortunæ munere, conscientiæ suæ fructu: &*

submotis his atqve dejectis in hereditariis corporibus potestate utatur heredis.

XXI. Cur de Diaconissis specialem hanc constitutionem ediderit Theodosius, cùm tamen, qvia viduæ erant, sub generali, qvam supra adduximus, Valentiniani constitutione comprehensæ intelligantur, causa sine dubio hæc fuit, qvod legem istam nonnulli ad Diaconissas extendi ideò noluerint, qvia illæ in notitiam, indicem & catalogum Ecclesiæ relatæ erant, eum in finem, ut ex Ecclesiæ istius facultatibus ad victum necessaria acciperent, & sic ipsæmet specie tenus & habitu de Clero esse videbantur, licet revera inter Laicos computarentur. Vid. Francisc. Florens *ad rubr. tit. de vit. & honest. Cler.* Qvò faciebat, qvòd & ipsæ ordinarentur, secundum Concil. Chalcedon. *can. 15.* non qvidem per consecrationem, sed per manûs impositionem, uti exponit Florens *d. l.* Qvia igitur sacris ministeriis adhibebantur Diaconissæ & ex Ecclesiæ bonis victum accipiebant, videbantur sub generali viduarum nomine non ampliùs comprehensæ, sed reliqvarum ordine veluti exemptæ. Ut ne ergò ista opinio qvenqvam incesseret, specialem hanc de Diaconissis & haud paulò ab Valentiniani lege differentem edere voluit Theodosius constitutionem, qvâ inprimis hoc cavit, ut qvod ab Diaconissâ Ecclesiæ, aut Clerico, aut pauperibus relictum est, pro non scripto haberetur, & sic heredibus qvibuscunqve, imò his deficientibus, & legatariis & fideicommissariis cederet.

XXII. Rationem autem, cur Theodosius noluerit Ecclesiis & pauperibus qvicqvam ex Diaconissarum testamentis acqviri, ipsa, ni fallor, prodit hæc constitutio, his verbis: *Imò si qvid ab his morienti fuerit extortum, nec tacito fideicommisso aliqvid Clericis in fraudem venerabilis sanctionis callidâ arte, aut probrosâ cujuspiam conniventiâ deferatur: extorres sint ab omnibus, qvibus inhiaverant, bonis.* &c. Idem Theodosius sua hæc verba haud paulò clariùs exponit, in *l. seq. 28. C. Theodos. eod.* ubi legem se promulgasse ait, ne qvis Clericus neve sub Ecclesiæ nomine mancipia, supellectilem, prædam, velut infirmi sexus dispoliator invaderet, & remotis affinibus ac propinqvis, ipse sub prætextu Catholicæ disciplinæ se ageret viventis heredem. Duas igitur hic refert causas suæ constitutionis Imperator, infirmitatem consilii ex parte Diaconissarum testamenta condentium, qvæ persvaderi oppidò facilè possunt, ut, liberis suis aut propinqvis neglectis, facultates suas sub specie pietatis Ecclesiæ aut Clericis relinqvant, hâc ratione æternam beatitudinem sibi comparari existi-

existimantes; & avaritiam ex parte persvadentium clericorum, qvæ tanta sæpe est, ut extortum meritò dicatur Imperatori, qvod à moriente impetratum fuerit. Idqve sub eâdem hâc nomenclaturâ graviter perstringit Ambrosius *serm. 7. de Clericis*: *Licet dicere possumus*, inqvit, *nemo nos invasionis arguit, violentiæ nullus accusat. Qvasi non interdum majorem prædam à viduis blandimenta eliciant, qvàm tormenta. Non interest apud DEUM, utrum vi, an circumventione qvis res alienas occupet, dummodò qvo pacto teneat alienum.*

XXIII. Facit verò utraqve hæc ratio, ut credam, etiam in Valentiniani constitutione superiùs adductâ inter eos, qvibus jus capiendi ex mulierum testamentis ademptum est, etiam Ecclesias subintelligi debere. Etsi enim earum diserta non fiat mentio; qvia tamen Sacerdos habet, qvod Ecclesiæ relictum est, *c. Pontifices 12. q. 3.* & sic bona Ecclesiæ principaliter in usum Sacerdotum atqve Clericorum cedunt, nihil intererit, utrum sibi, an Ecclesiæ legatum a muliere exoraverit Clericus, nisi qvòd priori casu plus juris in re legata accipiat. Utrobiqve tamen idem poterit subesse avaritia stimulus. Et hæc avaritia Clericorum impulit Imperatores, ut jus acqvirendi ex mulierum testamentis illis adimerent. Neqve coërcita satis dici posset avaritia, si per obliqvum & sub Ecclesiæ schemate liceret Clericis inhiare bonis mulierum; cùm tamen maxime hoc intenderint Imperatores, ut omnes fraudes, qvæ legi fieri possent, præcaverent, adeò ut ne qvidem fideicommissa hoc casu admitterent.

XXIV. Cæterùm ipse Theodosius in *d. l. 28. C. Th. de Episc.* nonnihil immutavit legem suam antehac de Diaconissarum liberalitate ab Clericis non recipiendâ latam, permisitqve, ut liceret Diaconissis mobilia in Ecclesiam & Ecclesiasticos per donationem inter vivos conferre. De testamentis atqve ultimis voluntatibus, itemqve de fundis & immobilibus qvod constituit, nihil omninò immutatum voluit. Id enim, qvod faciliùs qvis facit, legislatores solent inhibere freqventiùs. Qvâ ratione Lex Julia prohibuit alienationem fundi dotalis, nisi si mulier consentiret Viro alienanti: obligationem verò, etsi mulier consentiret, inhibuit. *l. un. §. 15. C. de R. U. A.* Judicabat scil. Augustus Imp. cùm legem illam ferret, mulieres facilius consensuras fundi obligationi, qvàm alienationi. itaqve illam magis, qvam hanc inhibuit. Qvâ ratione nec donanti mulieri succurrere debuit SCtum Vellejanum, sed obliganti tantùm, qvia faciliùs se mulier obligat, qvam alicui donat. *l. 4. in fin. ff. ad SCt. Vellej.* Nec igitur revocandas esse putavit Theodosius mulieres ab illo tàm

liberali

liberali consensu, à qvo natura sexûs avari satis eas revocare videatur.

XXV. Leges hac Valentiniani & Theodosii, qvanqvam parum intellectas, & in alium prorsus sensum contortas, memorat Marcianus Imp. in Novellà, qvam sub titulo, *de testamentis Clericorum*, edidit, & ab illis diversum planè, simpliciter atqve absolute constituit, ut sive vidua, sive diaconissa, seu virgo DEO dicata, vel sanctimonialis mulier, sive quocunque alio nomine religiosi honoris vel dignitatis fœmina nuncupetur, testamento vel codicillo suo, quod tamen aliâ omni ratione juris munitum sit, Ecclesiæ vel martyro, vel Clerico, vel Monacho, vel pauperibus aliqvid vel ex integro, vel ex parte in qvacunqve re vel specie crediderit relinqvendum, id modis omnibus ratum firmumqve consistat, sive hoc institutione, sive substitutione, seu legato & fideicommisso per universitatem vel specialiter sive scriptâ, sive non scriptâ voluntate fuerit, derelictum, omni inposterum de hujusmodi negocio ambiguitate, submotâ, donationibus etiam vel qvâlibet liberalitate tam viduarum, qvàm diaconissarum sive virginum, qvæ Deo dicatæ sunt, vel sanctimonialium qvæcunqve in Ecclesiam vel martyrium vel Clericum, vel monachum, vel pauperes collata fuerint, pari robore firma habeantur. Conf. Jacob. Gothofr. *ad d. l. 28. C. Theod. de Episc.*

XXVI. Hàc ratione abrogatis illis, quas anteriores Imperatores fecerant, constitutionibus, noluit eas deinceps Codici suo inserere Justinianus Imperator, qvandoqvidem ipsi nihil immutare propositum fuerat. Et sancivit ipse *in l. 46. C. de Episc. & Cler.* ut impleatur omnimodo, si qvis moriens piam fecerit dispositionem vel per institutionis modum, vel per legatum aut fideicommissum, aut mortis causâ donationem, vel alium quemcunqve modum legitimum; utqve firmum & ratum sit, qvod qvis supremo & ultimo mandato Ecclesiæ, aut Xenodochio, aut religiosis domibus reliqvisset. Et in *l. 49. §. 7. C. eod.* constituit idem Justinianus, ut si piæ causæ hereditas vel legatum relinqvatur, nulla inde detrahatur Falcidia, h. e. uti Andreas Fachineus *l. 5. c. 17.* explicat, ut Oeconomus, vel Episcopus non habeat Falcidiæ emolumentum, licet heredes esse videantur. Atqve hinc patet, qvanto studio Imperator iste Ecclesiarum emolumenta qvæsiverit, & procuraverit, id qvod etiam aliæ ejus constitutiones prolixè comprobant.

XXVII. Ab eo tempore plenâ manu ab Laicis collata fuerunt in Ecclesias bona tùm mobilia, tùm immobilia, qvod hac ratione vendi sibi

sibi æternam salutem, & inferni cruciatus evitari posse persvasum haberent. Inde crebræ in hanc rem "donationum formulæ: *Ego N. co-* "*gitavi pro anima mea remedio &* "*pro æternâ retributione, ut veniam* "*pro peccatis meis in futurum adipi-* "*sci merear, & in die tremendi judi-* "*cii ante tribunal Christi securus ad-* "*sistam. idcirco dono* &c. qvam refert Atto Clericus apud Goldast. *tom. 2. Alamannicar. antiq. n. 50.* Et aliam similem Iso Monachus apud eund. "*num. 84.* his verbis: *Humano gene-* "*ri peccatorum maculis sauciato, at-* "*qve ob culpam inobedientiæ à pa-* "*radysi gaudiis dejecto, inter cætera* "*curationum medicamenta etiam* "*hoc DEUS mundo remedium con-* "*tulit, ut propriis divitiis homines* "*suas animas ab inferni tartaris re-* "*dimere potuissent, sicut per Salo-* "*monem dicitur: Redemptio animæ* "*Viri propriæ divitiæ ejus. Hinc &* "*per semetipsum divina clementia* "*in Evangelio hortatur dicens: Da-* "*te & dabitur vobis, & iterum: Da-* "*te eleemosynam & omnia munda* "*sunt vobis. His igitur atqve aliis* "*Scripturarum admonitionibus ego* "*N. compunctus trado atqve trans-* "*fundo* &c. Istiusmodi plures habentur passim, & in omnibus ferè monumentis, qvibus aliqvid Ecclesiæ traditum aut donatum fuit. Eandem commendant pietatem instrumenta, qvæ vernaculâ deinceps Germanorum linguâ concepta sæpenumero inveniuntur, qvale mihi nuper ex actis publicis in manus venit, scriptum anno MCCCCXLI. cujus hæc erant verba initialia: **Ich Frederich von Lütichau zu Kmelen gesessin/unde myne rechten erbin unde erbnehmin bekennen mit desen unsern offen breve vor allen/ dyen sehn addir hörin lesin/ daß Ich mit guten willin/und wohl bedachten muthe habe gegeben leuterlich umb Gotis wille unde durch meyn und myner altfahren selen wille ein schock groschen jährlich Zinses zu ewigen gezeiten dem Gotishuse zu Kmelen** &c.

XXVIII. Inter Alamannos sub id tempus usu invaluit, & lege deinceps confirmatum est, ut, qvi res suas Ecclesiæ dabant, precibus rogarent, ut sibi, qvoad vixissent, iis uti frui liceret, ipsi verò interim mercedem qvandam seu censum annuum darent. Sic enim se habent verba Leg. Alamann. *cap. 2.* uti ab Fried. Lindenbroggio in Cod. LL. antiq. recensentur: *Si qvis liber res suas ad Ecclesiam dederit, & per chartam firmitatem fecerit, & post hæc à Pastore Ecclesiæ per beneficium susceperit ad victualem necessitatem conqvirendam diebus vitæ suæ, & qvod spondet,*

 persol-

persolvat ad Ecclesiam censum de illâ terrâ, & hoc per epistolam firmitatis fiat, ut post ejus discessum ullus de heredibus non contradicat. &c. Contractus ille speciali nomine precaria dicebatur & ex voluntate contrahentium pactisqve intervenientibus in varias figuras declinavit, qvas eruditè exponunt Georg. Franzkius *de laudem. cap. 12.* Gregor. Biccius *de possess. duor. quæst. 7.* Ant. Bengeus & Francisc. Pinsson. *de benef. tit. de reb. Eccles. al.* §. *12.* Joseph. Gibalin. *de usur. lib. 4. c. 2. art. 2. seqq.* qvi eruditè & prolixè eâ de re agit. Originem ejus refert Beatus Rhenanus *lib. 2. rer. German.* ad tempora Clodovei Francorum Regis, dum ait: *post victoriam illam ad Tolbiacum præstantem, de Alemannis à Clodoveo obtentam, qvosdam in illo recenti Christianismo res suas Ecclesiæ donasse, & rursus agros aut domum in beneficii modum recepisse ad vitæ suæ tempus, non tamen circa pensitationem, nec post mortem patris filios aut heredes vindicare sic data potuisse, & hos Colonos Ecclesiasticos dictos.* Non aberrant, qvi jam tùm ab Leone & Anthemio Imperatoribus anno CCCCLXX negocii id genus lege firmatum contendunt, uti perspicuè id apparet ex *l. 14.* §. *5. Cod. de SS. Eccles.*

XXIX. Solebant autem ἀμοιβαῖα circa hoc negocium confici instrumenta, alterum qvidem ex parte ejus, qvi res Ecclesiæ utendas sibi dari rogabat, idqve propriè *precaria* dicebatur, Epistolam firmitatis vocat Lex Alamannorum superiùs adducta; alterum verò ex parte Ecclesiæ, qvo Episcopus vel Abbas rem Ecclesiæ concedebat, idqve *præstaria* vulgo dicebatur, sive *præstationis charta.* Hieron. Bignon. ad Marculf. form. *l. 2. c. 40.* Utriusqve formulæ extant apud ipsum Marculfum *l. 2. c. 5. & 40.* aliæ plures apud Goldast. *Alamannicar. rer. tom. 2. part. 1. num. 66. seqq.* in qvibus tamen sæpiusculè precariæ nomen præstariis accomodatur. Add. Christoph. Lehmann. *Chron. Spir. l. 2. c. 43.* Cùm verò deinceps precariæ in beneficia diututniora & tandem perpetua degenerassent, ita ut ex Laicorum manibus vix unqvam ad Ecclesiam redirent, multa sæpe & prolixa eâ de re in conciliis exorta est consultatio, qvâ ratione ad pristinum statum redigi & in Ecclesiæ emolumentum transferri possent, uti fusiùs ista omnia exponit Gibalinus *d. l.*

XXX. His & aliis modis multa & maxima in Ecclesiam translata fuerunt prædia, tùm urbana, tùm rustica, atqve amplissima latifundia, cùm nemo qvisqvam esset opum suarum tàm tenax, ut de salute suâ æternâ sollicitus, non aliqvam ex illis partem in Clericos aut religiosos

sos ex pietate conferret. *Eò res istius avi devenérunt*, inqvit Sigonius *l.7. de regn. Ital. ut hominibus ad purgatorii Orcum expavescentibus, nemo se satis felicem & pium existimaret, nisi in templorum & monasteriorum substructiones, in Ordinum sacrorum conservationem aut totum patrimonium, aut insignem ejus partem attereret.* Ex hinc verò tria præcipuè in Rempublicam redundárunt mala, qvæ majestati imperantium tantùm non exitium attulérunt. Primùm enim Episcopi in luxum profusissimi bona Ecclesiastica perditè consumpsérunt & processerunt vehiculis insidentes circumspectè vestiti, epulas curantes profusas, adeò ut eorum convivia Regales superarint mensas, qvemadmodum notavit homo à nostrâ religione alienus Ammianus Marcellinus *lib. 27.* In luxum istum seriò & animosè declamavit Guilielmus Budæus sub Francisco I. Consiliarius Regius & supplicium libellorum Magister *lib. 5. de asse*, his verbis: *Age, recitentur expensorum nomina, proh superi immortales, in cupedias, in delitias popinales, in luxum mensarum, in eqvitium numerosum & elegans, in instrumentum lautum Episcopii, in supellectilem, in vasa argentea, in vestem stragulam & peripetasmata, in stipendium cohortis honoraria sericatorum & calamistratorum, in aviarium venaticum & accipitrarios, in venationis ministerium instrumentumqve, in ferculorum structores, in scurras, in ludios, in acroamata, in thymelicos, in eos, qvos à cavillis habent, & à voluptatibus, in delitiarum mille nomina. ut vix decima pars in erogationes pias & in rem dominicam supersit.* &c. Fecit verò hâc suâ censurâ Budæus, ut per indicem expurgatorium notaretur, & inhumanè ab autoribus ejus confoederetur, ex causâ non aliâ, nisi qvod Episcopis nimis acerbè insultaverit, eorumqve mores cum παῤῥησίᾳ aliqvà perstrinxerit.

XXXI. Et agnoverunt tamen ipsi qvandoqve Episcopi, suum hunc immoderatum luxum conditioni suæ parum convenire. Sic enim Fulb[illegible]tus, Episcopus Carnotensis, *epi[illegible]o.* ad Robertum Regem Francorum verba facit: *Illud ægriùs tolerabam, qvod res Ecclesiæ in superfluorum domesticorum victualia sic expendere compellabar ex pravâ consvetudine prædecessorum meorum, ut officium hospitalitatis & eleemosynæ, sicut mea interest, administrare non possem.* Prava hæc consvetudo faciebat, ut pessimè atqve indignissimis modis ab Coëpiscopis suis tractaretur, qvisqvis pristinam frugalitatem vitæ suæ regulam proposuisset. Memorabile est, qvod de Thomâ Bradvvardino, Archi-

Episcopo Cantuariensi referunt annales rerum Britannicarum. *In ipso consecrationis convivio Hugo Tutelensis Cardinalis Vir fastu inanis, Thomæ Cantuar. jam sacrati humilitate & simplicitate despectâ, ut ei convitium faceret, vilem qvendam & abjectum homunculum asino insidentem & Archiepiscopatum petentem induxit, qvi à toto Cardinalium cætu reprehensus & stultitiâ notatus discessit.*

XXXII. Secundum est, qvod Episcopi ultra Sacerdotii limites ad externum dominatum progressi sunt, uti in Ecclesiasticâ historia autor est Socrates *lib. 7. c. 11.* Utqve potestas illa majori niteretur autoritate, Veterum scripta & Ignatii præcipuè, ut antiqvissimi scriptoris, epistolas interpolare haud sunt veriti, qvod eruditè ostendit Jacobus Usserius Archi-Episcopus Armachanus *not. in Ignat. cap. 10.* Et mirari tamen subit, cùm in illis post Episcopum demum jubeatur honorari Rex, atqve sic Ecclesiastica potestas multò dignior atqve honoratior habeatur, qvî fiat, qvòd principum magis titulo, & civilis alicujus potestatis axiomate insigniri malint hodiè Episcopi, qvàm ab officio, qvod gerunt, sacro. *Semel statuant*, (inqvit Georgius Wicelius *in via Reg. ad art. de pot. Eccles.*) *potestatem Ecclesiasticam, qva Episcopi sunt, omninò excellere, & longè inferiorem esse potestatem, qva principes sunt. Qvod cùm sit irrefragabile atq; immotum, tamen gaudent audire tantùm principes, & propemodum pudet Episcopos dici. Imò illorum aula non sustinet patienter audire, si qvis roget, ubi Rev. Episcopus sit: præcisè dicendum est, ubi reperiam meum gloriosissimum Dominum & Principem; sin secus, ad suspicionem malam protinus rapitur. Cujus rei forsan causa est, qvòd malint esse re ipsa Principes, qvàm Episcopi, & propensiores sint ad Principatum, qvàm Episcopatum.* &c. Istam ὑπεροχὴν Episcopalem in ipso capite Pontifice Romano graviter perstrinxit anno MCCCCXIII. Johannes Petrus de Ferrariis *in prax. tit. 30. gloss. 7. n. 2.* his ipsis expressissimis verbis: *Vides, qvod ipse Papa, qvi deberet tanqvam verus Vicarius vestigia seqvi Jesu Christi, possidere & manu armata nititur detinere jurisdictionem in terris, civitatibus, & villis, & locis, qvæ sunt naturaliter & à mundi creatione & Christi ordinatione imperii Romani. -- Imò ipse Papa in ipsum Imperatorem nititur superioritatem habere, qvod ridiculum est dicere, atqve abominabile audire. Nam naturaliter à principio mundi omnes clerici, nedum Laici erant sub potestate & jurisdictione Imperii, sed ipsorum Imperatorum dulcedine & benignitate fuérunt Clerici dimis-*

si

si sub potestate Papæ, & beneficium hoc, tanqvam ingrati sciunt malè cognoscere &c.

XXXIII. Tertium deniqve est, qvod propter exemptionem bonorum Ecclesiasticorum haud exigua territorii portio oneribus civilibus prorsus subducatur, atqve sic imperium Principis coangustetur magis, ipsumqve ærarium publicum attenuetur valdè & pauperius reddatur. *Qvod si potentissimus qvisqve vestrûm*, inqvit Jacobus Rex Angliæ, & alloqvitur omnes Principes Christianos, *altè seriòqve recogitet, penè tertiam populi, soliqve vestri partem Ecclesiæ esse dicatam, nonne illius qvæso jactura sensus animos vestros percutiet, qvæ tantum hominum fundorumq; vestro juri subtrahat, ut ubiq; Pontifici provinciæ coloniæq; constituantur? Imò qvantum spinarum & tribulorum in mediis vestris ditionibus relinqvitur, cùm asseratur tàm potens hominum factio sub imperiis vestris nasci, educari opimisqve prædiis frui posse, qvæ à vestrâ potestate immunis sit, nec ullo jure vestris legibus, judiciisq; subjecta? Adeò ut cùm antiqvitùs Clerici nihil ultra decimas adpeterent, iisq; contenti viverent, nunc Papa Clericorum caput, non nisi tertiâ Civium & bonorum ac fundorum parte in omnibus regnis & provinciis acceptâ acqviescat.*

XXXIV. Singula ista justam præbuerunt Legislatoribus causam, ut circa acqvisitiones fundorum & bonorum immobilium Ecclesiis modum ponerent, &, ne per immunitatem Ecclesiasticam nervi Reip. inciderentur, constitutionibus in eam rem editis caverent. Refert Leunclavius *tom. 1. lib. 2. jur. Oriental.* novellam Nicephori Phocæ Imperatoris, qvâ prohibuit, ne qvis in posterum fundos agrosve in monasteria aut Ecclesias transferat, eâ ferè solâ inductus ratione, qvod Monachi & Clerici nimium qvantum à pristinâ vivendi ratione recesserint. *Cum*, inqvit, *Monasteriorum sacrarumqve pietatis officinarum manifestissimum morbum intueor: morbum enim appello, hanc insatiabilitatem, qvod huic malo remedium excogitem, nescio, qvâve ratione modi excessum coërceam. Qvibus enim patribus obseqventes, aut unde nacti occasiones, ad tantam superfluitatem, & vanam insaniam, ut cum Davide loqvar, exorbitârunt: dum infinita terræ jugera, structuras ambitiosas, greges eqvorum, boum, camelorum, jumentorum, aliorum innumerabilium, singulis horis acqvirere student, totamq; animi curam in hæc intendunt: adeò ut ista studia monastica nihil à vitâ mundanâ, multisq; sollicitudinibus æstuante differant.* Qvibus ita præmissis constituit tandem: *Itaq; ab hoc tempore nemini liceat nec fundos agrosve, nec loca Monasteriis, aut Gerocomiis aut Xenonibus qvocunqve modo transmittere, adeoq; nec ali-*

cui metropoli, vel Episcopatui. nec enim hæc illis qvid conducunt.

XXXV. Tales constitutiones alibi qvoqve prodierunt plures, qvæ tamen sæpissimè ab successoribus refixæ fuerunt. Vid. statuta secunda Roberti I. Scotiæ Regis *cap. 1.* qvæ edidit Joannes Skenæus. Et ex constitutionibus Germanicis liqvet, in provinciis Saxoniæ inferioris talia seculo XIV. extitisse statuta, qvæ tamen Karoli IV. Imp. sanctione peculiari abrogata fuerunt. Refertur ea à Goldasto *tom. 2. Constit. Imp. pag. 92.* Et ut propiùs ad nostra tempora progressûs faciam, nota est Caroli V. Imp. constitutio in Belgio promulgata, qvâ prohibuit, ne ulli cujuscunqve loci aut ordinis religiosi stabilia ulla bona sine Principis diserto permissu mercari possent. Similem legem circa initium hujus seculi ediderunt Veneti, ne bona alienentur in Ecclesias & Ecclesiasticas personas, & ne eis legata adscribi possint sine licentiâ majoris magistratûs vel Senatus Veneti. Apud Gallos verò neqve hodiè qvidem bona immobilia seu stabilia Ecclesiis ut Collegiis & corporibus, qvas manûs mortuas vocant, eò qvòd nihil conferant, non aliter rectè relinqvuntur, aut ab his aliter acqviruntur, qvàm amortizationis seu morticinii beneficio à Principe accepto, vel indemnitate Fisco præstitâ per Finantiam seu præstationem semel factam, vel per pensitationem annuam, vel deniqve vicario homine oblato vivente, confiscante, moriente; horum si nihil factum fuerit, Ecclesia fundum sibi relictum intra annum alienare cogitur. Jacob. Gothofred. *ad l. 4. C. Theod. de Episc. Eccles. & Cler.* Joh. Papon. *arrest. l. 1. tit. 14. n. 1.* Anton. Mornac. *ad l. pen. C. de SS. Eccles.* Anton. Bengeus & Franc. Pinsson. *de benef. tit. de orig. bon. Eccles. n. 32. seqq.*

XXXVI. De justitiâ harum legum maxima inter Canonistas est contentio, uti videre licet apud Augustinum Barbosam *de jur. Eccles. lib. 2. c. 3. num. 204. seqq.* Philipp. Maynard. *de privileg. Eccles. advers. Venet. art. 22.* Nicol Rodriguez Fermosin. *de Leg. Eccles. ad c. X. de constitut. qvæst. 7. & 8.* Antonin. Dian. *resolut. moral. part. 6. tit. 3. resol. 3. seqq.* Carol. Molinæ. *ad Constitut. Friderici Imp. sub tit. Cod. de SS. Eccles. & ad consvetud. Paris. §. 41. n. 90. seq.* Sanè non audet Antonius Perez *Cod. de SS. Eccles. n. 11.* Caroli V. constitutionem, cujus suprà mentionem fecimus, iniqvam dicere, sed nudè refert, ejus rationem videri in hoc consistere, ne crebrâ ac perpetuâ facultate acqvirendi Ecclesiis piisve locis permissâ Principes patiantur suæ jurisdictionis diminutionem, cùm bona illa merè secularia in manum mortuam seu Ecclesiasticam jurisdictionem transeant, sicqve exuantur à Principis superioritate. Et certè nisi Lege publicâ Ecclesiasticorum

eorum acqvifitionibus fibula injiciatur, fubverendum eft, ne prorfus intercidant Reipublicæ, & contingat aliqvando, qvod jam fuo tempore conqveftus eft Chilpericus Rex Francorum: *Ecce pauper remanfit fifcus nofter: ecce divitiæ noftræ ad Ecclefias funt translatæ: nulli penitus, nifi foli Epifcopi regnant: periit honor nofter & translatus eft ad Epifcopos civitatum*, apud Gregor. Turonenf. *l.6. hift. Franc. c. ult.*

XXXVII. Antonius Capellus Francifcanus Conventualis, qvi Jacobi Regis Angliæ librum confutare aufus eft, cùm ad locum fuprà memoratum de tertiâ populi foliqve parte Ecclefiæ dicatâ veniffet, *fub controverf. 2. cap. 60. feqq.* negat, tertiam vel populi vel bonorum partem ad Ecclefiam pertinere, & fuppofitis qvibusdam principiis operosè admodùm ad calculum revocat numerum Clericorum, atqve inde concludit, nec decimam bonorum omnium Chriftianæ Reip. imò ne fexagefimam qvidem ab Ecclefiafticis posfideri. Idem argumentum cùm adverfus Paulum Servitam Venetum tractaffet Cardinalis Bellarminus, atqve ille afferuiffet, qvartam partem bonorum Ditionis Venetarum à perexiguo hominum numero ad millenarium vix adfcendente poffideri, utrumqve negavit Bellarminus, & addit tandem: *Deniq; fecum expendere debebat, qvòd fi jam per mille ducentos annos Ecclefiaftici vix qvartam partem bonorum Reip. acqvifiverunt, alios etiã mille ducentos annos neceffariò reqviri, ut aliam qvartam adipifcantur; fi verò mundus tamdiu duraturus non fit, nunc enim noviffima hora eft, inanis eorum metus eft, qvi formidant, ne omnibus bonis fuis fpolientur, nifi Senatus legibus fuis provideat.* Utriusqve refponfio hypotheses fibi fingit omni ratione deftitutas, atqve hinc prorfus inanes; credamqve ego vel Regi Angliæ vel Venetis publicâ fide & ex rationibus publicis qvid afferentibus magis, qvàm privato alicui innumeros in angulo computanti, & Ecclefiæ facultates per conjecturas æftimanti. Sic etiam Henricus III. Rex Angliæ per fingulos Comitatus inqvifivit, qvantis ex Anglia Ecclefiafticis annuis proventibus Romani atqve Itali per Romanam Curiam locupletati fuerint. Et repertus eft annuus reditus fexaginta millia marcarum, qvam fummam ne regius qvidem tùm attigit reditus, uti refertur in *antiq. Ecclef. Cantuar.* qvas evulgandas curavit Matthæus Parkerus *in vitâ Bonifacii.* Qvi veriorem in variis regionibus & hominum & redituum Ecclefiafticorum calculum indagare geftit, adeat ille autores in compendium qvafi contractos ab Joh. Hoornbeck *ad bull. Innocent. X. Pontif. p. 55. feqq.* Conf. Petrus Molinæus *de monarch. temp. Pontif. Rom. c. 18.*

XXXVIII.

XXXVIII. Cæterùm haudqvaqvam invidemus nos vel Ecclesiis vel Viris Ecclesiasticis bona qvaliacunqve; & omninò interesse putamus & Ecclesiæ & Reipublicæ, ut sacra cum magnificentiâ aliqvâ peragantur, utve ministri, qvi ista obeunt, honestè & cum autoritate qvâdam vitam transigant, ne vel adulari ditioribus cogantur, vel contemptui sint aliis, & indignè se prostituant. Nec profectò autores sumus, ut qvæ Ecclesiis conservandis & ministerio earum destinata sunt, bona, in catastra referantur, & tributis atqve præstationibus publicis subjiciantur; sed hoc jure etiam nos utimur, ut bona ista pleraqve omnia, qvæ dotem Ecclesiasticam constituunt, immunia à collectis sint, & omni alio onere civili exempta, uti infrà pleniùs docebimus. Vicissim verò iniqva planè erit conditio Reip. sicubi liceat Ecclesiis & Viris Ecclesiasticis alia omnia bona, qvæ illis præter dotem istam qvocunqve titulo obveniunt, immunia & exempta facere, siqve ab imperio & jurisdictione Principum prorsus debeant esse libera. Principibus hâc in re vela laxare vel contrahere pro Reipublicæ usu semper licuit, poteruntqve illi, sicubi Ecclesia satis locuples visa fuerit, ut de reliqvis onera civilia præstentur, jubere aut si inpetrari id neqveat, edicto cavere, ne sine permissu suo agri & prædia in Ecclesias transferantur. Sunt enim bona illa regimini publico subjecta, & ad ipsam spectant Rempublicam; neqve possunt ergò à qvoqvam ipsi invitæ auferri aut exemptionis privilegio muniri. Et grande omninò postulatum est, qvod volunt à nobis credi Canonistæ, etiam patrimonialia Clericorum bona ab jurisdictione Laicorum esse exempta. Vid. Mich. Ferro Manrriqve *de diff. & conc. utriusq. for. qvæst. 22. n. 3.*

XXXIX. Sed abrumpendum est filum, qvandoqvidem minus diu & præter intentionem in digressione hâc de bonis Ecclesiasticis occupati fuimus. Causam ei dedit, qvod dixeram, dotem Ecclesiasticam in bonis immobilibus constitutam fuisse, qvâ occasione non de dote tantùm, sed aliis etiam bonis qvocunqve liberalitatis titulo in Ecclesiam collatis sermonem continuavimus. Et possent qvidem plura istiusmodi annotari, nisi id nostrum inhiberet institutum, & nisi excrevissent præter opinionem hæ pagellæ. Illud tamen non erit extra scopum, si addamus, non rustica tantùm, sed urbana etiam prædia doti Ecclesiasticæ augmentum dedisse. Atqve id ex documentis & diplomatibus penè innumeris comprobari posset, si qvidem colligere nunc ea vacaret; Sufficit unicum audire Gregorium Magnum qvi *lib. 3. epist. 19.* jubet Leonem Acolythum, ut pensiones ex omnibus domibus

mibus in Urbe constitutis & ad Ecclesiam pertinentibus colligat, & in reparationem ejus, tùm & luminaria impendat. Et *lib. 1. epist. 63.* domum Petronii Notarii Ecclesiastici injustè à Constantio Defensore titulatam dicit, h. e. in fiscum redactam, (qvandoqvidem prædia, qvæ fisco vindicabantur, publicè adfixis titulis insigniebantur, Vid. Cujac. *ad l. 3. C. de bonis vacant. lib. X.*) itaqve vult, ut titulus iste dejiciatur, & viduæ domus restituatur.

XL. Ut in viam redeamus, sufficienter, nî fallor, demonstratum dedi, dotē Ecclesiæ in immobilib9 dari & constitui oportuisse; idqve adeò verum arbitror, ut si mobilia tantùm qvis elargitus fuerit, vendi illa, & ex precio fundos & prædia comparari necesse fuerit. Xenodochis id lege injungit Justinianus Imp. *l. 49. §. 3. Cod. de Episc. & Cler.* Omninò enim sic res habet, ut plus cautionis & securitatis insit in immobilibus, qvàm in mobilibus, plusq; in prædiis rusticis, qvam urbanis, cùm urbana subjiciantur majori periculo incendii & ruinæ. Pyrrh. Maur. *de fidejuss. sect. 7. c. 2. n. 42.* Et propterea semper jubent Episcopi, à qvibus consecratio petitur, ut agri & fundi in dotem Ecclesiis dentur, de qvibus si prospectum sufficienter non fuerit, consecrationis actum tantisper suspendunt, qvoad satisfactum in eà re fuerit.

XLI. Repetendum verò hìc ex capite antecedente, de manso uno vel pluribus Ecclesiæ assignandis primam & præcipuam fuisse curam. Mansum istum non integrum tantùm & justâ mensurâ terminatum, sed etiam vestitum sive cum instrumento suo dari oportuit. Mansus enim vestitus dicebatur prædium rusticâ supellectile instructum, mancipiis nempe, colonis, armentis, qvæ ad agrum colendum sunt necessaria. Ei opponebatur mansus apsus sive prædium nudum & investe sine instrumento rustico. Nicol. le Maistre *de bon. Eccles. l. 3. c. 1.* Mansus igitur Ecclesiasticus debuit esse vestitus eâ ratione, ut dixi. Colonicam vestitam appellârunt Patres in Concilio Valentino anno DCCCLV. habito, qvando sub *cap. 9.* de dote constituendà hunc in modum edicunt: *Sed & ipsi seculares & fideles laici, si concedere voluerint Basilicas in prædiis suis, sicut edictum piissimorum Augustorum continet, unam colonicam vestitam cum tribus mancipiis donationis gratia eis conferant* &c. In diplomate, qvo Bruno Trevirensis Archiepiscopus privilegia Monasterii Munsteriensis confirmat, hæc habentur verba: *Dos Ecclesiæ,* „ *mansum unum indominicatum &* „ *qvatuor mansi vestiti, & mons & planities ab extrema turri castri, usq;* „ *ad aqvam.* ap. Joh. Bertel. *in hist. Luxenburgens. p. 30.* Est autem mansus indominicatus prædiorum pars, qvæ usui ipsius domini reservatur, neqve colonis aut emphyteuticariis conceditur. H. Spelmann. *in gloss.* mans9 scil. talis, qvē nobi-

nobiles ipsi suâ curâ atqve impendio inarabant, & qvi propterea sine mansuario erat. Nic. le Maistre *de bon. Eccles. lib. 3. c. 3.*

XLII. Et ut eò magis constet, qvid ad istum mansi vestitum reqviratur, cautè ego instrumenti tantùm feci mentionem, non etiam fundi instructi. Multum etiam ista duo inter se differre, notat Ulpianus in *l. 12. §. 27. ff. de instructo vel instrum. leg.* & multò pingvius esse legatum scribit, si fundus ita, ut instructus est, legatus fuerit, qvàm, si cum instrumento legatus esset. *Proinde*, inqvit §. 28. *si fundus sit instructus legatus, & supellex continebitur, qvæ illic fuit usûs ipsius gratia: & vestis non solùm stragula, sed qvæ uti ibi solebat: mensæ qvoqve eboreæ, vel si qvæ aliæ: item vitrea & aurum & argentum, vina qvoq; si qvæ ibi fuerint usûs ipsius causâ, continentur, & si qvid aliud utensilium* &c. Qvod si ergò qvis fundum, ut instructus est, in dotem dederit Ecclesiæ, non nego, ex hàc JCti explicatione faciendam esse interpretationem, atqve deberi tùm omnia, qvæ usûs causâ in fundo aut prædio isto reperiuntur. Id verò totum liberalitati donantis aut dotantis relinqvitur.

XLIII. Qvando autem lege exigitur, ut mansus Ecclesiæ in dotem detur vestitus, non id præcisè reqviritur, ut instructus sit, sed tantùm, ut ne careat instrumento. In instrumento a. ex ejusdem Ulpiani in *l. 8. ff. eod.* annotatione continentur ea, *qvæ fructus qværendi, cogendi, conservandi gratiâ parata sunt. Qværendi: velut homines, qvi agrum colunt, & qvi eos exercent, præpositive sunt his, qvorum in numero sunt Villici & monitores: præterea boves domiti, & pecora stercorandi causa parata, vasaq; utilia culturæ, qvæ sunt aratra, ligones, sarculi, falces putatoriæ, bidentes, et siqva similia dici possunt: Cogendi: qvemadmodum torcularia, corbes, falcesq; messoriæ, falces fenariæ, qvali vindemiatorii, exceptoriiq;, in qvibus uva comportantur. Conservandi, qvalia dolia, licèt defossa non sint, & cupæ &c.* Pro fundorum varietate varia etiam instrumenta recenset Ulpianus. Sed ad mansum Ecclesiasticum, qvem ex terrâ arabili constare debere, *cap. antec.* dixi, non alia necessaria erunt instrumenta, præter ea, qvæ ad agri culturam pertinent. Et qvia sine hominibus mansus sive ager ille exerceri non poterat, specialem nunc de istis, qvi Ecclesiæ extra sacra in rebus dotalibus inservierunt, instituemus dissertationem.

XLIV. Unicum istud addam, reditûs annuos ex prædiis in dotem Ecclesiæ constitutos, manente dominio prædii apud constituentem regulariter censeri irredimibiles, nec liberari debitorem, sicubi pro eis sortem ad rationem usurarum computatam solvere velit. Et sic enim pronunciavit Collegium Facultatis Juridicæ in Academ. Wittebergensi an Seniorn und Adsessores des Stadt-Gerichts zu Jüterbog mens. Octobr. 1659.

Haben

Haben die Schöppē des Stadt-Gerichts zu Jüterbog von undencklichen Jahren etl. Geistliche Lehn und Commendē als Patroni und Comtherren zu verleihen gehabt / welche sie nach der reformation / als die Päbstischen intonationes, vigilien / Altaristen und dergleichen / worzu solche Einkunfften eigendlich gewiedmet gewesen / aufgehört / an andere pios usus, stipendia und Besoldungen der Kirchen und Schuldiener verwendet / Nachdem aber die capitalien von denen Vorfahren auff gewisse Häuser und Gründe fundiret / wollen ietzo etliche Besitzer derselben sich von solchem Schöppen-Zinß durch Abtragung der capitalien loß würcken. Wenn nun gleich sonsten ein iedweder Schuldner durch Abtragung des Haupt-Stams sich der Schuld entbrechen mag / auch sonsten in zweiffelhafften Fällen die jährlichen Zinsen vor Erb-Zinsen nicht zu achten; Dennoch aber und dieweil der bey euch bißhero also genannte Schöppen-Zinß mehrentheils denē abgestorbenen Seelen zu gute / und zu Erhaltung derer deßhalber erbaueten Altare nach altem Päbstischē Wahne gewiedmet / auch in vielen Verschreibungen / daß solcher ewig abgestattet werdē solte / enthalten / So sind dannenhero die capitalia, gestalten Sachen nach / und daferne sie nicht wiederkäufflich verschrieben / unableglich / und mögt Ihr solche von den Zinß-Leuten anzunehmen / wider euren Willen nicht angehalten werden.

CAPUT IX.

De Familiâ Ecclesiasticâ, servis, colonis, inqvilinis, hospitibus, casatis, libertis, & hodiernis Dotalibus.

SUMMARIA.

Mansus ecclesiasticus in quem principaliter finem datus fuerit in dotem; item de illius cultura & hominibus ad eam necessariis, n. 1.

Ecclesiam etiam suam habuisse familiam, n. 2.

Num ex servis tantùm, an etiam ex personis liberis constiterit familia ecclesiastica? n. 3.

Ipsos etiam Ecclesiarum servos in clerum receptos esse, praviâ manumissione. sed non nisi in subsidium, & deficientibus aliis personis ingenuis, n. 3, 4, 5.

Verba legum ecclesiasticarum Karoli & Ludovici Imp. item Concilii Toletani de servis istis, ibid.

Familiæ pro servis acceptio JCtis usitata, n. 5.

Quibus & qualibus servis receptio in clerum contigerit; Et quàm rudes & ignari literarum presbyteri & sacerdotes sequioribus temporibus fuerint? n. 5.

Rusticos etiam servos ad sacra officia promotos quandoque fuisse conjicitur, n. 6.

Testimonium tam in rem Agobardi Lugdunensium in Gallia Episcopi, seculi sui mores perstringentis, eôd.

Qui servi ad sacros ordines promoveri debuerint ex præscripto Patrum Concilii Toletani, & Emeritensis, item Karoli Imperatoris, n. 7.

Fuisse inter servos olim etiam haud pauca in studiis doctrinarum egregia & versatissima mancipia, eôd.

Quibus competierit judicium de servis? eôd.

Cur servi sine dominorum consensu & libertate ordinari non debeant? eôd.

Etiam in usu ecclesiastico vocabulum familiæ de servis tantùm accipi; de personis tamen liberis usurpari sæpè, n. 8.

Non tantùm servos in œconomicis Ecclesiæ rebus adhibitos fuisse, eôd.

Servos intervenire omninò prohibitos fuisse, eôd.

Dictam familiam in majoribus tantùm Ecclesiis fuisse; in minoribus, & parochialibus tantùm, præter servos rusticos familiam nullam extitisse, n. 9.

De Ecclesiarum parochialium paupertate & statu Ecclesiæ Christianæ in ea, eôd.

Autoris meta subsistendi in familia rustica, quæ & simplicissima & dotis origini coæva fuerit, eôd.

Ex œconomia civili plerumque omnia in Ecclesiasticam transsumpta fuisse, eôd.

De agricultura & agricultoribus nascentis imperii temporibus primis, n. 10.

Ab aratro olim Consules & Dictatores accersitos fuisse, eôd.

Nominis immortalitas Catonis Censorii ab agricultura inter cætera, eôd.

Pristinam rei familiaris rationem & conditionem non perpetuam, nec diuturnam fuisse; subjunctis modis exercendi agriculturam per servos & homines liberos ingenuosque; Et quid different illi modi? n. 11. In-

Inter liberas & ingenuas personas, qvæ alienos colunt agros, qvotuplex occurrat differentia? n. 12.

Ditiores apud Romanos, præter urbanam seorsim secum habuisse familiam rusticam, ex servis constantem; Et qvalis conditio & victus eorum fuerit? n. 13.

Supplicii etiam causâ servis aliqvando studiū agriculturæ impositum fuisse, eôd.

Qvalis & qvàm copiosa olim apud Romanos fuerit familia rustica, ostenditur per leges & authores recitativè & remissivè, n. 14.

An servi fundo colendo destinati in ipsius fundi partibus numerati & pro instrumentis ejus habiti sint? n. 15.

Instrumenti definitio, eôd.

An si fundus cum instrumento legatus fuerit, omnes etiam servi in fundo illo existentes legati intelligantur? Et qvis fide dominicâ colere dicatur fundum? eôd.

Qvid sit, qvod in l. 20. § 1. ff. de instruct. vel instrum. leg. dicitur, servum fundum coluisse, ut extranei coloni solent? Et cur dicatur ut extranei? *n. 16.*

Fuisse etiam colonos adhuc alios, qvi non fuerint extranei, sed domestici & de familia patrisfamilias; nec servos tamen, nec liberos prorsùs, sed suô singulari jure utentes, inter servos tamen ferè numeratos, n. 17.

Collectio, regulariter colonos partem fructuum in natura dominis dedisse, aliqvando tamen auro aut pecunia numeratâ, eôd.

Dictorum colonorum uberior consideratio, n. 18.

Conditionis vocabulum in materia de colonis, item conditionale instrumentum, & colonaria conditio qvomodò accipiatur? n. 19.

Coloni adscriptitii & glebis inhærentes, eôd.

Qvæ causa sit, qvòd cùm Judæis non liceret in dominio Christianum mancipium habere, coloni tamen in possessionibus eorum permanere, & qvicqvid de colonis jura præcipiant, peragere jubeantur? eôd.

Adscriptitiorum aliqvando à colonis distinctio, n. 20.

In conditione servorum nullam fuisse differentiam, eôd.

Ipsos etiam adscriptitios colonorum nomine venisse, eôd.

De inqvilinis & differentia inter eos, adscriptitios s. originarios & colonos, it. de origine qvorumqve, n. 21.

Materiam de dictis hominibus obscuram & obsoletam esse, deq; eâ perspicuè tradendâ plerosq; omnes olim desperâsse, eôd.

In Ecclesia etiam servi coloni & inqvilini num fuerint? n. 22.

Colonos ita fuisse glebæ, cui se devoverant, veluti incorporatos, ut etiam dominorum autoritate avelli non potuerint, hinc fundum eos secutos, & unà cum donatione aut permutatione fundi simul donatos esse & permutatos. eôd.

Servos, perinde ut coloni, terræ affixos non fuisse, plerumq; tamen Dominos, si qvando prædium aliqvod Ecclesiæ donârint, ipsa etiam mancipia prædio illi destinata unà donasse, atq; sic Ecclesiæ propria fecisse & non potuisse mansum in dotem Ecclesiæ constitui, nisi adjunctis simul certis mancipiis vel colonis; atq; hinc mansum apsum s. vestitum & integrum non intellectum esse, nisi coloni simul aut servi additi fuerint, eod.

Exempla chartarum antiqvarum de re præsenti, & qvidem (1) de servis, n.23.

Lege ecclesiasticà cautum fuisse, ne mansus sine mancipiis traderetur Ecclesiæ in dotem, n.24.

Dictos servos rusticos ab Longobardis massarios nuncupatos fuisse, eod.

Alios donâsse Ecclesiæ servos tantùm suos sine agro, demonstratur instrumento antiqvo, n.25.

(2) de colonis Ecclesiæ testimonia, n.26.

Etiam in alienos colonos Ecclesiam sæpe jus aliqvod exercuisse, ostenditur per decretum Concilii Elibertini anno CCCV. celebrati; Et ubi decretum illud legatur? Qvæq; constitutionis ejus sit ratio? Et qvalis ipsa etiam castigatio esse debeat? n.27.

Qvid intuitu Ecclesiæ, propter operam addictam, pro servis præcipui habuerint coloni alieni? n.28.

Irnerius Novellarum Justinianearum epitomator, eod.

Inqvilinos etiam in Ecclesiâ fuisse & ad ejus familiam pertinuisse probatur, num.29.

Adscriptitium cum terra dominio expelli potuisse, sicut servus cum peculio manumitti, eod.

Natos ex servis & colonis familiam auxisse, & conditionem parentum, matris imprimis, secutos esse, n.30.

Si homines duarum vicinarum Ecclesiarum commisceantur, ad utram Ecclesiam pertineat id, qvod natum est? eod.

Chevagium qvid sit? eod.

De Hospitibus, olim etiam ad familiam Ecclesiasticam relatis, num.31,32,33, 34,35.

Lassorum Saxonicorum conditio & origo, n.32.

Servi censiti secundùm Franciscum Connanum qvi fuerint? n.33.

De Casatis Ecclesiæ, n.36,37,38,39.

Distinctio casatorum in Vasallos casatos & servos casatos, n.39.40.

Casam non tugurium tantùm significâsse, sed omne ædificium, etiam palatium & Regiam, n.40.

Ipsa

Patres aut matres familias cum omni sua familia Ecclesiis semet qvandoq; addicere atq; devovere, inq; ejus rei memoriam ac recognitionem, certum canonem, eumqve exiguum sæpè, qvotannis solvendum constituere solitos fuisse, n. 47, 48.

Isthanc addictionem fieri eô fine, ut jurisdictione seculari eximantur ita se devoventes; Qvalis exemtio omnium ferè puerorum olim in Gallia per tonsuram obtinuerit. eôd.

Qvid in nostris Ecclesiis & provinciis obtineat? n. 48.

Tam amplam nullibi extare familiam Ecclesiæ, qvanta adhuc inter Pontificios conspiciatur, eôd.

Parochialium Ecclesiarum earumq; disciplina vix umbram aliqvam superesse, eôd.

Nec necessariam esse, nec proficuam tantam hominum vel clientulorum copiam, eôd.

Mala benigniorem cleri fortunam secuta, eôd.

Seculari potestati & autoritati tanto plus decedere, qvantò majorem ambitum sibi fecerit jurisdictio Ecclesiastica, eôd.

Receptio ex superioribus, bona temporalia, & immobilia imprimis, Ecclesiæ ideò dari oportere, ut habeant ministri ejus, unde cum familia sua honestè & cum authoritate qvadam vivere qveant, & unde ipsi etiam Ecclesiæ ea, qvæ ad cultum divinum necessaria sunt, comparari possint; item legibus antiqvis constitutum fuisse, ut unus mansus integra seu colonica vestita in dotem daretur; Id qvod in plurimis apud nos parochiis, præsertim suburbicariis & rurestribus observare adhuc liceat, n. 49.

Recitatio veteris formulæ similis, in eundem sensum concepta, §. 3.

Verba Ordinationis Ecclesiasticæ Electoralis de re præsenti, eôd.

Usibus etiam sacris & ceremoniis expediendis destinata qvandoqve bona immobilia fuisse, ostenditur ex Matricula Consistorii Witteberg. de anno 1555, n. 50.

Salis & Olei in Ecclesia pontificia usus, eôd.

Inter dicta prædia rustica qvæ sit differentia ex titulo acqvisitionis, & respectu alienationis? n. 51.

Titulum, qvô prædia talia ad Ecclesiam pervenerunt, plerumq; hodiè incertum esse? & plerarumqve Ecclesiarum originem prorsus ignorari ob amissam per belli calamitates instrumentorum publicorum partem maximam;

ximam; Et qvàm ea res patrimonium Ecclesiæ ejusq; dotem extenuaverit & attriverit? eôd.

Hoc etiam incommodum insecutum esse, qvòd inter eos hodiè, qvi agros Ecclesiæ colunt, vix appareant ampliùs, imò qvandoq; prorsùs non appareant, qvi olim servitiis istis destinati à fundatoribus fuerint, qviq; adeò dotis ecclesiasticæ partem faciant, n. 52.

Num mancipia & coloni cum agro aut manso ecclesiastico Ecclesiæ simul traditi partem dotis ecclesiasticæ constituerint? eôd.

Dotales qvi vocentur, & qvibus hoc nomen hodiè per abusum applicetur? Num item isti dotales olim propriè fuerint? eôd.

Non constare hodiè de differentia, qvæ olim inter veros dotales, & eos, qvi Ecclesiæ aliô qvocunq; titulô deputati fuerunt, intercesserit, idq; ob deficientia nunc fundationum instrumenta, eôd.

Non unam hodiè inter ministros Ecclesiæ freqventari rationem & modum utendi agris ecclesiasticis, n. 53.

De primo genere Dotalium hodiernorum, eorum sc. qvi præter operam & diligentiam in cultura nihil omninò præstant, & fide dominicâ colunt. eôd.

De secundo genere, illorum nempe, qvi ex prædiis ecclesiasticis emolumenta sua faciunt, qviq; non fide dominicâ, sed suo commodo agros colunt, ita ut dominium & possessio penes Ecclesiam maneat, & ipsi vel certum censum, vel servitium præstent, n. 54.

De Emphyteusi Ecclesiastica, remissivè eôd.

De tertio genere Dotalium, qvi sub certo censu annuo & servitiis qvibusdam, mansum ecclesiasticum sibi proprium & hereditarium faciunt, ejusq; & dominium & possessionem nanciscuntur, n. 55, 56, 57.

De qvarto Dotalium genere, utpote eorum, qvi à superiore suo Ecclesiæ & ejus ministris addicuntur & veluti mancipantur, ut servitia sua aut alia emolumenta Ecclesiæ præstent. Et qvotupliciter ista concessio fieri possit? n. 58.

Num, qvi certâ mercede constitutâ agros ecclesiasticos conducunt, dotales dici possint? n. 59.

Locationis rerum Ecclesiæ ad longius tempus prohibitio Juris Canonici & provincialis, eôd.

Prædia Ecclesiastica locari solita unde dicantur Laßgüter Germanicè? eôd.

Locationem illam non fieri debere sine solennitate, nec sine præscitu Superioris, eôd.

Num & ex qva ratione conductor prædiorum ecclesiasticorum immunitatibus & privilegiis inhærentibus iis fruatur? n. 60.

Privilegiorum realium & personalium natura & conditio, eôd.

In oneribus realibus non tàm personas & possessores, qvàm res ipsas & prædia teneri, eôd.

Parochianis injungendum esse munus colendorum agrorum parochialium, si nulli tales omninò adsint, qvi vel ex obligatione dotali, vel ex contractu culturam istam in se suscipiunt, n. 61.

Constitutio Ecclesiastica provincialis eâ de re, eôd.

Propter diversitatem dotalium eos sub una generali definitione comprehendi universos non posse, n. 62.

Qvi propriissimè dotales dicantur? eôd.

Ipsos dotales dici eigene Männer/ eigene Leute/ eigene Dienstleute. *eôd.*

MAnsus Ecclesiasticus, de qvo plurima jam dixi, non ideò datus fuit in dotem, ut in dominio tantùm & possessione Ecclesiæ esset, sed eum principaliter in finem, ut alimenta inde & alia necessaria ministris Ecclesiæ suppeterent. Ista verò omnia expectari inde non poterant, nisi ille per culturam subactus & per sementem ad ferendos fructûs excitatus fuisset. At Sacerdotibus & illis, qvi sacris operabantur, indignum hoc erat munus, non qvod probrosum aut indecorum esset, sed qvòd minùs proficuum esset Ecclesiæ, si illi ab ministerio suo avellerentur, & circa τὰ βιωτικὰ occupati esse cogerentur. Hâc igitur ratione unà cum manso etiam de hominibus, qvi curam & operas istas in se susciperent, Ecclesiæ prospicere oportuit, atqve sic etiam per Oeconomicam societatem illa sua accepit incrementa, qvâ non magis, qvàm alimentis, carere potuit.

II. Factum inde, ut Ecclesiam etiam suam haberet familiam, cujus in antiqvis canonibus non una fit mentio. Sic enim constitutum legitur in Concilio Emeritensi *can. 18.* ut parochitani Presbyteri, qvando Ecclesiæ facultates id ferunt, ex ejus familiâ eligant, qvos officio & ministerio sacro aptos & idoneos faciant. *Instituit hæc sancta Synodus*, sunt verba ipsius Canonis, *ut omnes parochitani presbyteri, juxta ut in rebus sibi à DEO creditis sentiunt habere virtutem, de Ecclesiæ suæ familiâ Clericos sibi faciant, qvos per bonam voluntatem ita nutriant, ut & officium sanctum dignè peragant & ad servi-*

servitium suum aptos eos habeant. Hi etiam victum & vestitum dispensatione presbyteri merebuntur & presbytero suo atqve utilitati Ecclesiæ fideles esse debent. &c.

III. Ex his verbis colligi posset, non ex servis tantum, sed liberis etiam personis constitisse familiam Ecclesiasticam, qvandoqvidem liber esse debet, qvi divinæ aggregandus est militiæ, *c. 1. dist. 54. & tot. tit. X. de serv. non ordin.* At verò ipsi etiam Ecclesiarum servi in clerum recipiebantur, prævià tamen manumissione, uti liqvidò apparet ex *c. 4. & 23. dist. eád.* ut adeò necesse non sit, in canone Synodi Emeritensis, supponere personas nativitate liberas, qvæ ex familià Ecclesiæ Clericorum ordini adscribi possent. Idqve luce meridianà clariùs ostendunt Leges Ecclesiasticæ Karoli & Ludovici Imp. *lib. 1. capitul. 88.* ubi hæc leguntur verba: *De Ecclesiarum verò servis communi sententià decretum est, ut Archi-Episcopi per singulas provincias constituti nostram auctoritatem, suffraganei verò illorum, exemplar illius penes se habeant. Et qvandocunq; de familià Ecclesiæ utilis inventus aliqvis ordinandus est, in ambone ipsà auctoritas coram populo legatur, & coram sacerdotibus vel coram fidelibus laicis ante cornu altaris, sicut in nostrà auctoritate continetur, remota qvalibet calliditate libertatem conseqvatur, & tunc demum ad gradus Ecclesiasticos promoveatur.* &c.

IV. Imò verò anterioribus retrò temporibus & seculum Karolinum antecedentibus anno Christi DCXXXIII. in Concilio Toletano IV. *can. 74.* constitutum legitur: *De familiis Ecclesiæ constituere presbyteros & Diaconos per parochias liceat, qvos tamen vitæ rectitudo & probitas morem commendat; eâ tamen ratione, ut antea manumissi libertatem statûs sui percipiant, & denuò ad Ecclesiasticos honores succedant: irreligiosum est enim obligatos existere servituti, qvi sacris ordinis suscipiunt dignitatem. Qvicqvid autem talibus aut per libertatem concessum, aut successione extiterit debitum, aut à qvolibet qvoqvo modo collatum, non licebit eis qvippiam inde in extraneas personas transmittere, sed omnia ad jus Ecclesiæ, à qvà manumissi sunt, oportet post eorum obitum pertinere. His qvoq; sicut & ceteris Ecclesiæ libertis, accusandi vel testificandi adversus Ecclesiam aditus intercluditur; ad qvos si adspiraverint, non solum libertatis beneficio careant, sed etiam honoris gradu, qvem non dignitate naturæ, sed temporis necessitate premeruerunt.* Qvæ verba perspicuè ostendunt, servos Ecclesiæ qvandoqve in Clericorum ordinem receptos fuisse, sed ut videtur, non nisi in subsidium, & deficientibus aliis perso-

nis ingenuis, qvibus dignè conferri ista munia potuissent.

V. In his igitur locis strictè sumitur familia, pro servis, qvæ acceptio JCtis usitata est. Vid. *l. 40. §. 3. l. 166. l. 195. ff. de V. S. l. 9. ff. de jurisdict. l. 32. pr. ff. ad L. Aqvil. l. 2. pr. & §. 14. ff. de vi bon. rapt. tot. tit. ff. si famil. furt. fec. dicat.* Et poterat adeò servus Ecclesiæ, qvi idoneus esset officio sacro obeundo, in Clerum recipi; ut tamen prius libertate donaretur, & servitutis jugo eximeretur. Nec verò arbitror cuiqvam inter servos id facilè contigisse olim, præterqvam illis, qvi literis instructi, & bonarum artium cognitione imbuti id meruissent; qvales vix erant, qvi ad stivam & ligonem nati maximam ætatis partem in opere rustico consumpserant. Qvanqvam seqvioribus temporibus per Episcopalis torporis ignaviam tàm expertes literarum inventi fuerint presbyteri, ut non modò eorum, qvæ legerent, intelligentiam non attingerent, sed syllabatim qvoqve vix ipsa decurrentis articuli elementa balbutirent, uti loqvitur & conqveritur Petrus Damiani *lib. 4. epist. 14.* Atqve tunc etiam rusticos servos ad sacra officia promotos qvandoqve fuisse, nullus dubito.

VI. Et qvo minùs eà de re dubitem, facit insigne testimonium Agobardi Lugdunensium in Galliâ Episcopi, qvi in tractatu de privilegio & jure sacerdotii ad Episcopum Bernardum scripto, inter alia seculi sui mores his perstringit verbis: *Contueamur fœditatem nostri temporis, omni lacrymarum fonte plorandam, qvando increbuit consvetudo impia, ut penè nullus inveniatur anhelans & qvantulumcunq; proficiens ad honores & gloriam temporalem, qvi non domesticum habeat Sacerdotem, non cui obediat, sed à qvo incessanter exigat licitam simul atq; illicitam obedientiam, non solùm in divinis officiis, verùm etiam in humanis. Ita ut pleriq; inveniantur, qvi aut ad mensas ministrent, aut sacrata vina misceant, aut canes ducant, aut caballos, qvibq fæminæ sedent, regant, aut agellos provideant. Et qvia tales, de qvibus hæc dicimus, bonos sacerdotes in domibus suis habere non possunt, (nam qvis esset bonus Clericus, qvi cum talibus hominibus dehonestari nomen & vitam ferret?) non curant omninò, qvales Clerici illi sint, qvanta ignorantia seu criminibus involuti, tantùm ut habeant presbyteros proprios, qvorum occasione deserant Ecclesias, sermones & officia publica. Qvòd autem non habeant eos propter religionis honorem, apparet ex hoc, qvòd non habent eos in honore, unde & contumeliosè eos nominantes, qvando volunt illos ordinari presbyteros, rogant nos, aut jubent, dicentes: Habeo unum clericionem, qvem mihi nutrivi de servis meis propriis, aut beneficialibus sive*

sive pagensibus, aut obtinui ab illo vel illo homine, sive de illo vel illo pago, volo, ut ordines eum mihi presbyterum. Qvumqve factum fuerit, putant ex hoc, qvod majoris Ordinis Sacerdotes non eis sint necessarii & derelinqvant freqventer publica officia & prædicamenta sive prædicationes. Hactenus Agobardus.

VII. Tales sine dubio non admisissent vel Concilii Toletani vel Emeritensis Patres, vel Karolus Imperator, qvorum ex præscripto illi tantùm Ecclesiæ servi ad sacros ordines promoveri debuérunt, qvi officium sanctum digne peragere poterant, & qvi utiles Ecclesiæ inveniebantur. Fuisse verò inter mancipia olim haud pauca in studiis doctrinarum egregia & versatissima, prolixè ostendit Laurentius Pignorius *de servis. pag. 108. seqq.* qvorum ingenia, si qvando in studio sacrarum literarum abuudè promovissent, maximum ex se Ecclesiæ promittere poterant emolumentum. Et de servis Ecclesiæ qvidem nullo nisi solius Ecclesiæ opus erat judicio; sed de illis, qvi in alteris cujusdam erant servitute, etiam Domini necessarius erat consensus; qvandoqvidem hoc nomine olim Clerus sæpè infamabatur, qvòd servis alienis in ordinem suum receptis patrocinium præstarent, atqve sic facerent, ut adversus Dominos in contumaciam erigerentur alii qvicunque. Hanc enim reddit rationem Gelasius *c. generalis. dist. 54.* cur servi sine dominorum consensu & libertate ordinari non debeant, ne scilicet *per Christiani nominis institutum aut aliena jura pervadi, aut publica videatur disciplina subverti.*

VIII. Etsi verò familiæ vocabulum etiam in usu Ecclesiastico, uti hactenus explicavimus, de servis tantum excipiatur sæpè, tamen istud de personis liberis usurpatur, nec ausim adeò dicere, non nisi servos in Oeconomicis Ecclesiæ rebus adhibitos fuisse, qvos tamen omnes ad Ecclesiæ familiam pertinuisse, dubium apud me nullum est. Ipsos aliqvando Oeconomos Ecclesiæ Laicos fuisse, ex *cap. indicatum est. dist. 89.* constat, atque illos in familiâ Ecclesiæ fuisse certum est, servos fuisse nemo dixerit. Nec insubidum est, quod ex subscriptionibus quarundam donationum colligit Nicolaus le Maistre *l. 3. de bon. Eccles. c. 5.* sub nomine familiæ Ecclesiasticæ non servos tantum, sed alios etiam, qvi in patrocinio Ecclesiæ essent, sæpè comprehensos fuisse. Illustre ejus rei occurrit exemplum apud Aubertum Miræum *donat. Belg. lib. 1. c. 31.* ubi instrumentum venditionis, qvo castellum de Covino à Comite Montensi Balduino in Ecclesiæ Leodiensis dominium translatum est, ut testes subscripserunt primùm Clerici, deinde Decani

de aliis monasteriis, tertio loco Laici aliqvot nobiles, & tandem haud panci de familiâ Ecclesiæ, uti expressa hæc isthic habentur verba. At verò servos in subscriptionibus testes adhibitos fuisse, nusqvam legitur, imò verò intervenire illi omninò prohibebantur, uti eruditè & prolixè ostendit Jacobus Gothofredus *ad l. 175. ff. de R. J.* add. Prosp. Farinacius *de testib. qvæst. 55. n. 167.* Per consequens, qvi instrumento illi venditionis subscripsérunt, & de familiâ Ecclesiæ fuisse dicuntur, inter servos referre, perqvam erit absurdum.

IX. Talis verò familia in majoribus tantum Ecclesiis cernebantur. In minoribus enim, qvæ parochiales tantùm erant, præter servos rusticos familia nulla extabat. Pauperes earum erant facultates, exigui reditûs, dos ipsa tenuis, & plerumqve, uti supra diximus, in uno aut altero manso consistebat. Et in his tamen ipsis maximé sibi sufficiebant Ecclesiæ, creditumqve inde fuit à qvamplurimis, nunqvam meliorem fuisse Ecclesiam Christianam, qvàm dum vixit in pauperate. Vid. Marc. Anton. de Dominis *de Rep. Christ. lib. 6. n. 15.* Jac. Usserius *de Christ. Eccles. success. c. 1. n. 19. seq.* Nos ad universos illos, qvi qvovis modo ad Ecclesiæ familiam pertinuerunt, ad nunc excurramus, & vinculum, qvo unusqvisqve illi obligatus fuit, enodemus, causæ nihil subest, sed unicè nunc in familiâ illâ rusticâ, qvæ & simplicissima & dotis origini coæva fuit, subsistemus. Et qvia ex Oeconomiâ civili pleraqve omnia in Ecclesiasticam transsumpta fuere, pauca hîc de ratione, qva Romani in colendis agris usi fuerunt, præmittere operæ erit precium.

X. Primis illis nascentis Imperii Romani temporibus, ipsi, qvi domini erant agrorum, suâ manu suoqve labore arva subigebant, neqve erat qvisqvam, qvi id sibi turpe aut parum conveniens putaret. Gaudebat terra vomere laureato & triumphali aratore, atqve eâdem manu tractabantur semina, qvâ bella, uti loqvitur Plinius *in Panegyr.* Istudqve agriculturæ studium tanto olim in precio fuit, ut ab aratro Consules & Dictatores accerserentur. Laudat hoc Cicero *in Orat. pro Roscio*, & per istud agriculturæ studium â majoribus ex minimâ tenuissimâq; Rep. maximam & florentissimam relictam fuisse scribit. *Suos enim*, inqvit, *agros studiosè colebant: non alienos cupidè appetebant, qvibus rebus, & agris, & Urbibus & nationibus Remp. atqve hoc imperium & populi Romani nomen auxérunt* &c. Atqve in eâ arte multum excelluit, atqve immortale sibi nomen inde comparavit, etiam in cæteris magnus & incomparabilis Cato Censorius, de qvo cùm verissimè scriptum sit,

optimus

optimus Senator, optimus Orator, optimus Imperator, tandem laudis ad cumulum illud est additum: sine æmulo, sive sine exemplo sui temporis agricola. Franc. Petrarcha *de remed. utr. fort. dial.* 57.

XI. Sed ista rei familiaris ratio & conditio non fuit perpetua, nec diuturna. Simulatqve enim industriam unius hominis superârunt possessiones & fundi acqvisiti, de adminiculis cogitari cœpit, qvibus retineri illi in dominio atqve possessione, & fructus nihilominùs per alienas manûs colligi aut percipi possent. Sed hic diversas planè patresfamilias inierunt vias. Aliqvi enim per Servos agriculturam exercebant, aliqvi per homines liberos & ingenuos. Prior ille modus antiqvissimus videtur, & rei œconomicæ maximè naturalis; alter conseqvens magis est, & in defectu prioris superveniens. Ille intra familiam subsistit, & in unam domum, unumqve Patremfamilias omne emolumentum effundit; hic extra familiam egreditur, & ad civitatem magis inclinat, duarumqve aut plurium familiarum conservationem intendit. Ille ex jussu & imperio, hic ex consensu & conventione originem ducit. In utroqve tamen maxima iterum est varietas & figuræ inde resultantes diversissimæ.

XII. Inter liberas enim & ingenuas personas, qvæ alienos colunt agros, triplex ferè occurrit differentia. Aliqvi pro mercede constitutâ operas suas locant, ita ut totum agri emolumentum ad dominum spectet, ipsi verò, præter mercedem, nihil accipiant. Atqve hæc operarum locatio, etiamsi in perpetuum facta sit, nihil omninò pugnat cum libertate. Vincent. Carocc. *de locat. part. 2. qv.* 175. Petr. Nic. Mozzius *de reb. qvæ loc. poss. n.* 10. Udalric. Zas. *paratitl. de usufr. n.* 44. Aliqvi non nummis, sed parte fructuum acceptâ alienos agros colunt, atqve illi coloni partiarii vulgò dici consveverunt, *l.* 25. §. 6. *ff. de locat.* ipsum verò istud negocium speciem societatis facit, *l.* 52. §. 2. *ff. pro soc.* Mozz. *de locat. n.* 26. 27. Tandem aliqvi ipsos fundos conducunt ad suam propriam utilitatem, ita ut omnes fructûs suos faciant, nullumqve inde emolumentum ad proprietarios redeat, præterqvam certa illa, de qvâ ab initio convenit, pecunia. *l.* 15. §. 2. *ff. locat. l.* 25. *C. eod.* Vid. Petr. Gregor. *syntagm. jur. l.* 18. *c.* 23. *n.* 14. Et hi qvidem omnes, qvia libero consensu rem alienam curandam suscipiunt, ex conventionis cujusqve naturâ atqve indole tenentur, sive jam ex nominato contractu obligari velint, sive innominato, prout cuiqve utile visum fuerit & proficuum.

XIII. Si qvis tamen ipse rebus suis superesse, & per suam propriam familiam agros colere, reliqvamve rem rusticam curare poterat, potiori titulo

tulo is boni patrisfamilias nomen gerebat, qvandoqvidem ab conductoribus nunqvam tanta insumitur opera, qvantam impendere solet ipse rei dominus. Qvi ditiores erant apud Romanos, præter urbanam seorsim suam habebant familiam rusticam, ex servis constantem, qvorum durior erat conditio, & victus multò asperior, qvàm eorum, qvi domestici atqve in civitate erant, & ruri ferè vincti opus faciebant, uti id colligi potest ex festivissimo duorum servorum colloqvio apud Plautum *Mostell. act. 1. sc. 1.* Sic igitur ad servos devoluta est ista laborum congeries, qvibus genus istud vitæ maximè conveniens esse, indicat Atheniensis hospes apud Platonem *lib. 7. de legib.* γεωργίαι δὲ ἐκδεδομέναι δούλοις, ἀπαρχὴν τῶν ἐκ τῆς γῆς ἀποτελοῦσιν ἱκανὴν ἀνθρώποις ζῶσι κοσμίως. i. e. *agrorum colendorum labor servis relinqvatur, qvi fructus ex agris reddant, qvi satis esse qveant hominibus moderatè viventibus.* Imò verò supplicii causâ servis aliqvando studium agriculturæ impositum fuisse, ex Plauti suprà adductâ fabulâ liqvet, ubi servus rusticus comminatur urbano: *Cis herclè paucas tempestates, Tranio augebis ruri numerum, genus ferratile.* Idem clariùs edisserit Plinius *lib. 18. c. 3. Ipsorum*, inqvit, *manibus Imperatorum coli solitos agros, ut par est credere, gaudente terrâ vomere laureato, & triumphali aratore: nunc eosdem vincti pedes, damnatæ manus, inscripti vultus exercerent. hæc enim unum pœnæ genus fuit, qvam sine dominorum fraude servi possent lucre.*

XIV. Qvalis & qvàm copiosa olim apud Romanos fuerit familia rustica, intelligi potest ex iis, qvæ ab JCtis notata sunt *sub tit. ff. de instruct. vel instrum. leg.* Recensentur illic homines, qvi agrum colunt, & qvi eos exercent, præpositive sunt his, qvorum in numero esse dicuntur villici & monitores, item atrienses, scoparii, topiarii, pastores, saltuarii, *l. 8. ff. eod.* pistores, tonsores, lanificæ, fullones, focariæ, cellarii, ostiarii, muliones, venatores & vestigatores, & plurimi alii, *l. 12. §. 5. 9. 12. seq. eod.* Immanem enim qvibusdam fuisse servorum numerum, præter alios Athenæus testis est, qvi uni alicui ultra viginti millia serviisse scribit *l. 6. cap. 7.* Alia ejusmodi exempla recenset J. Lipsius ad Tacit. *annal. l. 3.*

XV. Ex numero servorum, qvi fundo colendo destinati erant, in ipsius fundi partibus numerabantur, & pro instrumentis ejus habebantur. Sic enim definit Ulpianus instrumentum *l. 12. pr. ff. de instruct. vel instrum. leg.* qvòd sit apparatus rerum diutiùs mansurarum, sine qvibus exerceri neqvit possessio. Proinde si fundus cum instrumento legatus fuerit, omnes etiam servi in fundo illo existentes legati intelliguntur. *d. l. 12.*

Sed

Sed tamen ipsum hoc non fuit perpetuum, qvandoqvidem diversimodè se habebant illi, qvi in fundo rustico existebant. Negat Ulpianus pro instrumento esse servum, nec deberi legato instrumento, qvi qvasi colonus in agro erat. *d. l. 12.* §. *3.* Negat etiam Scævola deberi, qvi sub pensionis certâ qvantitate agrum colit, *l. 18.* §. *3. ff. eod* qvia scil. non fide dominicâ, sed mercede, ut extranei coloni solent, fundum coluit, *l. 20.* §. *1. ff. eod.* Fide autem dominicâ colere is dicitur, qvi periculo domini colit, qvi præter operam & diligentiam nihil affert, cùm lucrum omne vel damnum hinc veniens sibi habeat dominus, ipse servus nullam in partem vocatur. Francisc. Connan. *lib. 2. comment. jur. c. 10. n. 2.*

XVI. Sed qvid est, qvod dicitur in *d. l. 20.* §. *1.* servum fundum coluisse, ut extranei coloni solent? Id verò eleganter iterum exponit Connanus *d. l.* nempe servos rusticos ab initio eum in finem fundo impositos fuisse, ut eorum vicariis operis, tanqvam instrumentis uterentur domini ad cultum agrorum. Posteà verò ut servos suos diligentes efficerent, & rerum rusticarum attentos, certâ pensione fundos eis dedisse colendos, qvasi extraneis colonis: ut si fructus mercedem superarent, id totum servi haberent, suo periculo ararent, pascerent, sererent, pensionem qvotannis solverent, etiamsi nulli provenissent, aut minores fructus: si majores, nihil prætereà. Atqvi hi servi dicebantur, ut extranei coloni solent, fundum colere: *ut extranei*, inqvam, qvia scil. certâ mercede constitutâ colebant, qvalem contractum locationis conductionis, qvilibet extraneus inire cum patrefamilias poterat.

XVII. Erant verò coloni adhuc alii, qvi non erant extranei, sed domestici, & de familiâ patrisfamilias, nec servi tamen, nec liberi prorsus, sed suo singulari jure utentes; inter servos tamen ferè numerabantur. Atqve illi non, ut extranei, mercede fundum colebant, ita ut ad certum tempus contrahere, & finito contractu discedere ab coloniâ liceret, qvaliter loqvitur Scævola *d. l. 20.* §. *3. ff. de instruct. vel instrum. leg.* sed partem fructuum pro solo debitam dominis præstabant, *l. 8. C. de agric. & censit.* & ab eis domini prædiorum id, qvod terra præstabat, accipere tenebantur, *l. 5. C. eod.* nisi, qvod ibidem additur, consvetudo prædii aliud exigat, ut scil. in pecuniâ præstentur reditus. Ex qvibus verbis colligo, regulariter colonos partem fructuum in naturâ dominis dedisse, aliqvando tamen, sed fortassè rariùs, in auro aut pecuniâ numeratâ, qvod uberiùs patet ex *l. 20.* §. *1. Cod. eod.*

XVIII. Atqve hi coloni in relatione dominis opponebantur. *l. 17. l. 18. l. 19. C. de agric.* Et illi tamen

servi eorum non erant, sed liberi disertè appellantur *l. un. in f. C. de colon. Illyr.* & tùm servis, tùm libertis opponuntur. *ibid.* Unde possessores prædiorum, qvibus illi qvasi affixi erant, in relatione ad eos non domini, sed seniores dicebantur, uti habetur in fragmentis concilii Eliberti ni ex *cap. 9.* Sed & hæc pœna colonis fugitivis decreta legitur, qvòd in servilem conditionem redacti & ferro ligati fuerint, ut officia, qvæ liberis congruunt, merito servilis condemnationis implere compellerentur, *l. 1. Cod. Theod. de fugitiv. col.* At redactio aut revocatio in servilem conditionem statûs libertatem præsupponit. Nec tamen liberi prorsus erant, sed à liberis discernebantur, *l. 16. l. ult. Cod. de agric.* & erant in domini sui potestate, *l. 11. C. eod.* qvi uti servum cum peculio manumittere, ita & adscriptitios cum terrâ dominio suo expellere poterat, *l. 21. C. eod.* Tandem & ipsi more servorum peculia sua habebant, *l. 8. l. 23. §. 2. C. eod.*

XIX. Erant igitur intermediæ cujusdam conditionis inter servos & liberos; qvod *conditionis* vocabulum in hâc materiâ singularem planè habuit significatum & usum, uti videre licet ex *l. 22. C. de agric.* ubi & conditionale instrumentum dicitur, qvod super negocio adscriptitiæ conditionis conficitur. Atqve hinc conditioni obligati dicuntur Leoni Papæ, *c. admittuntur. dist. 54.* qvæ colonaria conditio vocatur à patribus in concilio Arausicano I. congregatis *cap. 6.* apud Gratian. *can. eos. dist. 87.* & in Concilio Aurelianensi III. *canon. 20.* Intermediam istam conditionem in *l. un. C. de Colon. Thracens.* hunc in modum exponit Imperator Theodosius: *Licèt conditione videantur ingenui, servi tamen terræ ipsius, cui nati sunt, existimentur. nec recedendi, qvo velint, aut permutandi loca habeant facultatem, sed possessores eorum jure utantur, & patroni sollicitudine & domini potestate.* Nempe non tàm dominorum, qvàm fundorum erant servi, qvanqvam idem dominus adscriptitii & terræ dicitur, *l. pen. §. f. C. de agric.* eranrqve veluti membra terræ seu agri, *d. l. pen in pr.* neqve poterant ab his agris amoveri, *l. 15. C. eod.* Nec ergò poterant auferri ab eo prædio, cui semel deputati erant, neqve in vendendo fundo retineri, *l. 26. C. Theod. de annon. & trib. l. 3. C. Theod. de cens.* neqve ad alium transferri, *ibid.* Nec poterant ipsi recedere ad alienum prædium, seu ad aliam personam, *l. un. C. Theod. de inqvilin.* Et propterea glebis inhærere dicuntur, *l. 15. C. de agric.* & adscriptitii inde vocantur, *l. 21. C. eod.* & alibi passim. Et hæc causa est, qvod cùm Judæis non liceret habere in dominio Christianum mancipium, *l. un. Cod. ne Christian. mancip.* coloni tamen in possessionibus eorum

rum

rum permanere, & qvicqvid de colonis jura præcipiunt, peragere jubeantur, apud Gregor. *lib. 3. epist. 21.*

XX. Adscriptitii tamen aliqvando à colonis distingvuntur. Agricolarum alii, inqvit Anastasius Imperat. qvidem sunt adscriptitii, & eorum peculia dominis competunt; alii verò tempore annorum triginta coloni fiunt, liberi manentes cum rebus suis: & ii etiam coguntur terram colere & canonem præstare, *l. 18. C. de agric.* nec habeant ultimi hi, perinde ut nec illi, facultatem terrâ derelictâ in alium locum migrare *l. 23. §. 1. C. eod.* Nihil verò inferri inde poterit aliud, qvàm qvòd illi adstrictiùs, hi vero laxiùs habiti fuerint, & qvòd adeò in ipsorum conditione qvidam extiterint gradûs, qvod secus est in servis, in qvorum conditione nulla erat differentia, *§. fin. Inst. de jur. person.* Ipsos tamen etiam adscriptitios colonorum nomine venisse, certum est, siqvidem disertè coloni adscriptitii dicuntur in *l. 22. C. de agric.*

XXI. Et qvia inqvilini etiam aliqvando in hunc censum veniunt, qvos inter & colonos, qvantum ad originem pertinet vindicandam, indiscreta eademqve penè dicitur esse conditio, licèt sit discrimen in nomine, *l. 13. C. de agric.* & ipsi tamen à colonis & adscriptitiis distingvantur *in l. 6. C. eod.* occasionem inde sibi sumit JCtorum dissertissimus Jacobus Gothofredus *in paratitl. ad tit. C. Theod. de fugitiv. col. & ad l. un. eod. Cod. de antiq. & colon.* inqvirendi in rationem differentiæ, & origines eorum. Adscriptitiorum nomen adinventum, tributumqve putat illis, qvi in terrâ nati erant, qvorumqve peculia ad dominos pertinebant, uti describit Anastasius *in l. 18. C. de agric.* & originarii aliàs dicuntur: Accessisse deinceps colonorum speciem aliam, eorum, qvi terram tantùm colerent, eiqve adhærerent, & canonem tantùm præstarent; inqve his Colonorum nomen remansisse, ab his tertiam adhuc speciem ortam fuisse, non qvidem qvod conditionem spectat, sed ratione originis & nativitatis. Colonos enim ex barbaris nationibus dedititios fuisse, eosqve alienis fundis colendis operam suam addixisse, sub certâ censûs & capitationis lege. Inqvilinos verò ex civibus Romanis fuisse, qvi miseriis adacti, cùm fundum proprium non haberent, alienum colerent & incolerent, non jam ut liberi, sed ut servi operam præstantes. Et has differentias tùm ex Salviani Episcopi Massiliensis *lib. 5. de gubern. DEI*, tùm ex Apollinaris Sidonii *lib. 5. epist. 19.* enucleatè confirmat. Nobis, qvod addamus, nihil reliqvum est, præsertim in materiâ tàm obscurâ & obsoletâ, qvam ille ex primis suis principiis

magnâ cum industriâ atqve diligentiâ tradidit, & de qvâ perspicuè tradendâ pleriqve omnes olim desperârunt, qvibus visum fuit, perpetuam & constantem istorum hominum distinctionem nullibi reperiri, ne apud ipsos qvidem JCtos, uti scribit Jacobus Sirmondus ad Apollinar. Sidon. *l. 5. epist. 19.* Conf. Alvar. Valasc. *de jur. emphyt. qvæst. 37.* Franc. Connan. *comment. l. 2. c. 10.* Anton. Perez. *Cod. de agric. n. 1. 2. 3. seq.* Joseph Gibalin. *de usur. lib. 4. c. 2. art. 8.* Franc. de Amaya *ad l. 36. C. de decurion.*

XXII. Videamus nunc, qvid in Ecclesiâ obtinuerit. In eâ & servos, & colonos, & inqvilinos fuisse, antiqva nobis prodit historia. Nec fieri aliter poterat, qvin donato & tradito fundo & omni ejus dominio in Ecclesiam translato, donarentur simul & traderentur omnes illi homines, qvi fundo isti addicti & mancipati erant. Qvia enim coloni ita erant glebæ, cui se devoverant, veluti incorporati, ut ab ea etiam dominorum autoritate avelli non possent, uti dixi, inde fiebat, ut fundum seqverentur, & unà cum donatione aut permutatione fundi simul donarentur aut permutarentur. Et qvanqvam servorum conditio non prohiberet, qvò minùs à domino retineri, & aliis usibus atqve servitus adhiberi possent, cùm illi, perinde ut coloni, terræ affixi non essent; plerumqve tamen domini, si qvando prædium aliqvod Ecclesiæ donarent, ipsa etiam mancipia prædio illi destinata unà donabant, atqve sic ecclesiæ propria faciebant. Imò verò non poterat mansus in dotem Ecclesiæ constitui, nisi adjunctis simul certis mancipiis vel colonis. Atqve hinc mansus apsus, sive vestitus, sive colonica vestita, aut mansus integer, qvalem dari in dotem debere diximus suprà, non intelligebatur, nisi coloni simul aut servi additi fuissent.

XXIII. Plenæ sunt hâc de re chartæ antiqvæ, ex qvibus unum itemqve alterum hîc adscribemus exemplum. Et qvidem primò de servis. In chartâ Karoli Regis de cessione Bosonis Comitis anno DCCCLXXVII. conscriptâ apud Nicolaum Camuzat. *in antiq. Eccles. Tricasfinæ pag. 22.* hæc leguntur verba: „*Damus ibi duos mansos & dimidium in loco, qvi Leriacum dicitur, æterna firmitate largimur cum mancipiis, qvæ his annotantur vocabulis, Petrus, Eidricus, Ardearius, Flogerius, Ingrefridus, Torderi-cus, Josceius, Rosaus, Bethos cum eorum Uxoribus, filiis, & filiabus,*" &c. In traditionibus Fuldensibus *lib. 1.* Wilibaldus Episcopus Monasterio Fuldensi hanc facit donationem: *In*

"*In supradicto loco novem trado co-*"*lonias (hoc sunt Hobunnæ) integras* "*cum omnibus adjacentiis, & finibus* "*suis, in arialis, in terris ardurii, in* "*sylvis, in campis, in pratis, in pascuis,* "*aqvis, aqvarumve decursibus, ædifi-*"*ciis, molinariis, mancipiis cum omni* "*supellectili eorum* &c. Aliqvando servus unus cum suâ Hobâ traditus legitur, qvale exemplum extat apud Goldastum *antiq. Alamann. tom. 2. part. 1. n. 42.* his verbis conceptum: "*Dono vobis, donatumq; in perpetuum* "*ut permaneat esse volo -- -- qvic-*"*qvid in istas villas visus sum habe-*"*re, pecuniis, mancipiis, casis, casa-*"*lis, campis, pratis, silvis, aqvis a-*"*qvarumq; decursibus ad integrum* "*à die præsente trado vobis, & ser-*"*vum meum nomine Nhideng &* "*Uxorem ejus Bruna, & cum obâ suâ* "*& cum omnia, qvo vestiti sunt: & a-*"*lium servum meum nomine Wolfha-*"*rium cum Uxore sua Arane, cum ob â* "*suâ, & cum omnia, qvo vestitus est-* *&c.*

XXIV. Ut autem hoc fieret, & mansus, qvi dotem constituebat, non sine mancipiis traderetur, lege Ecclesiasticâ cautum erat. Sic enim a Patribus Concilii Valentini, qvod anno Domini DCCCLV. celebratum est *cap. 9.* decretum legitur: *Sed & ipsi seculares & fideles Laici, si condere voluerint basilicas in prædiis suis, sicut edictum piissimorũ Augustorum continet, unam colonicam vestitam cum tribus mancipiis donationis gratiâ eis conferant, moxqve Episcoporum juri & Sanctæ Matri Ecclesiæ eandem basilicam submittant. Aliter verò nos earum consecrationem sciant non impleturos. &c.* Provocant patres ad edictum Imperatorum, qvod extat *lib. 1. capitul. 91.* & per compendium refertur ab Aimoino *lib. 5. cap. 10.* Et certè debuit atqve oportuit istud fieri, qvandoqvidem nimis grave futurum fuisse Ecclesiis præsertim tenuioribus & earum Rectoribus, si de familia rustica ipsimet solliciti esse debuissent. Obiter noto, servos illos rusticos ab Longobardis massarios dictos fuisse, qvod manerent scil. in massa, h. e. villa. Vid. Lindenbrogg. *in Glossar.*

XXV. Alii servos tantùm suos, sine agro, Ecclesiæ donabant, cujus intererat sæpè, habere plures, qvorum operis uti posset. Tale instrumentum refert Martinus Crusius *annal. Svev. lib. 4. part. 3.* Wir Graffe Ulrich von Berge / genannt von Schälkelingen / und wir Graffe Henrich sein Sohn / verjehen an diesen Briefe / und thun kund allen den / die Ihn ansehen oder hören lesen / daß wir Guten Baldesheltzes seligen Tochter / Eberhards Sohnen Wirtine /

 und

und ihr Kind / und Nachkommen / erblichen haben ingegeben uffe unser Frauen Altar zu Lorch zum Kloster / ledeclich und frilich: und haben uns verziehen / und verzeihen uns an diesen Brieff aller ansprache / beyden Geistlicher und Weltlicher für uns und für unsere Nachkommen / die wir solten oder möchten haben / umb die vorgenante Gutun und umb ihre Nachkommen &c. anno 1313.

XXVI. De colonis Ecclesiæ non minùs illustria extant testimonia. In legibus Alamannorum *sub. tit. 9.* sancitur, ut qvicunqve liberum Ecclesiæ, qvem Colonum vocant, occiderit, sicut alii Alamanni ita componatur. & *sub tit. 23. n. 1.* cavetur, ut liberi Ecclesiastici, qvos colonos vocant, omnes, sicut & coloni Regis, ita reddant ad Ecclesiam. In donatione Haganonis ad S. Martinum Turonensem hæc leguntur „verba: *Fridegiso Abbati trado* „*mansum nostrum indominicatum*, „ -- -- *cum hominibus ibidem com*„*morantibus, qvos colonario ordine* „*vivere constituimus.* Et extat inter formulas veteres incerti autoris *sub num. 1.* notitia de colono evindicato, h. e. testimonium de negocio gesto inter Advocatum seu Defensorem Ecclesiæ, colonum fundi Ecclesiastici vindicantem, & ipsum colonum, qvi se prorsus liberum asseruerat, nec tamen die dictà ad sacramentum cum aliis præstandum comparuerat, atqve ita colonum se agnoverat.

XXVII. Illud obiter noto, etiam in alienos colonos Ecclesiam sæpè jus aliqvod exercuisse. Sic enim in Concilio Elibertino, qvod anno Christi CCCV. celebratum est, decretum refert Burchardus Episcopus Wormaciensis *lib. 11. Decret. c. 67.* & Ivo Carnutensis *p. 14. c. 115. Decrevit sancta Synodus, ut Episcopi ac ministri Episcoporum pro criminibus colonos flagellare cum virgis potestatem habeant, propter metum aliorum, ut ipsi criminosi corrigantur, & vel inviti pœnitentiam agant, ne æternaliter pereant. Si verò Seniores ipsorum colonorum indignè tulerint, & aliqvam vindictam exinde exercere voluerint, aut eosdem colonos, ne distringantur, defendere præsumpserint, sciant se excommunicationis Ecclesiasticæ sententia feriendos.* Decretum hoc inter canones ejus concilii non recensetur, sed tùm apud Severinum Binium, tum apud Franciscum Longum à Coriolano legitur in fragmentis superadditis. Et ejus constitutionis ratio videtur hæc esse, qvia longiùs qvandoqve absunt coloni a domicilio Seniorum suorum,

qvorum

qvorum proinde coercitio fera nimis, & impedita atqve langvida esse solet. Debet autem ipsa etiam castigatio Episcopalis eâ cum moderatione adhiberi, ne flagella in vindictam sangvinis transeant. *c. 4. X. de raptor.* Pœna enim ista non est propriè Ecclesiastica, sed ad spiritualem finem obtinendum qvasi in auxilium vocata. Joseph. Gibalin. *de sacrâ jurisd. disqvis. 1. qvæst. 1.*

XXVIII. Intuitu Ecclesiæ, propter operam addictam, præ servis etiam hoc præcipui habebant coloni alieni, qvòd servi ignorante Domino facti Clerici intra annum vindicari in pristinam servitutem potuerint; adscriptitii autem etiam præter voluntatem dominorum Clerici fieri non fuerint prohibiti, ita tamen, ut Clerici facti impositam sibi agriculturam adimplere cogerentur. *c. si servus. dist. 54.* cujus autor in inscriptione falsò jactatur fuisse Leo Imperator, uti rectè notat Carolus Molinæus *de monarch. Francor. n. 171.* cùm pleraqve ista verba desumpta sint ex Justiniani *novellâ 123. c. 17.* Et cùm novellarum Epitomatori Irnerio indignum visum fuisset, qvod Clerici agriculturam exercere debeant, in fine *authent. adscriptitios. C. de Episcop. & Cler.* hæc addidit verba: *surrogato aliqvo qvem maluerint,* potestatem scil. faciens Clericis talibus, ut per substitutum opus rusticum peragere possent. De qvo tamen dubitare adhuc licet, utrum id olim permissum fuerit, cùm in statu inverso ipsi domino talis subrogatio in locum veteris coloni fuerit prohibita, *l. 3. C. de mancip. & colon. patrim.* Id qvòd nunc aliis discutiendum relinqvo.

XXIX. Inqvilinos etiam ejus significationis, qvam supra exposui, in Ecclesiâ fuisse, & ad ejus familiam pertinuisse, dubium apud me nullum est. Etsi enim in antiqvis chartis tàm crebra eorum non fiat mentio, comprehensos tamen eos qvàm sæpissimè sub generali nomine colonorum aut censitorum fuisse, firmiter persvasum habeo. Apollinaris sanè Sidonius Arvernorum Episcopus suo jam tempore, vixit autem circa annum Christi CCCXL. originalem inqvilinatum, tributarium & colonariam personam promiscuè vocat. *Nutricis meæ filiam,* inqvit, *filius tuæ rapuit. facinus indignum, qvodqve nos qvoqve inimicasset, nisi protinus scissem, te nescisse faciendum. Sed conscientiæ tuæ purgatione prælatâ petere dignaris culpæ calentis impunitatem. Sub conditione concedo, si stupratorem pro domino jam patronus originali solvas inqvilinatu. Mulier autem illa jam libera est, qvæ tùm demum videbitur non ludibrio addicta, sed assumpta conjugio, si reus noster, pro qvo precaris, mox cliens factus è tributario plebejam potiùs*

tiùs incipiat habere personam, qvàm colonariam. &c. lib. 5. epist. 19. Ex qvo discimus, potuisse colonos à dominis originali colonatu solvi, eà scil. ratione, qvòd sicut servus cum peculio manumitti, ita adscriptitius cum terrà dominio expelli possit, *l. 21. C. de agric. & censit.* Expulsus autem plebejam incipiebat habere personam, uti loqvitur Sidonius.

XXX. Cæterùm, qvi ex servis & colonis nascebantur, familiam augebant, & conditionem parentum, inprimis verò matris, seqvebantur, qvod de servis patet ex *l. 5. §. 1. ff. de stat. hom.* de colonis ex *l. 16. l. 21. l. 22. l. 23. C. de agricol.* Hinc adeò, si duæ vicinæ essent Ecclesiæ, & homines utriusqve inter sese commiscerentur, contentiones sæpiusculè exortæ fuerunt, ad utram Ecclesiam pertineret id, qvod natum est. Inter antiqvitates Tricassinas, qvas edidit Nicolaus Camuzat. *fol. 303.* extat instrumentum transactionis super tali materià inter Ecclesias B. Petri, & B. Lupi confectæ, cujus, qvæ ad rem præsentem faciunt, hæc sunt verba: "*In qvacunq; villà homines S. Petri "hominibus S. Lupi per matrimoni-"um juncti fuerint, parvi nati de tali "matrimonio, inter prædictas Eccle-"sias ex æqvo dividentur. Excipi-"tur de hac partitione sola villa, qvæ "aureum villare vocatur, de qvà "sciendum est, qvod si Vir vel famina S. Lupi in eà matrimonium con-" traxerit, tota proles de tali ma-" trimonio intra villam nata S. Pe-" tro remanebit. Homo S. Lupi ve-" niens in eandem villam, qvamdiu," vivet, jus suum scilicet chevagium,"* (ita dicitur tributum, qvod servitutis nomine penditur à mancipio pro licentià vel contrahendarum nuptiarum vel commorandi extra dominium. H. Spelmann. *in Glossar.*) *S. Lupo reddere tenebitur, & si rece-" dere voluerit, liberè recedet, &" parvi nati extra villam partientur."* &c. Aliàs verò, nisi transactione lis composita fuisset, patris domicilium attendendum, eiqve liberos ex tali conjunctione natos relinqvendos fuisse, videtur decisum in *l. 13. C. de agric. & censit.* qvam in hanc rem adducit & ponderat Francisc. Connanus *d. l. 2. c. 10. n. 4.*

XXXI. Referebantur olim ad familiam Ecclesiasticam alii, qvi dicebantur Hospites, qvorum in antiqvis donationum instrumentis haud infreqvens est mentio. Sic enim legitur in chartà Philippi Francorum Regis de dono, qvod Simon Comes fecit, in bibliothecà Cluniacensi *pag. 527. Ad hæc concedo atqve red-" do totam piscationem cujusdam" villæ, qvæ Etluton vocatur, & to-" tam terram cum hospitibus, & tri-" ginta nummorum libras* &c. *Et," pag. 530.* in alio ejusdem Philippi Regis præcepto de Ecclesià Pitueris: *Conce-*

"*Concedo etiam prædictæ Ecclesiæ hospites omnes, qvicunq; inibi hospitari voluerint, nec non omnia, qvæcunqve nunc habet* &c. Et apud Aubertum Miræum *in donat. Belg. lib. 2. c. 25.* refertur Balduini V. Flandriæ Comitis circa Ecclesiam Winnocibergensem facta dispositio, in qvâ hæc ad nostrum institutum faciunt verba: "*Reliqvos tamen hospites S. Winnoci præsentes & futuros hospitibus meis in omnibus pares feci, ut sicut hospites mei respondent Burgensi Præposito & Scabinis & Rationatoribus, ita & hospites illi soli Abbati & hominibus & Scabinis ipsis respondeant. --- Unde & præfatus Abbas Rumoldus mihi & successoribus meis â singulis hospitibus istis sex denarios singulis annis in festivitate S. Martini dari constituit, ad esum scil. carnium, qvæ in villâ meâ Bergensi servitio meo præparantur: pro qvo censu Comes eos, tanqvam proprios hospites contra omnem inqvietudinem & molestiam debeat defendere. Qvod si inposterum infringeretur, & Comes subsidium non conferret, prædicti hospites à statuto censu liberi essent & absoluti. -- -- Si verò homines Abbatis contra ipsum Abbatem, vel ipse Abbas contra homines suos causam suscitavit, in ejus qvoq; monachorum capitulo terminabitur. Mortuo autem aliqvo hominum vel hospitum Abbatis heres illius feodum vel terram suam ab Abbate reqviret; Abbas autem usum fructuarium unius anni, soluto censu & debito pro relevatione habebit.*"

XXXII. Ut vocabuli hujus vim & significatum explicet Miræus, *in notis ad cap. 106.* hæc adjicit verba: *Hic & alibi non uno loco hospites sunt, qvos lingva nostra vernacula* Laten *vocamus. Sic Brugis nomen & privilegium Hospitum Ecclesiæ S. Donatiani hodieq; in usu est, ex qvibus alii Proostlaeten, alii Canoninxlaeten vernaculè vocantur. Sunt autem ii, qvi terras Præposito aut Canonicis subjectas incolunt, habentq; sua tribunalia destincta.* Utrum illi ex Lassis Saxonicis nomen & originem acceperint, non ausim asserere. Qvi ita in provinciis Saxonicis dicuntur, propriis hominibus ferè æqviparantur. Joh. Rudinger. *cent. 3. observ. 33.* Et hoc nomen ideò gerunt, qvia victi olim, cùm à Victore occidi potuissent, vel in remotiores terræ partes abduci, relicti sunt in provinciâ, ut sub certo censu agros colerent. Da die Sachsen die Döringischen Herren schlugen und vertrieben / liessen sie die Bauren sitzen ungeschlagen / und bestetigten Ihnen den Acker zu solchen Rechten / alß noch die Lassen haben. LandR. *l. 3. art. 44.*

XXXIII. Franciscus Connanus *d. lib.*

lib. 2. comment. cap. 10 n. 3. hospitum conditionem dum inqvirit, servis eos censitis comparat, hos autem dicit fuisse eos, qvi pretio & pecuniæ pensione aut parte fructuum certâ & constitutâ agrum colunt. *Censitis servis*, inqvit, *similes sunt ferè ii, qvos censuarios vocamus in Galliâ, qvi nostræ sunt ditionis, qvi in singula jugera ejus agri, qvem colunt, censum annuum nobis pendunt. Itaqve hospites olim appellabantur, qvasi dicas inqvilinos. Legimus enim nonnulla benè antiqva ejus rei monumenta, in qvibus dicebatur, dominum feudi tantum posse ab hospitibus suis exigere, illud & illud juris in eos habere, & ubiq; qvos subditos & censuarios dicimus hodiè, hospites appellantur. Multum tamen isti ab antiqvorum servis censitis differunt: sunt liberi, neq; præter annuum tributum domino suo qvicqvam debent aut obseqvii, aut operæ omninò ullius.*

XXXIV. Qvantum igitur colligo, hospites dicti fuérunt illi, qvi terras qvasdam sub certo censu ab Ecclesia accipiebant, nec servis tamen aut colonis similes erant, sed protectione tantum Ecclesiæ, qvamdiu censum istum solverunt, fruebantur. Atqve sic intercedebat mutuum qvoddam inter Ecclesiam & hospites vinculum, ut illa protectionem, hi censum deberent, qvorum alterutro deficiente ipsa tota extingvebatur obligatio. Et videtur ea qvodammodo similis fuisse obligationi feudali, nisi qvòd nulla de fidelitate facta fuerit repromissio. Post mortem enim hospitis heres renovationem investituræ aut contractûs petere tenebatur. Unde etiam feudalis iste, & hic contractus in diplomate Balduini V. supra memorato conjunguntur, in verbis: *Mortuo autem aliqvo hominum* (i. e. vasallorum, qvi ita sæpè in jure Feudali dicuntur. Vid. Cujac. *l. 8. observ. 14.* Franc Hottomann. *disp. feud. cap. 3. & de verb. feudal. vocab. Homo.*) *vel hospitum Abbatis, heres illius feodum vel terram suam ab Abbate reqviret.* &c. Terra nempe hospitibus, feodum hominibus sive vasallis hic tribuitur.

XXXV. Referri huc potest, nisi fallor, statutum Concilii Agathensis anno Christi DV. celebrati, *c. 7.* apud Gratian. *c. si qvos. 12. q. 2.* in qvo hospitioli fit mentio his verbis: *Si qvos de servis Ecclesiæ benè meritos sibi Episcopus libertate donaverit, collatam libertatem a successoribus placuit custodiri, cum hoc, qvod manumissor eis in libertatem contulerit, qvod tamen jubemus viginti solidorum numerum, & modum in terrula, vel vineola, vel hospitiolo tenere* &c. Hospitiolum videtur hîc ipsa illa terra dici, a cujus cultura qvis hospes appellatur. Et hæc de hospitibus.

XXXVI. Pergimus ad casatos Ecclesiæ, qvorum in antiqvis monumentis sæpiusculè fit mentio, diversimodè tamen, ut hinc in conditione eorum

eorum investigandâ valdè solliciti fuerint Spelmannus, Lindenbroggius, Juretus & alii. Eosdem & casarios dictos fuisse, notat Jacobus Gothofredus *ad l. 7. C. Theod. de bon. proscript.* ubi ex verbis textûs colligit, servos eos non fuisse, sed adhuc digniore loco habitos, qvàm colonos; & sibi videri eos singulis casis admi nistrandis colendis præpositos fuisse, in cujusmodi casas plures majores fundos divisos refert. Donatos enimverò casatos Ecclesiis perinde fuisse atqve colonos aut servos, antiqvum Albuini Clerici comprobat instrumentum apud Goldastum *sub num. 3.* qvod tale est: *Ego Cotauuina ancilla Dei dono atq; trado ad monasterium S. Galloni, ubi ejus sacrus reqviescit corpus: & hoc est, qvod trado, qvod ego in Lutinach visura sum habere, & in alio loco, qvi dicitur Bessindorff, & in locis, campis, silvis, & omnia, qvæ inibi visura sum habere, & casatos tres his nominibus, Ragingerini cum infantes suos his nominibq, Righero, Wantilone, Waltricho & Uxore suâ fastratâ, & filio eorum Wolfrido, & servo ejus Isamberto & alio servo, nomine Woto, & Haccone, qvi est in concambio cum Wichardo redimere si vult, det alind mancipium XI. manuum longum.* &c. Et apud eundem Goldastum *sub n. 39.* Beata, filia "Rachiberti, donat inter alia *in villâ, qvæ dicitur Centoprato, casatos duos cum omnibus adjacentiis vel adpendititiis eorum.* Illicò tamen addit: *sed unum infantem inde ingenuum laxavimus, reliqvi verò, sicut, superiùs diximus, ita sint,* &c. Videtur excepisse infantem ex casato genitum, eiqve hoc beneficium dedisse, ut plenâ ingenuitate frueretur, cum casati qvidem ingenui & liberi essent, sed in eâ tamen conditione viverent, ut donari & transferri in alios perinde ut coloni cum prædio rustico possent.

XXXVII. Sed reperiuntur tamen casatorum descriptiones haud rarò tales, qvæ illis, qvos vidimus hactenus, applicari non omninò possunt. Inter Karoli Magni capitula *l. 3. cap. 73. De vassis dominicis, qvi adhuc intra casam serviunt, & tamen beneficia habere noscuntur, statutum est, ut qvicunq; ex eis cum domno Imperatore domi remanserit, vasallos suos casatos secum non retineat, sed cum comite, cujus pagenses sunt, ire permittat.* Et ex Chronico Andegavensi in glossario, qvod Karoli capitulis addidit Petrus Pithœus, hæc referuntur verba: *Terenllum Uxore ei traditâ adæqvando beneficio Nandonensi castro & aliqvibus terris tàm in pago Gastinensi, qvàm in aliis locis per Franciam, casatum fecit.*

XXXVIII. Nec verò Imperio tantùm aut Regno tales erant casati, sed ipsi etiam Ecclesiæ. Discimus id ex Ivonis *epist. 28.* qvi cùm Carnotensis esset Episcopus, & cum casatis Ecclesiæ vocatus fuisset ad placitum Regis, ut

ut præstò essent, hunc in modum eos excusatos reddit: *Praterea casati Ecclesiæ & reliqvi milites penè omnes vel absunt, vel pace violata excommunicati sunt, qvos sine satisfactione reconciliare non valeo, & excommunicatos in hostem mittere non debeo.* Et in chronico Cameracensi *l.3.c.63.* legitur, qvomodo *sepulto Gerardo Pontifice Henricum Regem Lotharienfium adierint Dominus Præpositus & Archi-Diacong aliiq; ArchiDiaconi cum casatis Cameracensis Ecclesiæ reportantes baculum Pontificalem.* Similiter Fulbertus Episcopus Carnotensis ArchiEpiscopo suo Leutherico *epist.23.* hæc verba rescribit: *Deinde verò qvod Arnulphum Casatum Ecclesiæ nostræ tibi tuisq; scripsisti injurium, ægrè contra illum & accepi & fero. Unde mox ad villam Alogiam, ubi tunc esse dicebatur, misi legatum meum, sed in alias partes abierat. Uxor tamen ejus mihi remandavit, qvod ubi redierit, statim ad me veniet. Qvod si veniens tibi satisfacere voluerit, per meas literas scies. Alioqvin ultra terminum, qvi à te præfixus est, in nostrâ communione non erit.*

XXXIX. Non arbitror, convenire tàm civiles satisfactionis exactiones casato tali, qvi colono si non par omninò, saltem non multo superior fuit, qvandoqvidem coloni verberibus modicè castigari poterant, uti patet ex *l. fin. C. de agric. l.52. l.54. Cod. Theodos. de hæret.* Et ergò majorem omninò aliqvorum casatorum oportet fuisse dignitatem, qvàm vulgarem illam, qvæ ad colonariam qvàm proximè accessit. Et omninò ita est, uti optimè distingvit Nicolaus le Maistre *de bon. Eccles. lib. 3. c. 5.* fuisse duo casatorum genera, vasallorum alterum, alterum servorum, non qvòd servi revera essent hi ultimi, sed qvòd cum servis, perinde ut coloni, in qvamplurimis convenirent. Unde & *servi casati* qvandoqve dicebantur. Fuldens. *lib. 2. tradit. 40. unum servum casatum, qvem cum omni domo suâ extra traditionem omittimus.* cum alteri illi, *Vasalli casati*, dicerentur, uti patet ex supra adducto Karoli *c. 73. lib. 3.*

XL. Vasalli igitur casati feuda tenebant, & feudatario jure censebantur. Videnturqve ita dicti fuisse, qvod ad casam Domini comparere tenerentur. Casa enim non tugurium tantùm significabat, sed omne ædificium, etiam palatium & Regiam, uti patet ex legibus Longobard. *l. 2. tit. 17.* ubi constituitur de Gastaldio, *qvi post susceptas & commissas sibi ad gubernandum curtes aut casas Regis, donationem acceperit.* Ipsa etiam feuda qvandoqve casamenta dicebantur, & casamenta Ecclesiæ, prædia illa, qvæ feudi nomine ab Ecclesiâ accepta erant. Petr. de Marca *de primatib. num. 121.* Qvò pertinet admonitio Bernhardi *epist. 39. Nostrum qvoqve ac vestrum pariter Episcopum, i. e. Lingonensem, abundantiori, ut decet, honore suscipiatis, & de casamento qvod tenetis, reverenter ei & humiliter offeratis.* Ex qvo intelligi potest

test obligatio, qvæ casatos Ecclesiæ in militiam ire cogebat, cujus rei mentionem facit Ivo Carnotensis *d. epist. 28.* & Fulbertus *epist: 43.*

XLI. Non dubito, casatorum nomen in hisce provinciis continuatum & propagatum fuisse ad rusticos illos, qvi hodiè die Cossäten vocantur, qvales in singulis pagis inveniuntur qvamplurimi. Alibi dicuntur die Gärtner. Et sunt pauperiores illi, qvi non habent integrum mansum vel hobam, sed tuguriola saltem & hortos possident. Cumqve reliqvi rustici, qvi tantum agrorum possident, ut eqvos vel boves jugatorios alere possint, jumentis istis suis inservire Nobilibus teneantur, pauperiores illi (die Cossäten) operas duntaxat præstant manuarias. Et istiusmodi casatas, sive prædia (Cossaten-Güter) etiam nostri temporis Ecclesiæ qvandoqve possident. Qvale exemplum habetur in Matriculà Consistorii Ecclesiastici Wittebergensis de anno 1555. sub pago Klöden/ ubi hæc leguntur verba:

Vier Groschen / zwey Hüner unn der Hand-oder Fuß-Dienst nach Ziemligkeit bekömmt die Kirch von des GOttes Hauß Cossaten-Hoff / welchen ietzt Valtin Wentzel besitzt.

XLII. Habuit verò Ecclesia insuper etiam suos libertos, eosqve ex manumissione vel propriâ, vel alienâ. Sæpè enim accipiebat Ecclesia libertos, qvos non habuit servos, qvandoqvidem Laici sæpenumerò servos suos in favorem Ecclesiarum manumittere solebant, atqve tùm earum patrocinio committebant, certis plerumqve sub conditionibus, qvibus clientelam & obseqvia describebant. Vid. Nic. le Maistre de *bon. Eccles. l. 3. c. 5.* Qvò pertinet lex Wisigothorum *lib. 5. tit. 7. n. 18.* *Qvoslibet de qvorumcunqve libertis aut specialiter de Ecclesiasticis dignitas sublimavit honoris, aut præfixis sanctorum locis deputavit vel ordo religionis, vel ordinatio manumittentis, non erunt ad hominum patrocinium reducendi contentione qvâlibet heredis.* Atq; tales liberti sub specialiori erant tutelâ Ecclesiæ, qvàm isti, qvi in Ecclesiâ manumissi erant, & chartularii dicebantur, qvi omnes sub ejusdem Ecclesiæ tuitione consistebant. Sic enim constitutum legitur in legib. Ripuar. *sub tit. 58.* *Hoc etiam jubemus, ut qvaliscunqve Francus, Ripuarius, seu tabularius servum suum pro animæ suæ remedio, seu pro pretio secundùm Legem Romanam libertare voluerit, ut in Ecclesiâ coram presbyteris, diaconibus seu cuncto clero & plebe in manu Episcopi servum cum tabulis tradat, & Episcopus Archidiaconum jubeat, ut ei tabulas secundùm legem Romanam, qva Ecclesia vivit, scribere faciat, & tàm ipse qvàm omnis procreatio ejus liberi permaneant, & sub tuitione Ec-*

clesiæ consistant, vel omnem reditum status aut servitium tabularii eorum Ecclesiæ reddant &c. Add Hieron. Bignon. ad Marculfi form. *lib. 2. cap. 32.*

XLIII. Dum nobis ad alia properandum est, meritò abstinemus à prolixiore tractatu de manumissionum modis & ritibus, deqve diversis speciebus libertorum. Possunt ea de re videri, qvæ plenâ manu suggerunt antiqvitatum indagatores, Cujacius, Turnebus, Rævardus, Canterus, Rosinus, Founerius, & plurimi alii, inprimis verò de manumissionibus, qvæ fiunt in Ecclesiâ, Jacobus Gothofredus *ad Cod. Theodos. de manumiss. in Eccles.* Sine dubio autem ex manumissione tali, qvæ in Ecclesiâ fiebat, multa & magna in ipsam Ecclesiam redundavit utilitas. Atqve hujus intuitu Africanæ Ecclesiæ Patres eandem sibi ad imitationem Ecclesiæ Latinæ ab Imperatore petendam licentiam decreverunt, *in Cod. Canon. Eccl. African. num. 64. De manumissionibus sanè in Ecclesiâ dicendis, si id nostri consacerdotes per Italiam facere reperiuntur, nostra etiam erit fiduciæ istorum ordinem seqvi, datâ planè licentiâ misso legato, ut qvæcunqve digna fide pro statu Ecclesiæ & salute animarum agere potuerit, nos laudabiliter in conspectu domini accepturos &c.* Et brevius *sub num. 82. Item placuit, ut de manumissionibus in Ecclesiâ celebrandis ab Imperatore petatur.*

XLIV. Qvanqvam verò plurima subinde de servis Ecclesiæ, qvatenus manumittere eos liceat, deqve libertis inde factis, inter sacros canones constituta reperiantur, nullibi tamen copiosior de illis occurrit disqvisitio, qvàm in Concilio Toletano IV. *can. 67. seqq.* Et Episcopi qvidem autoritatem intercedere debuisse, dubium non est; sed is ipse tamen pro lubitu manumittere non poterat, nisi ex propriis bonis Ecclesiæ satisfecerit, &c, si omnimodam libertatem nullo retento patrocinio dare voluit, alios duos ejusdem bonitatis & peculii servos Ecclesiæ dederit. Retento autem patrocinio, declinare illud & exemptum se facere liberto nullatenus licebat. Imò ne periret patrocinii hujus memoria, jubebatur & ipse & universa ejus progenies, qvoties novus succederet Episcopus, professionem originis suæ facere. Sic enim se habet capitulum 9. Concilii Toletani VI. allegatum Gratiano *c. longinqvitate. 12. q. 2. Longinqvitate sæpè fit temporis, ut non pateat conditio originis. unde jam decretum est in anteriori universalis concilii canone, ut professionem suam liberti Ecclesiæ debeant facere, qvâ profiteantur se & de familiâ Ecclesiæ esse, & ejus obseqvium nunqvam relicturos. Unde his qvoq; nos adjicimus, ut qvotiens cursum vitæ sacerdos impleverit, & de hâc vitâ migraverit: mox cùm successor ejus advenerit, omnes liberti Eccle-*

Ecclesiæ vel eis progeniti chartulas suas in conspectu omnium debeant ipsi, qvi substituitur, pontifici publicare & professionem in conspectu Ecclesiæ renovare, qvatenus status sui vigorem & illi obtineant, & obedientia eorum Ecclesia non careat. Si autem scripturas libertatis suæ intra annum ordinationis novi sui Pontificis manifestare contempserint, aut professiones renovare noluerint: vacuæ & inanes chartulæ ipsæ remaneant, & illi origini suæ redditi sint perpetuo servi.

XLV. Sed cùm deinceps in praxi rigidum hoc nimis videretur, & ipsi Episcopi canone adducto sæpè abuterentur, anno Christi DCXCI. in Concilio Cæsaraugustano III. *c. 4.* temperamentum aliqvod excogitatum, & ipse Episcopus ut de recidiva servitute libertos admoneret, & scripturas ipse exposceret, monitus fuit. *Qvia ergò comperimus, qvosdam Pontifices potiùs lucra sua ampliare studentes, qvàm de mercedis opere Domino placentur, liberos, qvos ex familiâ Ecclesiæ, à suis prædecessoribus inveniunt, pro eo, qvod libertatis suæ chartulas infra consultum tempus non repræsentent, statim eos in propriã servitutem redigere. Unde hoc pietatis studio generali modo subrogamus beneficium: ut si iidem liberti forsitan ignoraverint ordinem canonum; aut certè (ut adsolet fieri) ad præsentandas libertates suas tepuerint, ipsius Pontificis sollicitudo, mox in sedem sibi creditam successerit, per clerum aut domesticos, perqvirere procurabit, qvos docentes Episcopi de familiis Ecclesiæ manumissionis gratulaverunt: ut eosdem Pontifice præmonente ipsi liberi chartulas suæ libertatis repræsentent: qvaliter nec libertati Ecclesiæ de institutione canonum ignorantes se esse prohibeant, nec sacerdotis callida voluntas patescat, unde contra ordinem reducantur manumissi ad originem servitutis. Qvos, si Pontifice præmonente, contempserint infra anni spacium suas libertates propriæ sedis Episcopo pandere, licitum sit ei, secundùm canonum sanctiones in jure Ecclesiæ suæ reducere.*

§. 1. Illud insuper non omittendum duxi, longè aliam fuisse conditionem libertorum, qvi ad sacros ordines promovebantur; atqve eorum, qvi nulla tali qvalitate præditi erant. Juris patronatûs, qvod ex manumissione resultabat, partes vel in obseqviis libertorum consistebant, vel in operis eorundem, vel in eorum bonis. Nihil horum reliqvum fuisse videtur manumittenti, si manumissus sacris ordinibus initiaretur, nec ergò jus patronatûs hoc casu locum invenire potuit. Qvò pertinet, qvòd ex legibus Wisigothorum adduxi, suprà *num. 42.* Perspicuè magis id traditur in Concilio Toletano IV. *can. 73.* apud Gratianum *c. qvicunq. dist. 54.* his verbis: *Qvicunq; libertatem*

tem à dominis suis ita recipiunt, ut sibi in eis nullum obseqvium patronus retentet, si isti sine crimine sunt, ad Clericatûs ordinem liberi suscipiantur: qvia directa manumissione absoluti noscuntur. Qvi verò retento obseqvio manumissi sunt: pro eo qvod adhuc patroni servitute tenentur obnoxii, nullatenus sunt ad Clericatûs ordinem promovendi: ne qvando voluerint eorum domini, fiant ex Clericis servi. Directam manumissionem vocant Patres Toletani, qvæ plena est, & ab omni jure patronatûs libera, ut nec operæ debeantur, & nec obseqvia qvidem.

§. 2. Talis manumissionis exemplum, qvo Abbatissa Engeltrudis Sigimarum qvendam sacris ordinibus initiandum manumisit, ex Goldasti recensione exhibet Martinus Magerus *de advocat. arm. cap. 11. n. 12.* his verbis conceptis: *Autoritas Ecclesiastica patenter ammonet, insuper & potestas regia Canonicæ religioni adsensum præbet, ut qvemcunq; ad sacros ordines ex familiâ propriâ promovere Ecclesia qvæq; elegerit, in præsentiâ Sacerdotum Canonicorum simul, & nobilium Laicorum, & ejus, cui subjectus est manumissione sub libertatis testamento solenniter roboretur. Idcircò ego in DEI nomine ENGILTRUDA qvondam meum famulum, nomine SIGIMARUM, sacris ordinibus dignum, in præsentiâ nobilium Virorum, liberum ab omni vinculo servitutis dimitto, cui Romanæ per hoc autoritatis testamentum statuo, ita ut ab hodierno die & tempore benè ingenuus atq; securus permaneat, tanqvam si ab origine fuisset parentibus liberis procreatus, vel natus, eandem pergat partem, qvamcunq; volens Canonicè elegerit, habensq; portas apertas, ita ut deinceps nec mihi, nec successoribus meis ullum debeat noxiæ conditionis servitium, neq; aliqvod libertatis obseqvium, sed omnibus diebus vitæ suæ sub certa ingenuitate, sicuti alii cives Romani, per hunc manumissionis aut ingenuitatis titulum benè semper ingenuus atq; securus existat, suumq; peculiare, qvod habet, aut qvod adhuc acqviri poterit, faciat inde secundum canonicam libertatem, qvicqvid voluerit, &c.*

§. 3. Inter veteres formulas, qvæ communiter Marculfi formulis adjiciuntur, alia similis in eundem sensum concepta legitur, *sub n. 8. Igitur ego ille -- -- te fratrem nostrum, qvem servilis conditio hactenus addictum tenuit, inter hujus Ecclesiæ familiam, qvia fratrum testimonio, inter qvos enutritus es, dignus ad sacerdotalem honorem suscipiendũ prædicaris, censeo te atq; statuo, ante sacri altaris cornu, in conspectu Sacerdotum, & Cleri & populi adstantis, à præsenti die & deinceps ab omni jugo servitutis humanæ absolutum fore, civemq; Romanum appellari. Ita ut nulli hominum pro servili conditione, qvicqvam debeas servitii nec obseqvii, nec etiam liber-*

libertinitatis munus impendere, non mibi, nec successoribus aut actoribus, qvicunq; præfuerint huic Ecclesiæ, non judiciaria præditis potestate &c. Videri ibi potest Hieronymus Bignonius.

XLVI. Vidimus hactenus summa qvasi familiæ Rusticæ ad Ecclesiam pertinentis genera, nec dubium tamen mihi est, fuisse præter illa, qvæ recensuimus, adhuc plura, maximâ tamen ex parte hodiè incognita. Atqve illi omnes, uti non uno sub schemate continebantur, ita nec uno modo Ecclesiæ comparabantur, sed vel ex dotatione, vel ex donatione, vel ex testamento, vel alio qvovis contractu emptionis, permutationis &c. familiæ Ecclesiasticæ accedebant. Singulare acqvisitionis genus refertur in Duplomate Hugonis III. Ducis Burgundiæ apud Aubert. Miræ. *in donat. Belg. lib. 1. cap. 70.* qvod, qvale fuerit, fateor, me non satis asseqvi. " *Qvoniam autem*, inqvit ibi fundator, *Ecclesia ista specialiter mea est, & præcipuum tribulationis meæ refugium, & oblatio votiva Deo liberatori meo, concessi ei plus qvam cæteris: ut videlicet Clerici & deservientes liberum habeant attractum in villâ Divionensi, eodem modo, qvo ego habeo, id est, libertatem retinendi homines eandem, qvam ego habeo, in villâ Divionensi.* Nisi ego totus fallor, aliqva hîc mihi indicari videtur species Wildfangiatûs, qvalis in Palatinatu usitata est, ut scil. hominibus aliunde advenientibus, & per aliqvod temporis spacium in Ecclesiæ districtu subsistentibus, discedere non liceret ampliùs, sed illi Ecclesiæ qvasi proprii fierent. Id qvod tamen aliis uberiùs discutiendum, & ex seculi illius, qvod duodecimum fuit, historiâ eruendum relinqvo.

XLVII. Cæterùm solebant qvandoqve patres aut matresfamilias cum omni suâ familiâ Ecclesiæ semet addicere atqve devovere, inqve ejus memoriam atqve recognitionem, certum canonem, eumq; exiguum sæpè, qvotannis solvendum constituere. Illustre ejus rei testimonium extat apud Aubertum Miræum *in donat. Belg. l. 1. c. 18.* his verbis: *Ego Gisla, cùm secundùm mundanæ dignitatis gloriam, liberis orta parentibus, in Gandavo, satis forem ingenua, in sanctorum Patrum exhortationibus animadvertens, humilitatem inter cæteras florere virtutes, concupivi animo, in sanctorum servitio, carne, & spiritu humiliari, qvorum patrocinio & interventu DEI misericordiam asseqverer. Hâc ergò præmunita intentione, me cum meâ totâ sobole, tradidi per liberam manum, beatæ Gertrudi in ancillam, ut suo, acceptos nos dignaretur famulatu, in remissionem peccatorum. Tradidi autem me, sub hâc lege indissolubili, ut tàm ipsa, qvàm tota proge-* "

"*nies mea & posteritas XVI. Kal A-* "*prilis, singulis annis, pro capitali* "*censu, ad capitale virginis altare,* "*unum denarium persolveremus, pro* "*mortuá manu tantundem* &c. Qvi hunc in modum Ecclesiæ se addicunt, non aliâ fini id facere videntur, nisi ut jurisdictione seculari eximantur, & foro privilegiato, Episcopali scil. uti qveant. Denarius enim ille, qvi qvotannis solvi debet, oppido exiguum est emolumentum, qvod ex tali Clientelâ percipit Ecclesia. Potiore loco habendum est illud, qvod ita fimbrias jurisdictionis suæ dilatare qveat. Et ita aliqvando in Galliâ obtinuit, anteqvam Petrus Cunerius Orator Regius sub Philippo Valesio jurisdictionem secularem ab iniqvis invasionibus vindicaret, ut pueri ferè omnes per orbiculum rasi verticis (tonsuram vocant) à tenerâ ætate jurisdictioni Ecclesiasticæ manciparentur, utve hâc ratione judiciis secularibus eximerentur. Qvâ de re videri potest Anton. Mornacius *ad l. 8. C. de Episc. aud.* Conf. And Rivet. *in Jesuit. vapul. cap. 27.*

§. 1. Addam ejus rei exemplum aliud, sed obscurius, & idiotismo magis barbaro, qvod refert Wilhelmus Heda *in histor. Episc. Traject.* sub Bernulpho his verbis: *Qvi se ad* "*tempus humiliaverit in hujus seculi* "*areâ, exaltabitur salvâ mercede in-* "*fra cœlestia palatia. Qvapropter ego Berta cùm sim nobilis & ingenua suggestione & exhortatione domini gloriosi Episcopi Bennonis in accipiendo satis valentem Clericum, nomine Geronem, legitimè ductum, cum omni hereditate patrimonii & matrimonii sui, nullâ necessitate coacta, humilio & dono caput meum liberè ad altare S. Martini in novo monasterio de Utrecht, eo tenore, lege, & conditione, ut ego & omnis parentela mea ex me profectura persolvamus singulis annis pro censu duos denarios sponte nostrâ; sic tamen, ut me vivente nemo filiorum aut filiarum mearum solvat. Me autem viam universæ carnis ingressa, senior, qvi est majoris ætatis filiorum aut filiarum onus solvat, cæterorumq; autem nemo. Et sic eâ lege utantur in ævum stabili lege, & sic liberi maneamus secundùm libitum, ab omni servitutis nota. Mundibordem verò vel defensorem alibi non inqviramus, nisi ad supradicti sancti altare, ad defendendum scil. non ad inclinandum, ut ab omni servitio permaneamus liberi atqve illæsi stabili lege. Iterum ne omnimodis sine respectu videatur sancta DEI Ecclesia pro licentiâ nubendi infra sive extra, concedere potestatem, dentur sex denarii, nullum placitum servare, exactorem census nostri nullum, nisi qvem ipsi ex cognatione nostrâ elegerimus, post obitum cujusq; dentur*

"*tur XII. denarii lege continuâ, & si* "*non suppetit facultas habendi, den*-"*tur vel sex, si fieri potest.* &c.

XLVIII. Sed nolo in hisce talibus commemorandis diutiùs immorari. Potius est, ut qvid in nostris Ecclesiis & in hisce provinciis obtineat, breviter nunc videamus. Et tàm ampla qvidem nullibi extat familia Ecclesiæ, qvanta adhuc inter pontificios in plerisqve locis conspicitur, qvod qvidem Episcopales Ecclesias & monasteria attinet. Parochialium enim Ecclesiarum earumqve disciplinæ vix umbram aliqvam superesse fatetur & dolet Nicolaus le Maistre *de bon. Eccles. lib. 2. c. 9.* Nec verò vel necessaria est vel proficua tanta hominum vel clientulorum copia, qvippe qvæ oneri sæpè esse solet, & tranqvillitati Ecclesiasticæ planè adversa. Fecit enim ea cleri benignior fortuna, ut seqverentur, qvæ res secundas comitari plerumqve solent, luxus, ambitio, & divini muneris negligentia, de qvibus qverelæ deinceps in Ecclesiâ fuerunt assiduæ. Ut taceam jam, seculari & potestati & autoritati tantò plus decedere, qvantò majorem ambitum sibi fecerit jurisdictio Ecclesiastica, id qvod tamen Reipublicæ, Ecclesiam intra pomœria sua continenti & foventi, exitiosum prorsus est & infestum.

XLIX. Suprà dixi, bona temporalia, & immobilia inprimis, Ecclesiæ ideò dari oportere, ut habeant ministri ejus, unde cum familiâ suâ honestè & cum qvâdam autoritate vivere qveant, & unde ipsi etiam Ecclesiæ ea, qvæ ad cultum divinum necessaria sunt, comparari possint. Adjeci, legibus antiqvis constitutum fuisse, ut unus mansus integer, sive colonica vestita, in dotem daretur. Id ipsum in plurimis apud nos parochiis, præsertim illis, qvæ suburbicariæ & rurestres sunt, observare adhuc licet. Qvò pertinent verba Ordinationis Ecclesiasticæ, qvam Serenissimus Saxoniæ Elector in terris suis promulgavit *sub tit.* General Artikel *n. 20.* **In Dörffern aber/ weil ihr Unterhalt gemeiniglich auf dem Ackerbau und andern accidentalien gesetzt/ sollen sich die eingepfarrten in selbē gegen ihren Pfarrern und Kirchendienern verhalten/ wie hernach unterschiedlich gesetzt ist.** Et alia consimilia, qvæ habentur sub *num. 30.* **damit was einmahl zur Pfarr und Gottesdienst ergeben und verordnet/ auch darbey bleibe/ und solcher Gestalt die Kirchendiener ihren gebührenden Unterhalt haben mögen.** Loqvitur autem ibi de agris & aliis bonis parochialibus, von den Pfarrgütern/ oder Pfarrackern/ qvæ nomina in Consistoriis Ecclesiasticis trita & qvotidiana sunt. Aliqvando dicuntur

Pfarr- oder Kirchen-Hufen/Pfarr- oder Kirchen-Lehn/aliqvando ex singulari qvalitate extrinsecùs adveniente Laßgüter; qvà de re posteà.

L. Pari modo usibus sacris & ceremoniis expediendis destinata qvandoqve bona immobilia fuisse invenio. In Matriculâ Consistorii Wittebergensis de anno 1555 sub rubr. Brena/ hæc leguntur verba: **Es sind auch drey Hufen der Pfarr-Kirchen gehörende von den Nonnen ins Closter gezogen/nachdem sie die Besoldung der Kirchendiener/und Verlegung alles dessen/so zum Gottesdienst von nöthen gewesen ist/ zu sich genommen haben/ welche genennet sind worden die Saltzhufen / Weinhufen/ Lampenhufen / welche von frommen Leuten derhalbē zur Pfarr-Kirchen gegeben seyn worden/ daß von derselben Hufen Zinsen Saltz/Wein uñ Oel möchte erkaufft werden.** Salis & olei in Ecclesiâ Pontificiâ multum semper fuisse usum, nemo est, qvi ignorat.

LI. Inter talia prædia rustica eandem ex acqvisitionis titulo esse differentiam, qvalem jam olim in veteri Ecclesiâ fuisse suprà exposui, dubium apud me nullum est. Dum enim dotem alia constituunt, alia augmentum faciunt, non ex necessitate, qvæ dotem exigit, sed ex merâ hominum liberalitate proveniens, facile inde colligere licet, potiori jure censenda esse illa priora, qvam hæc posteriora, & difficiliùs illa, faciliùs hæc alienari posse. Id unicum desidero, qvòd titulus iste, qvò prædia talia ad Ecclesiam pervenerunt, plerumqve hodie incertus sit, neqve adeò qvisqvam differentiam, qvam dixi, in applicatione ad singularia exponere dilucide qveat. Neqve id mirum videri cuiqvam debet, eò, qvòd propter invasiones hostiles toties repetitas, & tot cruenta bella, qvæ nostras hasce provincias afflixerunt, maxima pars instrumentorum publicorum perierit, ut plerarumqve Ecclesiarum origo prorsus ignoretur, &, nisi per manûs qvasi tradita fuisset, ipsa etiam juris patronatûs ratio et memoria penitùs extincta jaceret. Atqve ea res patrimonium Ecclesiæ ejusqve dotem valde extenuavit sæpenumerò, ut hodie in qvamplurimis locis vix alimenta habeant ministri & pastores, & angustam inter bubulcitantes rusticos pauperiem patiantur.

LII. Insecutum verò etiam hoc est incommodum, qvòd inter eos hodie, qvi agros Ecclesiæ colunt, vix appareant ampliùs, imò qvandoqve prorsus non appareant, qvi olim servitiis istis destinati à fundatoribus fue-

fuerint, qviqve adeò dotis Ecclesiasticæ partem faciant. Suprà dixi, cum agro aut manso Ecclesiastico simul mancipia aut colonos traditos Ecclesiæ fuisse. Illi sine dubio partem dotis Ecclesiasticæ constituerunt. Et illi tamen hodiè oppidò rari, imò penè nulli sunt. Est enimverò dotalium nomen (ita sc. vocantur, qvi agris Ecclesiæ colendis destinati sunt) etiamnum in usu, sed confusaneo ferè & promiscuo, ita ut applicetur qvandoqve etiam illis, sed abusivè admodùm, qvi qvovis titulo Ecclesiastica prædia possident, aut levissimum aliqvod & exiguum servitium parocho præstant, aut censum tantùm aliqvem, satis tenuem sæpè, & parcâ manu solvunt. Et isti tamen omnes, ut maximè Ecclesiæ protectione fruerentur, dotales olim propriè non erant. Ut taceam, necqvicqvam constare hodiè de differentiâ, qvæ olim inter verè dotales, & eos, qvi Ecclesiæ alio qvocunqve titulo deputati erant, intercedebat. Idqve unicè propterea, qvòd instrumenta nunc deficiant, qvibus fundationis istiusmodi consignatæ fuerunt.

LIII. Ut verò, qvid nunc obtineat, in tantâ obscuritate, qvantum fieri potest, exactiùs constet, observandum est, non unam hodiè inter ministros Ecclesiæ freqventari rationem & modum utendi agris Ecclesiasticis. Nonnulli enim suos adhuc habent dotales operis istis addictos, & qvasi mancipatos. Atqve illi præter operam & diligentiam in culturâ nihil omninò præstant, & fide dominicâ colunt, uti loqvitur JCtus *l. 18. §. 4. ff. de instruct. vel instr. leg.* hoc est, lucrum omne vel damnum hinc veniens redit ad pastorem Ecclesiæ, ipse operarius nullam in partem vocatur. Et de his agit Ordinatio Eccles. Saxon. *sub tit.* General-Artikel *num. 27.* **Dieweil an etlichen Orten von den löblichen Vorfahren/alten Herrschafften und Collatoren/ zu den Pfarren/ Dotales, das ist/ Dienst od Frohnleute verordnet/ auf daß die Pfarrer Leute zu Diensten haben/und ihre Güter desto geruhiger und besser bestellen können/ sollen durch iedes Orts Obrigkeit/ und Visitatores die Leute vermahnet werden/ solche Dienste willich und gerne ihren getreuen Seelsorgern zu leisten.** Tale exemplum habetur in Matriculâ Consistorii Wittebergensis de anno 1555. & refertur his verbis: **Zu Wercken sind zwey Bauren/so der Probstey zu Schlieben mit Dienst und andern zugethan seynd/ nehmlich Hanß Apitz und Jacob Buschman/ die müssen den Garten hinter der Pröbstey alle Jahr stür-**

tzen/und auf dē Frühling wenden/ Mist darauf führen/und zur Saat pflügen/besäen und egden/ und die Hinterwiesen im Garten meyen.

LIV. Præter hos dantur alii, qvi ex prædiis Ecclesiasticis emolumenta sua faciunt, qviqve non fide dominicâ, sed suo commodo agros colunt,ita ut dominium & possessio penes Ecclesiam maneat, & ipsi vel certum censum vel servitium præstent. Atqve hi potiori jure dotalium nomen mereri videntur, qvàm priores illi, ideò qvod non exerceant tantùm & colant fundum dotalem, sed etiam insistant eidem, & in possessione ejus persistant. Et expelli qvidem illi possessione usqve neqveunt,dum præstant id,qvod præstare tenentur;Nec tamen ita glebæ sunt addicti, ut discedere illis prorsus non liceat. Differunt etiam ab aliis, qvi ex titulo locati conducti agros Ecclesiasticos exercent, de qvibus posteà erit agendum. Et huc pertinet integra materia de Emphyteusi Ecclesiastica, de qvâ videri possunt præter Canonistas, Franzkius *de laudem. cap. 9. n. 42. seqq.* Franc. Card. Mantica *Lucubr. Vatican. lib. 22. tit. 7.* Bachov. *in Treutl. vol. 1. disp. 29. th. 10.* Ad hoc genus dotalium referrem exemplum, qvod habetur in matriculâ Consistorii Wittebergens. de anno 1555. *sub. tit.* Niemck bey Bitterfeld/his verbis: Sechs Hoffstet uffs Pfarr-Gut erbauet besitzen nachfolgende/ N.N.N. derer ieder zinset dem Pfarrer von seinem Hauß und Hoff jährlich uff Michaelis 6. Groschen/ und frönet mit der Hand 4. Tage ꝛc. si probari non posset, hos ipsos alio planè titulò, & jure qvidem hereditario prædia illa sua possidere. Qvoad enim incertum hoc fuerit, temerarium erit qvicqvam certi statuere de illo.

LV. Tertium genus dotalium est eorum, qvi sub certo annuo censu & servitiis qvibusdam, mansum Ecclesiasticum sibi proprium & hereditarium faciunt, ejusqve & dominium & possessionem nanciscuntur. Emptores enim prædiorum & bonorum Ecclesiasticorum, Dotales Ecclesiæ fieri, ac proinde patrocinio judicii Ecclesiastici frui, docet Carpzovius *in Jp. Consistor. lib. 2. def. 307.* Id qvod tamen eo tantùm casu locum habere dixerim, ubi Ecclesia sibi aliqvas reservat præstationis annuas, qvarum respectu dotis constitutæ memoriam conservatur. Talis, ni fallor, est ille, cujus mentio fit in matriculâ Consistorii Wittebergensis de anno 1555. *sub tit.* Paferin. Dieser Pfarr ist von Churfürsten zu Sachsen hochlöblicher Gedächtniß mit einem Acker-Gut

Gut versehen / und begnadet samt einem grossen Gehöffte und Garten / und zwey Hufen Landes / und etlich Morgen Wiesen und Huffschlag / samt etlichen geringen Holtz --- --- dasselbe Pfarrgut hat ietzund Blasius Krüger und giebt dem Pfarrer jährlich 18. Scheffel Korn / 18. Scheffel Hafer / 1. Schock an Gelde / soll ihm auch wie andere des Pfarrers eigene Dienstleute davon dienen.

LVI. Haud paulò clarius exemplum inter monumenta, qvæ reliqva habet, Kembergensis nob.s exhibet Ecclesia; instrumentum scil. qvo Præpositus illius Ecclesiæ in alienationem mansi Ecclesiastici consensit, & hereditario jure sub certis conditionibus & præstationibus translatum voluit. Atqve id, qvia vix aliud simile occurret, integrum adscribam:

Ich Johannes Bulkenhayn / Probst zu Kemrig / bekenne vor mich und meine Nachkommen Pröbste zu Kemrig / und thue kund mit dem Briefe allen denen / die ihn sehen oder hören lesen. Nachdem der erbare Martin Schilling / Pfarrer zu Berkzau / Peter Meistern gegönnet hat / ein Hauß zu Klitzschen auf der Kirchen Gut zu bauen / darzu zwo Hufen Landes gehören / also daß derselbe Peter Meißner / seine Erben / und wer das genannte Erbe besitzen wird / ein Schock und zwanzig Groschē neuer Müntz guter Landeswehrung einem jeglichen Pfarrer zu Berckzaw fort mehr zu ewigen Zeiten auf Martini jährlich zu Zinse davon reichen und geben / und zween Tage Dienste thun sollen. Als habe Ich genannter Johannes Bulkenhayn zu einen solchen / umb ihrer fleißigen Bitte willen / meine Gunst und guten Willen gegeben / auch sonderlich Peter Meißnern / Margarethen seiner ehelichen Haußfrauen / und seinen Erben / Söhnen uñ Töchtern / dasselbe Hauß zu Klitzschen mit den zweyen Hufen Landes und andern seinen Zugehörungen / als weit die begriffen sind / zu rechten Erbe gereicht / geliehen und bekennet / in allen Rechten / ihren Gewohnheiten uñ Freyheiten / inmassen sie bey derselben Pfarre herkommen sind / Gebe auch darzu meine Gunst und

und guten Willen. Reiche/leihe/und bekenne Ihnen die also gegen männiglich in Krafft dieses Briefs, die fürbaß mehr umb den genannten Zinß und Dienst zu rechten Erbe zu haben/ zu besitzen/ zu gebrauchen und zu geniessen/ und bey der Pfarr zu Berkzaw zu bleiben/ von allermänniglich daran ungehindert/ inmassen oben geschrieben stehet/ und Erbgüter Recht und Gewohnheit ist/ ohn alles gefehrde. Hierbey sind gewesen und gezeugen/ die erbaren/ Err Nicolaus Reinwitz/ Altarista und Prediger/ und Err Nicolaus Galle/ Provisor zu Kemrig. Des zu wahrer Urkund ist dieser Brief mit der Probstey Insiegel zu Kemrig wissendlich versiegelt/ und geben zu Kemrig an Mittwochen Alexii nach CHRIsti unsers HErrn Geburth im vierzehenhundert und im neun und funfzigsten Jahre.

LVII. Etsi verò prædia Ecclesiastica in hunc modum privatorum patrimonialia fiebant, & ut alia bona hereditaria de manu in manum qvocunqve alienationis titulo qvandocunqve transferri poterant, plerumqve tamen Ecclesia dominium eorum directum sibi retinebat, & in ejus recognitionem servitia sibi aut reditûs annuos reservabat. Qvod non tantùm ex instrumento jam adducto patet, sed etiam ex alio recentiori, Ecclesiam huic urbi vicinam concernente. Atqve ex eo nonnulla, qvæ huc faciunt, verba hic adscribere operæ precium duxi.

Zu wissē sey hiermit iedermänniglich/ daß nachdeme zur Kirchen alhier zu Trebiz 7. Viertel Landes uff der Heyden zu Zermsdorff/ eine Breite bey der wüsten Marck Rorbek/ uñ eine Wiese unter dem Kinder-Holtze gelegen/ gehörig gewesen/ und bißhero umb einen geringen Zinß ausgethan worden/ Als seynd nunmehro solche Kirchengüter und Gründe zu Gelde gemacht/ auch mit vorwissen uñ Bewilligung der Hn. Visitatorn des Churfreises zu Sachsen auch der Commissarien des löblichen Consistorii zu Wittenberg/ ihnen zweyen mit Namen Hanß Hesse und Ulrich Kugler zu Trebiz verkaufft uñ gefolget worden/ nehmlich und also: Es nehmen gemelte Käuffer diese Kirchengüter

güter vor 200. fl. Hauptsumma an --- --- doch dergestalt und mit ausdrücklicher Bedingung und zu Erhaltung der Kirchen Gerechtigkeit und dominii directi, daß diese Käuffer die alten und vorigen Zinsen und Dienste/ so bißhero auf solchen Gütern gestanden/ darneben gleichwohl der Kirchen Trebitz und Pfarrer daselbst unabbrüchlich reichen und leisten sollen ꝛc.

LVIII. Qvartum genus dotalium est eorum, qvi à superiore suo sive Princeps is fuerit, sive alius, cui immediatè subjecti sunt, Ecclesiæ & ejus ministris addicuntur, & veluti mancipantur, ut servitia sua aut alia emolumenta, non Principi ampliùs aut domino immediato, sed Ecclesiæ deinceps præstent. Atqve ista cessio sive concessio vel absoluta esse potest, & illimitata, vel restricta & cum qvodam reservato. Prioris exemplum occurrit in matriculâ Consist. Witt. ann. 1555. *sub rubr.* Pasterin. in verbis: Peter Standtfeste ein Hüfner ist von unsern gnädigsten Herrn mit aller Gerechtigkeit der Pfarre zugethan/ und von alters her eingeleibt / giebt jährlich 24. Scheffel Korn/ 24. Scheffel Hafer/ ꝛc. und dienet der Pfarr nur allein/ und darff derhalben unsern gnädigsten Herrn kein Dienstgeld geben / wie andere Hüfner 13. Gr. geben müssen/ sondern ist gantz frey. Posterioris exemplum ex eâdem matriculâ *sub rubr.* Klöden/ peti potest: $12\frac{1}{2}$ Gr. und 1. Pfund Wachs giebt Lorentz Felix von seinem Gute zu Klöden / und dient dem Gotteshause/ ausgenommen 4. halbe Tage in der Heuernde / dient er dem Junker. Et aliud, qvod *sub rubrica* Nauendorff extat: So muß der Gärtner/ so der Pfarren eingeleibt ist/ 1. Tag harcken/ und 2. Tage meyen in der Ernden/ und wenn die anderen Gärtner zu Hofe dienen/ so muß er uff der Pfarr arbeiten/ wo nicht/ muß er mit den andern zu Schloß arbeiten.

LIX. Præter hos, qvos enumeravi, dotales, non puto, inveniri facilè alios, qvi hoc nomen mereantur. Qvi enim certâ mercede constitutâ agros Ecclesiasticos conducunt, etsi ad longius aliqvod tempus contraxerint, non magis dici dotales poterunt, qvam illi, qvi fundum mulieris dotalem conduxerunt. Sed nec licitum est, locare res Ecclesiæ ad longius aliqvod tempus; idqve non jure tantùm Canonico

nico

nico prohibitum est, *cap. 9. X. de reb. Eccles. al. Clem. 1. eod.* ubi, qvousqve extendi debeat, & qvod sit longius istud tempus, variè disqvirunt Doctores. Vid. Barbosa *ad d. c. 9.* Jacob. Menoch. *de arb. jud. qvæst. lib. 2. cas. 5.* Marescott. *2. resol. 25.* sed etiam provinciali, uti legitur in articulis generalibus ordinationis Eccl. Sax. *sub n. 49.* **Damit auch die Laßgüter/Aecker/Wiesen/Gärten/od Fischwasser zum Pfarr-Lehen gehörende/nicht præscribirt/ und unter der Leute/ welche dieselbige umb jährlichen nahmhafftigen Zinß/oder Miethgeld innen haben/eigene Güter durch langen Gebrauch vermischet/ und eingeleibet/ so sollen solche Güter ie zuzeiten verändert/ andern ausgethan und verliehen/oder aber/da es die Güter ertragen mögen/ umb grössern Zinß verliehen werden/ damit die Pfarren bey ihren Eigenthumb bleiben/ und sie die Besitzer vor ihr erkaufft od Erbgut nicht anziehen können od mögen.** Et ex hoc contractu atqve qvalitate extrinsecus advenien- te prædia ista Ecclesiastica dicuntur Laßgüter/ weil sie andern verlassen/ oder ausgelassen werden/ qvæ ipsa locatio non sine solennitate, nec sine præscitu superioris fieri debet, uti constitutum in eàdem Ordinat. Eccles. *sub n. 28.*

LX. Interim non nego, frui talem conductorem omnibus immunitatibus atqve privilegiis prædio Ecclesiastico inhærentibus. Qvia enim privilegia illa realia sunt, & principaliter rem ipsam afficiunt, etiam communicativa aut communicabilia sunt, ita ut ad qvemvis possessorem transeant; cùm ea, qvæ personalia vulgò dicuntur, ἀκοινώνητα sint, & cum personâ extingvantur. *l. 3. §. 1. ff. de cens. l. 68. l. 196. ff. de R. J.* Atqve idcircò conductores talium fundorum privilegiatorum non tenebuntur ad collectas ordinarias, sed jure dominorum utuntur, ideò scil. qvia in ejusmodi oneribus realibus non tàm personæ & possessores, qvàm res ipsæ & prædia tenentur. Vincent. Carocc. *de locat. conduct part. 4. q. 39. num. 30. seqq.* Carpzov. *in Jp. Consist. l. 2. def. 310.*

LXI. Qvod si tales nulli omninò adsint, qvi vel ex obligatione dotali, vel ex contractu parochialium agrorum culturam in se suscipiant, injungendum id munus est ipsis parochianis. Æqvum enim est, ut illi, qvorum animabus servandis operam & studium suum ponunt ministri Ecclesiæ, his ipsis vicissim sua impendant tempora & operas. Et qvò minus parochiani id facere recusent, in nostris hisce provinciis exprèsse id constitu-

tum

tum est per legem Ecclesiasticam, qvæ habetur in articulis generalibus *sub num. 27.* Weil aber eine besondere/grosse und gemeine Klage/ nachdem die Acker-Arbeit so hoch gestiegen/daß die Pfarrer ihre Pfarräcker nicht zur Nothdurfft beschicken können/ und der Ursach an etlichen Orten zum theil gar wüste liegen lassen müssen/daß sie entweder die Ackerleute nicht bekommen können/ od durch dieselben mit dem Lohn so hoch übersatzt werden / daß es Ihnen die Mühe und Unkosten nicht verlohnet/ und also der Aecker nichts geniessen können/ daher etliche verursachet/mit ihrer Ungelegenheit/ Nachtheil und Schaden auch Verseumniß ihres studiren und Verhinderung in ihren Amte/ eigene Pferde zu halten. Derowegen/ und auf daß die Pfarrer die Aecker/ so Ihnen zum Unterhalt verordnet/ samt ihren Haußgesinde geniessen/ und ihres studirens und Ampts desto fleißiger auswarten könen/ist unser ernster Will und Meynung/ daß die Bauren frembde Aecker umb Geld zu beschickē nicht eher annehmen/es sind denn zuvor des Pfarrers und Schreibers Aecker/da sie nicht selbst anzuspannen haben/ samt ihren Nachbaren desselben Dorffs Aecker umb ein gebührlich und gleichmäßig Lohn beschickt rc.

LXII. Ex dictis patet, admodùm variè sese habere Ecclesiæ dotales, nec proinde sub unâ generali definitione comprehendi universos posse. Propriissimè tales videntur esse isti, qvi Ecclesiæ qvasi proprii sunt, qvique qvàm proximè accedunt ad illos, qvi olim mansis Ecclesiasticis sive ut mancipia, sive ut coloni addicti fuerunt. Et hujusmodi dotalium in Matriculis Ecclesiasticis sæpissimè fit mentio, ubi dicuntur eigene Männer/ eigene Leute/ eigene Dienstleute &c. E. gr. in matriculâ Consistorii Wittebergensis de anno 1555. *sub rubr.* Ufro hæc leguntur verba: Aus dem Filial Ufro hat der Pfarr einen eigenen Mann/ Claus Kopman / giebt dem Pfarrer jährlich 24. Scheffel Korn rc. it. *sub rubr.* Beyern Ein eigen Mann zur Pfarr gehörig/ zinset 8. Eyer auf Ostern/ 10. Groschen auf Michaelis rc. Et *sub rubr.* Ratsch. Dieser Mann ist des Gotteshauß Mañ/ und hat der Pfarr die Lehn von wegen des Gotteshauses rc.

CAPUT X.

De formâ & modo constituendi dotem Ecclesiæ.

SUMMARIA.

Ea, quæ ad tempus constitui non possunt, sed hâc fini, ut perpetua sint, instituuntur, certis plerumq; cum solennitatibus initium capere; Solennitatum adhibitio cui usui sit & qvantum iis tribuatur? n. 1.

Veterum formularum editores & collectores, eôd.

De Ecclesiæ approbatione, receptione & adhibitione solennitatum, eôd.

Primam & antiqvissimam eamq; simplicissimam solennitatem fuisse, qvòd scriptô comprehendere oportuerit dotem constitutam; & qvæ ratio hujus rei fuerit? n. 2.

Num circa constitutionem dotis ante Ecclesiam ædificatam aliæ solennitates præterqvam testium subscriptio, fuerint adhibitæ? n. 3.

In donationibus, qvæ doti jam constitutæ & Ecclesiæ ædificatæ supervenerunt, ceremoniis aliis haud paucis locum fuisse, qvæq; ceremoniæ illæ, qvi ritus & qvæ symbola atq; signa traditionis istius fuerint? n. 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9.

Utrùm ex traditionibus symbolicis colligi qveat, possessionem rerum transferri & acqviri sine actu aliqvo corporeo, remissivè *n. 9.*

Præcipuam semper curam fuisse circa chartas aut instrumenta conficienda, ut illa rectè & legitimè construerentur; Et solitos fuisse qvandoq;, in prologi vicem, suum de scripturâ consilium præmittere, n. 10.

Officii scribarum utilitas juxta Cassiodorum, eôd.

Constitutio Constantini Imperatoris de qvalibuscunq; donationibus in scripturam seu instrumentum redigendis & conscribendis, n. 11, 12.

Num scriptura ad formam donationis acqviratur ita, ut non ad probationem tantùm, sed etiam ad solennitatem & substantiam ipsius actûs necessaria sit, &, si ea deficiat, actus ipse donationis propterea sit nullus? eôd.

Favore piæ causæ & dotis, aut qvæ huic ferè similis sit, donationis, sæpè sustineri actum, aliàs parùm sibi constantem & dubium, eôd.

Donationem Ecclesiæ factam, etiam nondum ab Ecclesia & ejus Rectore acceptatam, voto esse proximam; Et ex voto obligationem nasci utroqve jure, canonico & civili, eôd.

Solen-

Solennitates plerasqve omnes, qvas in donationibus observari voluerit Constantinus, suas etiam fecisse Ecclesiam, n. 12.

II. Reqviri in dicta Scriptura seu Instrumento dotalitio, ut nomen donatoris exprimatur, n. 13.

Additum etiam aliqvando esse nomen parentum, & qvandoq; etiam dignitatem aut officium, qvod maximè excelleret; maximum verò & solennem usum præstitisse Pronomen demonstrativum EGO, aut NOS, eôd.

III. Reqvisitum, expresſio nominis illius, cui donatur, n. 14.

Expresſionem illam ita factam esse, ut vel Ecclesia nominata sit, vel monasterium, aut ipse Sanctus, cui Ecclesia vel monasterium dicatum, vel fratres in monasterio degentes, & Clerici Ecclesiæ inservientes, eôd.

IV. Reqviri, ut præter nomen donatoris ac donatarii, jus etiam & res donata notetur. Et qvotuplicem significatum posſint habere verba ista? n. 15.

Num necessaria sit tituli profesſio? n. 16.

Mortuum dici, qvod in Ecclesiæ manum pervenit? eôd.

V. Reqvisitum, ipse scribendi modus, n. 17, 18, 19.

De prohibita scriptione per siglas & notas, n. 18.

Notarii publici s. tabelliones qvi? n. 19.

VI. Reqvisitum, traditio corporalis, ex conſtitutione nempè Conſtantini, *vel ficta & Symbolica*, ex receptione Ecclesiæ, *n. 20.*

Necessariam non esse traditionem corporalem ad perficiendam donationem, nisi lex aliqva positiva eam exegerit, eôd.

VII. Reqvisitum à Constantino M. præscriptum, ut traditio fiat advocatâ vicinitate & arbitris adhibitis; Et cur hoc? n. 21.

Zenonis circa istam testium adhibitionem constitutio & Ecclesiæ observatio, eôd.

VIII. & ultimum reqvisitum, donationis apud Acta insinuatio; Et cur hæc inducta? Numq; ista solennitas, acta magistratuum civilium subinnuens, in Ecclesia sit necessaria? n. 22.

Qvod Ecclesiæ donatur, ex mente Canonistarum jurisdictione seculari eximi, eôd.

Ecclesiam etiam acta habere credi, & qvod Ecclesiæ in altari præsentibus sacerdotibus & aliis ministris oblatum, Actis Ecclesiasticis insinuatum dici posse, eôd.

Instrumentis donationum etiam nomen donatoris subscriptum fuisse vel manu ipsius propriâ, vel alterius; stipulationesq; aliqvando interpositas esse, & earum in subscriptione mentionem factam, n. 23.

Recensio integræ formulæ ad illustrationem hactenus dictorum facientis, instrumenti scil. donationis Mathildis, n. 24.
Qvæ Mathildis ista fuerit? n. 25.
Dictum instrumentum esse istud, de qvo tantæ deinceps inter Pontifices & Imperatores extiterint controversiæ, eôd.
Qvam multa sæpè & incondità planè verborum catervâ, vocibus subinde iteratis atq; repetitis, & sententiis ipsis in idem semper recurrentibus instrumenta confecerint, ut ne qvid minùs perspicuè dictum scriptumve esset, n. 26, 27.
Notariorum taxatio, n. 27.
Qvàm dirissimarum dirarum imprecationibus & execrationibus donationes Ecclesiis factæ communiri consveverint? n. 28, 29, 30, 31, 32.
Inter comminationes aliqvando solam temporalem aliqvam pœnam, & ut plurimum mulctam pecuniariam temeratoribus denunciatam in instrumento fuisse, n. 33.
Epicrisis de dictis imprecationibus & execrationibus, eôd.
In majorem rei fidem etiam sigilla impressa esse, & professionem hujus factam in ipso instrumenti contextu, n. 34.
Subscripsisse & obsignâsse insuper qvandoq; testes in eam rem invitatos, & aliqvando qvidem benè multos, n. 35.
Distinctio sigilli & signi seqvioribus temporibus orta, eôd.

SUpra dixi, dotem Ecclesiasticam non debuisse, nec potuisse constitui ad tempus, sed ejus emolumentum oportuisse esse perpetuum. Talia autem qvæ sunt, qvæqve hâc fini instituuntur, certis plerumqve cum solennitatibus initium capiunt, qvæ negocio indelebilem veluti characterem imprimant, qvæve in perpetuo vigore istud conservent. Etsi enim extrinsecùs illæ adveniant, nec adeò in essentiam & qvidditatem negocii influant; negari tamen neqvit, per solennitates accedentes significativum magis reddi actum, & sui magis conservativum. Et sanè creditum jam diu fuit non apud Romanos tantùm, sed etiam plerasqve omnes gentes moratiores, si qvid majoris momenti gestum fuerit, non aliàs id ratum esse, nisi adderentur aliqva solennia, qvibus id veluti firmaretur & consolidaretur. Idqve ipsum præter cætera ostendunt antiqvæ illæ & ad superstitionem ferè conceptæ formulæ, qvas nobis magno numero ediderunt Marculfus, Albanus, Madalfredus, Iso, & reliqvi talium chartarum collectores, qvæ passim prostant. Nec dubita-

vit

vit Ecclesia hoc idem, qvod in civilibus negotiis receptum fuerat, piâ imitatione approbare, & qvicqvid vel gerit ipsa, vel ab aliis gestum accipit, non minore cum solennitate ratum facere, inqve ejus rei memoriam monimentum ponere.

II. Prima & antiqvissima eaqve simplicissima solennitas fuit ista, qvòd scripto comprehendere oportuerit dotem constitutam; eaqve necessaria visa fuit ideò, qvòd essent seqvioribus temporibus inter heredes & successores dotantis aliqvando, qvi fundum dotalem factum negarent; qvos proinde scripto convinci oportebat. Atqve sic in concilio Bracarensi II. *can. 5.* primitùs constitutum fuit: *Hoc unusqvisqve Episcopus meminerit, ut non priùs dedicet Ecclesiam aut Basilicam, nisi antea dotem Basilicæ & obseqvium ipsius per donationem chartulæ confirmatum accipiat: nam non levis est ista temeritas, si sine luminariis, vel sine sustentatione eorum, qvi ibidem servituri sunt, tanqvam domus privata, ita consecretur Ecclesia.*

III. Et qvia dotem constitui oportebat, anteqvam ipsa ædificaretur Ecclesia, non aliæ fortè adhibitæ tùm fuerunt solennitates, nisi qvòd testium subscriptione charta illa firmaretur. Et exhinc puto donationem illam solennem dici in *c. piæ mentis. 16. q. 7.* In reliqvis verò donationibus, qvæ doti jam constitutæ & Ecclesiæ ædificatæ superveniebant, ceremoniis aliis haud paucis locus erat, qvæ in legibus antiqvis descriptæ inveniuntur. Apud Alemannos lex prima hæc fuit: *Si qvis liber res suas vel semetipsum ad Ecclesiam Dei tradere voluerit, nullus habeat licentiam contradicendi, --- --- Et qvi hoc voluerit facere, per chartam de rebus suis ad Ecclesiam, ubi dare voluerit, firmitatem faciat, & testes sex vel septem adhibeat, & nomina eorum ipsa charta contineat, coram sacerdote, qvi ad eandem Ecclesiam deservit, super altare ponat: & proprietas de ipsis rebus ad ipsam Ecclesiam in perpetuum permaneat.*

IV. Similis huic est lex prima Bajuuariorum in hunc modum concepta: *Si qvis liber persona voluerit & dederit res suas ad Ecclesiam pro redemptione animæ suæ, licentiam habeat de portione suâ, postqvam cum filiis suis partivit. --- --- Et qvicqvid donaverit, villas, terram, mancipia, vel aliqvam pecuniam, omnia qvæcunqve donaverit pro redemtione animæ suæ, hoc per epistolam confirmet propriâ manu suâ ipse, & testes adhibeat sex vel amplius. Si voluerit, imponant manus suas in epistolâ, & nomina eorum notentur ibi qvos ipse rogaverit. Et tunc ipsam epistolam ponat super altare, & sic tradat ipsam pecuniam coram sacerdote, qvi ibidem servit. Et post hæc nullam habeat potestatem*

statem exinde qvicqvam auferre, nec ipse, nec posteris ejus. &c.

V. Ritum hunc res Ecclesiæ donatas vel ipsas, vel earum saltem instrumenta altaribus imponendi commemorant, & verba solennia, qvibus tùm usi fuerunt, aliud qvasi agendo, referunt populi Germaniæ in generali suâ supplicatione Karolo Imperatori oblatâ, apud Benedict. Levit. *capitul. lib. 6. n. 285.* hunc in modum: *Qvisqvis nostrûm suas res Ecclesiæ tradit, Domino DEO illas offert atq; dedicat, suisq; sanctis & non alteri dicendo talia, & agendo ita. Facit enim scripturam de ipsis rebus, qvas DEO dare desiderat, & ipsam scripturam coram altari, aut supra, tenet in manu, dicens ejusdem loci sacerdotibus atq; custodibus: Offero Deo atqve dedico omnes res, qvæ hîc in chartulâ tenentur insertæ, pro remissione peccatorum meorum, ac parentum, & filiorum (aut pro qvocunq; illas DEO dedicare voluerit) ad serviendum ex his DEO in sacrificiis, missarumq; solenniis, orationibus, luminariis, pauperum ac clericorum alimoniis & cæteris divinis cultibus, atq; illius Ecclesiæ utilitatibus. Si qvis autem eas inde, qvod fieri nullatenus credo, abstulerit, sub pœnâ sacrilegii ex hoc domino DEO, cui eas offero atq; dedico, districtissimas reddat rationes.*

VI. Ritum alium in Daciæ Regno usitatum discimus ex Innocentii III. epistolâ decretali, qvæ extat *c. 2. X. de consvetud.* & ex compilatione tertiâ, qvam edidit Antonius Augustinus, ita se habet: *Ex literis, qvas tu frater Archiepiscope destinasti, intelleximus manifestè, qvod regnum Daciæ, qvantum ea, qvæ jus fori contingunt, consvetudinibus suis, & institutionibus Regum suorum omninò regatur. Unde nullum usum testamentorum illius provinciæ habere contingit, qvi alibi in ultimis decedentium voluntatibus secundum legalem observantiam custoditur. Si verò aliqvis possessiones aliqvas claustris, vel aliis religiosis locis in bonâ valetudine vel voluntate ultimâ constitutis vult pro suorum remedio peccatorum conferre, hanc Ecclesiæ conferendi formam proponis, qvod in hujusmodi donationibus modicum terræ consvevit accipere, aut in extremitate pallii, qvod manu Episcopi, vel cujuslibet alterius prælati Ecclesiæ sustinetur, aut super ipsum altare aliqvo involutum panniculo cum debitâ humilitate ponendum sub testimonio videntium & audientium, formâ donationis hujuscemodi subseqvente, qvæ scotatio vulgariter appellatur* &c. Circa rationem nominis, unde scil. dicatur scotatio, nihil nunc attinet esse sollicitum. Conjuncturis suis indulgent permulti, & admodum variè qvidem, uti hac de re legi possunt Anton. Dadin. Alteserra *ad d. c. 2.* Francisc. Pinsson. & Ant. Benge. *de benefic.*

benefic. tit. de dot. constit. §. 3. *n.* 8. non ausim tamen vel huic, vel illi suffragio meo accedere. Sufficit nobis, rem ipsam ex dictâ decretali epistolâ intelligi, & manifestam esse, per traditionem scil. glebæ, & impositionem ejus in altare, traditum fuisse ipsum fundum donatum.

VII. Apud gentes alias Symbola traditionis alia fuerunt in usu; imò sæpè qvalecunqve signum pro cujusqve arbitrio eam in rem adhibitum videtur. Observavit id Ingulfus Abbas seculo undecimo *in Chron. Croylandiens.* dum ait: *Conferebantur antea multa prædia nudo verbo, absq; scripto vel chartâ, tantùm cum domini gladio, vel galeâ, vel cornu, vel craterâ, & plurima tenementa cum calcari, cum strigili, cum arcu, & non nulla cum sagittâ.* De craterâ qvod ait, elegans exemplum ex veteri chartâ refert Guil. Camdenus *in Britann. topogr.* his verbis: *Ulphus Theraldi filius Ecclesiam Eboracensem dotavit, ut legitur in veteri libro, ex qvo notanda est solennis formula donationum. Dominabatur Ulphus ille in occidentali parte Deiræ, & propter altercationem filiorum suorum, senioris & junioris, super dominiis post mortem, mox omnes æqvè fecit pares, nam indilato Eboracum divertit, & cornu, qvo bibere consvevit, vino replevit, & coram altari DEO & beato Petro Apostolorum Principi omnes terras & reditus flexis genibus propinavit.*

VIII. Alii cultellum ejus traditionis Symbolum esse voluerunt. In cujus rei fidem legi merentur, qvæ huc faciunt, ex instrumento donationis Ecclesiæ S. Juliani de Sezania, qvam fecit anno 1081. cum tutore suo Comite Stephano Henrico Hugo Bardulphus Dominus Brecarum congregationi Monachorum B. Mariæ de charitate, apud Nicol. Camuzat. *in antiq. Tricassin. pag.* 273. Verba hæc sunt: *Cumqve ei* (scil. Bardulpho) *reddi paternam hereditatem, placeret, exhortatione & obsecratione Comitis & multorum aliorum, admonitione, & maximè pro ejus animæ redemptione, & patris sui, atqve avi cognominis ejus, & ipse Bardulphus cognominatur, ipsam Ecclesiam & omnem donationem, concessit & tradidit, sicut & Comes Henricus Stephanus fecerat, ut supra taxavimus, nam ipse ultroneus in ipsam designatam Ecclesiam, ad altare accessit, & donum, ut diximus, confirmavit, qvendam nigrum cultellum monachali usui aptum super altare posuit.* &c. Qualis fuerit usus ille monachalis, cui aptus cultellus dicitur, cognitum non habeo. Nec scire id interest, qvandoqvidem non tàm ad usum aliqvem proprium, qvàm cum in finem, ut signum esset restitutionis & traditionis factæ, in altari positus fuerit.

IX. Sæpè etiam per chirothecas, qvas Wantos vocarunt, sæpè

per festucam seu virgam, per viridem scirpum seu juncum, per librum Missalem, atqve adeò per rem qvamcunqve obviam, traditionis signa statuebant, de qvibus videri poterunt Anton. Dadin. Altesera *d. l* Lindenbrogg. *in gloss ar. vocab. traditio.* Hieron. Bignon. ad Marculf. form. *lib. 1. cap 13.* Nicol. le Maistre *de bon. Eccles. lib. 2. cap. 7.* Utrùm verò ex traditionibus ejusmodi symbolicis colligi qveat, possessionem rerum transferri & acqviri sine actu aliqvo corporeo, contra *l. 3. pr. & l. 8. ff. de acq. vel am. possess.* alienum hic est disqvirere. Videri ea de re poterunt Augustinus Barbosa *ad d. c. 2. X. de consvetud.* Nicol. Rodriguez Fermosin. *ibid.* Camill. Borell. *decis. 14. n. 129.* Franc. Duaren. *ad d. l. 3. de acq. poss.* Andr. Gail. *l. 2. obs. 129. in f. & obs. 152. in fin.* Anton. Perez. *Cod. de acqvir. poss. n. 5.*

X. Præcipua autem semper cura fuit circa chartas aut instrumenta conficienda, ut illa rectè & legitimè construerentur. Et soliti fuérunt qvandoqve, in prologi vicem, suum hoc de scriptura consilium præmittere, ut de constanti & enixâ atqve perpetua sua voluntate eò magis & clariùs constaret. Inter formulas Marculfi decima nona *lib. 2.* hoc habet initium: *licet empti venditiqve contractus sola precii adnumeratione & rei ipsius traditione consistat, ut tabularum aliorumq; documentorum ad hoc tantùm interponatur instructio, ut fide rei, facti & juris ratio comprobetur.* Eodem modo Henricus Comes Namurcensis & Luxenburgensis in diplomate, qvo monasterii Munsteriensis privilegia confirmat, hæc præmittit verba: *Qvoniam memoria, qvæ fragilis, „ est, plurimis plerumqve negociis per- „ turbatur, prudentium provisum est „ consilio, ut ejus debilitati scriptu- „ ræ officio subveniatur.* &c. apud „ Joh. Bertel. *in histor. Luxenburg. pag. 127.* Et Gaufridus ille, qvi historiam Bizantinæ expeditionis literis mandavit, in confirmatione, de Ecclesiâ Saphadini Ecclesiæ Trecensi donatâ, apud Nic. Camuzat. *in antiq. Trecens. p. 313.* in hunc modum præfatur: *Qvoniam labente temporum „ curriculo memoria diluitur huma- „ na, usu accidit nonnullos pro suis „ possessionibus iniqvæ litis sustinere „ molestiam, eapropter adversus hu- „ jusmodi periculum procurans reme- „ dium Ego Gaufridus de villâ Har- „ duini Romaniæ Seneschallus* &c. Et sanè applicari hic potest, qvod ait Cassiodorus *l. 12. var. Scribarum officium securitas solet esse cunctorum, qvoniam jus omnium ejus sollicitudine custoditur.*

XI. Constituit verò jam suo tempore Constantinus Imperator *in l. 1. C. Theod. de donat.* ut qvalescunqve donationes in scripturam seu instrumentum redigerentur & conscribe-

scriberentur. Istud etsi mutatum deinceps fuerit ab inseqventibus Imperatoribus per *l. 29. & l. 31. C. de donat.* in Ecclesia tamen Constantini prævaluisse constitutionem, ex canone 5. Concilii Bracarensis II. supra adducto colligere licet. Tentari hinc posset, lege illâ Ecclesiastica scripturam perinde ad formam donationis reqviri, uti reqvisita fuit ex lege Constantini, qvod adversus dissentientes adstruit Jacobus Gothofredus *ad d. l. 1.* atqve sic non ad probationem tantum, sed etiam ad solennitatem & substantiam ipsius actûs eam necessariam esse, præsertim cùm nullam omninò donationis speciem, ac ne eam qvidem, qvæ piæ causæ fit, exceperit Constantinus. Sed enim difficulter admodum inter Canonistas hodie obtinebit ea sententia, postqvam vix ulla ad ejusmodi donationem perficiendam reqviritur solennitas, & plerumqve sola attenditur intentio donantis, qvæ tamen & ipsa sæpe captatur magis, qvàm excipitur. Et sane nolim ego asserere, eo casu, qvando forma ista in donatione Ecclesiæ facta deficit, actum ipsum propterea esse nullum, qvandoqvidem hîc & piæ causæ, & dotis, aut, qvæ huic fere similis est, donationis favor concurrit, qvo utrovis sæpe sustinetur actus aliàs parum sibi constans & dubius. Ut taceam jam, talem donationem, etiam nondum ab Ecclesia & ejus Rectore acceptatam, votò qvàm proximam esse. Ex voto autem obligationem nasci, jus utrumqve, Canonicum, & Civile comprobat. Vid. *c. 5. X. de vot. & vot. redempt. l. 2. ff. de pollicitat.*

XII. Cæterùm solennitates plerasq; omnes, qvas in donationibus observari voluit Constantinus *in d. l. 1.* suas etiam fecit Ecclesia. Videamus verba, & facilis deinde erit applicatio. *In conscribendis autem donationibus, nomen donatoris, jus ac rem notari oportet; neq; id occultè, aut per imperitos aut privatim; sed ut tabulæ aut qvodcunq; aliud materia tempus dabit, vel ab ipso, vel ab eo, qvem sors ministraverit, scientibus plurimis perscribatur. Et corporalis traditio subseqvatur ad excludendam vim atq; irruptionem, advocatâ vicinitate, omnibusq; arbitris adhibitis, qvorum postea fide probabitur, donatam rem, si est mobilis, ex voluntate traditam donatoris, vel si immobilis, abscessu donantis novo domino patefactam, factis etiam adnectendis, qvæ apud judicem vel magistratus conficienda sunt.* Habetur hæc eadem constitutio in Codice Justinianeo *l. 25. de donat.* sed mutila, & in qvibusdam partibus interpolata. Recensebimus reqvisita singula. Et qvidem de eo, qvòd donationes in scripturam referri oportuerit, qvod *primo* loco notari operæ precium est, jam vidimus.

XIII. In ipsa illa scriptura reqviritur *secundò*, ut nomen donatoris

exprimatur. Id etiam exigunt formulæ veteres per adpositum vocabulum ILLE aut ILLA. *Ego in DEI nomine fœmina aliqva, nomine illa, dono ad præfatum monasterium* &c. *Idcircò nos in DEI nomine, ille, & conjux mea, illa* &c. *Ergo ego in DEI nomine ille, in amore Domini nostri Jesu Christi & remissione peccatorũ meorum, ut veniam delictis meis conseqvi merear, in futurum dono donatumq; in perpetuum esse volo, ad basilicam illam* &c. Addebant aliqvando, ne donatoris incerta memoria esset, nomen parentum: *Ego illa filia illius & illius* &c. *Ego Beata, filia Rachiberti* &c. *Ego Lambertus, filius Laudoaldi* &c. qvandoqve etiam dignitatem aut officium, qvo maxime excellebant, sine tamen ambitione, aut prolixissimorum titulorum congestione tædiosa, qvalis nunc fere in usu esse solet. Maximum autem & solennem usum in ejusmodi instrumentis præstabat pronomen demonstrativum EGO, aut NOS. Id enim communissimè præfigi solebant nomini donatoris: *Ego Rinulfus. Ego Haroaldus: Ego Walfridus* &c.

XIV. *Tertiò* reqviritur, ut ejus etiam, cui donatur, nomen exprimatur. Id qvanqvam disertè non habeatur in constitutione Constantini, ipsa tamen relatorum natura hoc exigit, eò qvòd actus donationis sine eo, cui donatur, perfici neqveat. Nec verò id omisit Interpres Anonus, de qvo videri poterit Didacus Covarruvias *var. resol. lib. 3. c. 14. n. 4.* dum his verbis constitutionem παραφράζει: *In conscribendis autem donationibus hic ordo servandus est, ut donatio nomen prius contineat donatoris, vel illius, cui donatur* &c. Et hinc igitur nomen donatarii semper exprimebatur, ita ut vel Ecclesia nominaretur, uti hac de re vetus est formula: *per hanc epistolam donationis dono donatumq; in perpetuum esse volo ad Basilicam S. Martini, ubi ipse precioso corpore reqviescit, vel omni congregationi ibidem consistenti, cui venerabilis Vir ille Abbas præesse videtur*, &c. vel monasterium, aut ipse Sanctus, cui Ecclesia vel monasterium dicatum est, qvales formulas refert Goldastus *in antiq. Alemann. tom. 2. part. 1. n. 36. seqq.* vel deniqve fratres, qvi in monasterio degunt, & Clerici, qvi Ecclesiæ inserviunt, qvalia passim occurrunt exempla.

XV. *Qvartò* reqviritur, ut præter nomen donatoris ac donatarii, jus etiam & res donata notetur. Qvæ verba duplicem possunt habere significatum: vel ut latitudinem denotent objecti, qvod in donationem venit, qvòd scil. illud sit vel corporale, vel incorporale, res aut jus, idqve qvalecunq; fuerit, specialiter notari debeat; vel uti explicat Jacobus Gothofredus *ad d. l. 1.* ut simul cum re exprimatur jus ejus, id est, ex qva causa,

causâ, qvo titulo dominii rem eam, qvam dotat, habeat, ne fortè rem alienam donet, de alieno largiatur temerè, & imponat donatario. Utrumvis seqvamur significatum, in Ecclesiâ ille non minùs comprobatus est, qvàm in Republ. Jura enim etiam incorporalia per donationes in Ecclesiam translata sæpenumerò fuisse, suprà *cap. 8.* prolixè ostendimus. Et tale aliud insigne exemplum extat apud Aubert. Miræ. *in donat. Belg. lib. 2. cap. 66.* ubi Florentinus dominus de Linden jus patronatûs Ecclesiarum de Linden donat monasterio S. Pauli in Urbe Ultrajectinâ.

XVI. Posterioris explicationis rariora occurrunt exempla. Nec forte necessaria est tituli professio, nec faciet ea fidem, nisi cognitio instituatur, & totum negotium accuratè examinetur. Qvin sufficit, ut si donator sit in bona fide, transferatur usucapiendi conditio. Vid. Bachov. ad Treutl. *vol. 2. disp. 19. th. 5. lit. B.* Sed occurrunt tamen talia sæpe instrumenta, qvibus ipse etiam titulus & causa possidendi inserta leguntur. Apud Aubertum Miræum *in donat. Belg. lib. 2. c. 64.* Johannis de Landast Uxor Petronilla, ejusqve cognati Cisoniensi monasterio donant partem qvandam nemoris & cujusdam alneti prope Louilium stantis, in qvibus nemus mortuum se habere dicebant, qvorum fundus Ecclesiæ Cisonii erat. Qvid verò hic *nemus mortuum?* Arbitror ego, pertinuisse id nemus olim ad Ecclesiam Cisoniensem, sicut ipse totus fundus, & in manus pervenisse Johannis de Landast aut ejus antecessorum, nec tàm datum, qvàm restitutum fuisse ab ejus Uxore. Sic enim mortuum dicitur, qvod in Ecclesiæ manum pervenit. Petr. Peck *de amortizat. bon. cap. 3.* Aliqvando, rebus donatis addebantur verba illa: *qvæ jure,* „ *hereditario ad me pertinent.* aliqvando, uti apud Marculfum *l. 2. form.* „ *6.* illa: *qvicqvid ibidem ad præsens* „ *tàm de alode parentum vel de qvoli-* „ *bet adtr actu possidere videor.* ali- „ qvando ista: *qvod manente conjugio,* „ *apud jugalem meum illum visa sunt,* „ *conqvisisse, vel in meam portionem* „ *recepi, vel qvantumcunq; de filii mei,* „ *illius luctuosa hereditate mihi obve-* „ *nit.* &c. „

XVII. Seqvitur reqvisitum *qvintum*, ipse scil. scribendi modus, qvem subobscure proponit Constantinus his verbis: *Neq; id occultè aut per imperitos, aut privatim; sed ut tabula aut qvodcunq; aliud materiæ tempus dabit, vel ab ipso, vel ab eo, quem fors ministraverit, scientibus plurimis perscribatur.* Qvæ verba ita παραφράζει Interpres Anianus: *nominatim in donatione conscribendæ sunt, non occultè, sed pulicè, non privatim, vel secretè, sed aut in tabulis, aut in chartis,*

aut ubicunqve legatur facta donatio. Qvam tamen donationem, si literas novit testator, ipse subscribat: si verò ignorat, præsentibus plurimis eligat, qvi pro ipso subscribat. Sunt, qvi ita explicent mentem Constantini, non debuisse privatim scribi istiusmodi instrumenta, sed manu Notarii publici. Brunneman. *ad l. 25. C. de donat.* Sed utiqve permittit Constantinus, ut ab ipso Donatore charta ista conscribatur, aut ab eo, qvem sors ministravit, ut adeò necessaria non sit Notarii publici adhibitio, qvanqvam in majorem fidem ea plerumqve juncta fuerit.

XVIII. Ait Constantinus, *non occultè* conscribi debere donationum instrumenta, hoc est, non conscribi debere notis aut siglis, qvæ occulta literarum significatio dicitur Agellio *lib. 17. noct. Attic. c. 9.* Ejusmodi notas Plinius *epist. lib. 1. ad Arrium Clementem*, illiteratissimas literas dixit, ideò scil. qvia singularum literarum, qvibus integra verba denotari solebant, & notarum aliarum difficilis est legentibus interpretatio, & ex varietate significandi proclivis est error. Ob qvam eandem rationem Justinianus Imp. *in constitut. de confirm. Digest.* §. 22. prohibuit, ne qvis in posterum leges per siglorum obscuritates conscribat, & jubet per conseqventiam literarum sine ullâ compendiariarum notarum & signorum dubietate conscribi omnia, laxioris scripturæ diffusam claritatem, brevioris densissimis tenebris præferens. Sic & in aliis causarum figuris, ubi clara & distincta reqviritur voluntatis declaratio, sigla & notæ difficilem planè & incertam pariunt interpretationem, recteqve adeò fecit Justinianus, qvod in ultimis voluntatibus conscribendis eas prohibuerit, *novell. 107. c. 1.* Vid. Elbert. Leonin. *emendat. lib. 4. cap. 13.* Barnab. Brisson. *select. antiq. l. 4. c. 21.* H. Salmuth ad Guid. Pancirol. *part. 2. rer. memorab. t. 14.* Et tales notas ob eandem rationem in donationum instrumentis prohibuisse mihi hic videtur Constantinus.

XIX. Ait Constantinus, non *per imperitos* debere talia instrumenta conscribi, qvia ex imperitiâ scribentium facilè error, præsertim in numeris, committi potest. Sed & *privatam* porrò prohibet scripturam, h. e. talem, qvæ, qvalis sit, ignoratur, qvæ in publicum non producitur conspectum, ut legatur. Poterit enim fortè domi intra privatos parietes conscribi, sed necesse deinceps est, ut coram testibus legatur; qvod perinde est, ac si scientibus plurimis conscriptum fuerit, uti hîc vult Imperator. Circa materiam, in qvâ scribatur, nullum omninò selectum haberi debere asserit, sed perinde esse, sive in tabulis, qvæ vel plumbeæ, vel ligneæ cerâ illitæ erant, sive in chartâ, sive in membranâ, sive in philyrâ, sive in qvo alio

alio corio, ſive in codicillis eboreis, qvæ ſpecies referuntur in *l. 52. ff. de leg. 3.* literis conſignetur. Add. Alexandr. ab Alexandr. *l. 2. gen. dier. c. 30.* Salmaſ. *de mod. uſur. c. 10.* Nec intereſſe ait, ſive ab ipſo donatore ſcribatur, ſive ab alio, qvem ſors miniſtraverit. Plerumqve tamen adhibebantur Notarii publici, ſive uti olim dicebantur, tabelliones, qvi circa privatorum conventiones & negocia verſabantur, eaqve in inſtrumentum publicum referebant & auctoritate donabant, *l. 21. C. ad L. Corn. de falſ. Novell. 44.* Add. Suidas *vocab.* ταβελλίων. Tandem ſcripturam iſtam *ſcientibus plurimis* fieri vult Conſtantinus. Qvæ qvidem verba ad caſum poſteriorem, qvando ab alio, non ab ipſo donatore, inſtrumentum conficitur, reſtringenda videntur, ne ſcil. fraus committatur, & donator ipſe circumveniatur; Sed enim, qvia in verbis ſeqventibus traditionis teſtes ex vicinitate & aliunde accitos reqvirit Legislator indefinitè, neqve hîc qvidem limitationem faciendam putem, qvandoqvidem hæc ejus intentio eſt, ut omnia apertè & teſtibus præſentibus agitari debere ſignificet. Qvæ omnia in donationibus Eccleſiæ factis accuratè obſervata fuiſſe, mox oſtendemus.

XX. *Sextum* ex conſtitutione Conſtantini reqviſitum eſt traditio, qvam *corporalem* eſſe jubet, i. e. ſi res mobilis ſit, ut donatario tradatur: ſi immobilis, ut abſceſſu domini donantis novo domino pateſiat. *Et corporalis*, inqvit, *traditio ſubſeqvatur, --- --- qvorum poſtea fide probabitur, donatam rem, ſi eſt mobilis, ex voluntate traditam donatoris: vel ſi immobilis, abſceſſu donantis novo domino pateſactam.* Et eſt qvidem iſtiusmodi traditio naturaliſſimus, ut ita dicam, modus transferendi dominii; ſed ea tamen præciſè neceſſaria non eſt, qvemadmodum nec ad acqvirendum dominium adeptio poſſeſſionis. Niſi ergò lex aliqva poſitiva traditionem corporalem præciſè exegerit, neceſſaria ea ad perficiendam donationem non erit. Qvam in rem optimè ſtatutum eſt in Legibus Wiſigothorum *lib. 5 tit. 2. c. 6. Res donatæ, ſi in præſenti traditæ ſunt, nullo modo repetantur à donatore. Qvod ſi etiam provenerit, ut qvod donatur, ſit longè poſitum, pro eo donatio evacuari non poterit: qvia tunc videtur vera eſſe traditio, qvando jam apud illum ſcriptura donatoris habetur, in cujus nomine conſcripta eſſe dignoſcitur.* Et ex hoc fundamento ab hoc Conſtantini reqviſito receſſit Eccleſia, nec corporalem ſemper exigit traditionem, ſed nec chartà tamen ſolà aut inſtrumento contenta eſt, ſed traditionem inſuper reqvirit, fictam tamen eam & ſymbolicam, qvæ traditionem veram repræſentet, uti ſuprà oſtendimus.

XXI. *Se-*

XXI. *Septimum* reqvisitum à Constantino M. præscriptum est, ut traditio fiat advocatâ vicinitate, & arbitris adhibitis, qvorum posteà fide probabitur, donationem verè factam, & per traditionem consummatam fuisse, ad excludendam scil. vim atqve irruptionem, ne donator posteà dicere possit, coactum se rem tradidisse. Ex viciniâ testes accersiri vult Constantinus, qvia scil. isti obvii sunt, & magis noti, & faciliùs corrogari aut in unum cogi possunt. Eosqve arbitros esse vult, h. e. speculatores aut spectatores, uti id vocabulum usurpatur à Plauto *in Mil. glor. act. 2. sc. 2. & in Aulul. act. 4 sc. 1.* Noviori Zenonis constitutione in *l. 31. C. de donat.* remissa est ista testium adhibendorum necessitas. Sed Ecclesia tamen retinuit, & adhibere solita est vel ipsos illos, qvi sunt de Ecclesiâ, vel etiam donatoris domesticos & familiares, eosqve numero qvandoqve haud exiguo.

XXII. *Ultimum* deniqve reqvisitum est, ut donatio apud acta insinuetur. Cujus insinuationis necessitas ideò inducta videtur, ut fraudibus occurreretur, qvæ scil. in fraudem sive legum sive Creditorum fieri possent. *l. 27. C. de donat.* Hæc solennitas, qvæ sine dubio acta magistratuum civilium subinnuit, in Ecclesiâ non videtur esse necessaria, tùm, qvia, qvod Ecclesiæ donatur, ex mente Canonistarum jurisdictione seculari eximitur, tùm qvia ipsa etiam Ecclesia acta habere creditur, ut adeò qvod Ecclesiæ in altari præsentibus sacerdotibus & aliis ministris oblatum est, actis Ecclesiasticis insinuatum meritò dici possit. Sic enim etiam circa manumissiones idem Constantinus *in l. 1. C. de his, qvi in Eccl. manum.* vice actorum esse dicit, si qvis in Ecclesiâ sub adspectu plebis, adsistentibus Christianorum antistitibus, interpositâ qvalicunqve scripturâ, servis suis libertatem donet.

XXIII. Hæc sunt solennia illa ex Constantini M. lege donationis reqvisita, qvibus addi potest, qvod instrumento tali nomen donatoris subscriptum fuerit, vel manu ipsius propriâ, vel si literas nesciret, alterius alicujus, qvi in præsentiâ testium id faceret, uti paraphrasin suam contexuit Anianus. Solebant etiam qvandoqve stipulationes interponi, & earum in subscriptione mentio fieri, qvalem formulam ex Justini ævo recenset Hieron. Bignon. ad Marculf. *lib. 2. cap. 4.* his verbis: *Huic cessioni atqve donationi à me factæ in beatissimo atq; Apostolico Viro sacerdote Ravennatis Ecclesiæ ad omnia, qvæ superius tenentur adscripta relegi, consensi, & subscripsi, & testes ut subscriberent, corrogavi, stipulantibus vobis, vir beatissime, & actoribus tuis in præsentiâ constitutis, in verbis solennibus spopondi.* Aliam similem à Josepho Maria Suaresio prolatam refert Fridericus Brum-

Brummerus *ad L. Cinc. cap. 14.* hunc in modum: *Hanc autem scripturam donationis Feliciano Notario meo scribendam dictavi, eiq; relecta à me sine dolo malo propriâ subscripsi, & gestis allegari propriâ voluntate mandavi, stipulantibusq; venerabili Viro presbytero, Diaconibus, universisque Clericis memorata Ecclesiæ de omnibus supradictis spopondi.* &c.

XXIV. Ut verò clariùs constet, qvibus solennitatibus instrumenta donationum in Ecclesiâ facta fuerint, qvantumqve Constantini Constitutio in praxi obtinuerit, non erit hîc alienum integram talem formulam ad verbum recensere, & talem qvidem, ex qvâ pleraqve illa, qvæ hactenus diximus, illustrari magis possint. Commodissima, nî fallor, erit illa, qvam refert Aubertus Miræus *in donat. Belg. lib. 1. cap. 36.* qvâ Mathildis Tusciæ & Lotharingiæ Ducissa varia Tusciæ & Liguriæ oppida Romanæ Ecclesiæ anno MLXXVII. à se data, petente Gregorio VII. Papâ iterum donat & confirmat. Ea in hunc modum concepta est:

" *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo secundo, qvintodecimo die Kalendas Decembris, indictione decimâ, tempore Domini Gregorii VII. Papæ in Lateranensi palatio, in capellâ S. crucis in præsentiâ Cencii Frangipane, Gratiani, Cencii Franculini, & Alberici de Petro Leone, & Benincasa fratris ejus, Uberi de Tusciâ & aliorum plurium.* "

" *Ego Mathildis DEI gratiâ Comitissa, pro remedio animæ meæ, & parentum meorum dedi & obtuli Ecclesiæ S. Petri per interventum domini Gregorii Papæ VII. omnia bona mea, jure proprietario, tàm qvæ tunc habueram, qvàm ea, qvæ in antea acqvisitura eram, sive jure successionis, sive alio qvocunq; jure ad me pertinent, & tàm ea, qvæ ex hâc parte montium habebam, qvàm illa, qvæ in ultramontanis partibus ad me pertinere videbantur, omnia, sicut dictum est, per manum domini Gregorii VII. Papæ, Romanæ Ecclesiæ dedi & tradidi, & chartulam inde fieri rogavi.* "

" *Sed qvia chartulâ nusqvam apparet, & timeo, ne donatio & oblatio mea in dubium revocetur, ideò ego, qvæ suprà, Comitissa MATHILDA iterum à præsenti die dono & offero eidem Romanæ Ecclesiæ per manum Bernardi Cardinalis & Legati ejusdem Romanæ Ecclesiæ, sicut in illo tempore dedi per manum domini Gregorii omnia bona mea, tàm qvæ nunc habeo, qvam, qvæ in posterum, DEO propitio, acqvisitura sum, & tàm eà, qvæ ex hac parte montium, qvàm in ultramontanis partibus habeo, qvam,* "

"*qvæ in posterum DEO propitio ac-* "*qvisitura sum alio qvocunq; jure,* "*pro mercede & remedio animæ meæ* "*& parentum meorum.*

" *Qvæcunq; autem ista mea bona* "*juris mei superiùs dicta, unà cum* "*accessionibus & ingressibus seu cum* "*superioribus & inferioribus suo-*"*rum, qvaliter suprà legavi, in inte-*"*grum, ab ea die in eàdem Ecclesiâ* "*dono & offero, & per præsentem* "*chartulam offertionis ibidem ha-*"*benda confirmo, insuper per cultel-*"*lum, festucam nodatam, gantonem* "*& guuasfcionem terræ, atq; ramum* "*arboris.* (qvia integram terrarum & bonorum universitatem donat, varia qvoqve & diversa symbola significantia adhibet, ne qvid non traditum dici qveat; barbara autem ista vocabula qvid denotent, non vacat nunc investigare.) *Et* "*me exinde foras expuli, garpivi,* " *& absentem me feci, & à parte* "*ipsius Ecclesiæ habenda reliqvi: fa-*"*ciendum exinde Papa, aut cui Pa-*"*pa illius Ecclesiæ dederit, à præsen-*"*ti die, qvicqvid voluerit, sine omni* "*meâ & heredum ac proheredum* "*meorum contradictione.*

" *Si qvid verò (qvod futurum esse* " *non credo) sive ego Comitissa* " *MATHILDA, qvod absit, aut* "*nullus de heredibus ac proheredibus* "*meis, seu qvalibet opposita perso-*"*na, contra hanc chartulam qvan-* *doq; offertionis ire, agere tentave-* " *rimus, aut tam per qvodvis ingeni-*" *um infringere qvæsierimus, tunc* " *inferamus ad illam partem, contra* " *qvam exinde litem intulerimus,* " *mulctam, qvod est pœna, auri opti-*" *mi libras mille, argenti pondera* " *qvatuor millia. Et qvod repetie-*" *rimus, vindicare non valeamus;* " *sed præsens hæc chartula offertio-*" *nis omnibus temporibus firma per-*" *maneat atq; persistat, & pergame-*" *nam cum atramentario de terrâ le-*" *vavi, paginam Gvidonis Notarii* " *tradidi, & scribere rogavi. In qva* " *subter confirmans testibus obtuli ro-*" *borandam. Actum Canusiæ feli-*" *citer . . . . .* "

MATHILDA, DEI gratia, "
si qvid est, in hâc chartâ à "
me facta . . . . . "
Ego Ardericus Judex interfui. "
Ego Ubaldus Judex interfui. "
Signum manu Attonis de Monte "
Barrazonis & Bonuicini "
de Canusia, Rogati testes. "
Ego Guido Notarius palatii, scri-"
ptor hujus chartulæ offer-"
tionis, post traditam com-"
plevi & dedi. "

XXV. Hæc est Mathildis illa, de qvâ Cosmas Pragensis in historiâ anni MLXXIII. *His diebus venerat Romam Mathildis potentissima domina, qvæ post obitum patris sui Bonifacii*

totius

totius Longobardiæ ſimul & Burgundiæ ſuſcepit regni gubernacula, habens poteſtatem eligendi & inthronizandi ſive eliminandi CXX. ſuper Epiſcopos. Hujus qvaſi propria domina ad nutum omnis Senatorius ordo parebat, & ipſe Gregorius Papa per eam divina & humana negocia diſponebat: qvia erat ſapientisſima conſiliatrix, & in omnibus adverſitatibus ſive necesſitatibus Romanæ Eccleſiæ maxima fautrix. Et hoc eſt inſtrumentum donationis ejus, de qvo tantæ deinceps inter Pontifices & Imperatores exſiterunt controverſiæ. Idqve ideò dignum, ut hîc legeretur, putavi, qvia ſummo cum artificio elaboratum videtur. Et ex ipſo tamen hoc artificio haud parum ſuſpectum redditur, præſertim, ſi verum eſt, qvod alii ſcribunt, teſtamento à Mathilde confecto bona iſta ad Eccleſiam Romanam perveniſſe, non per donationem inter vivos, qvalis in inſtrumento adducto continetur. Et qvomodò verò, qvæ bona ſua omnia & univerſa donavit, tàm gravem ſibi mulctam imponere poterit, ſi adverſus donationem qvicqvam molita fuerit, cùm nihil omninò in bonis ampliùs habeat? Qvæ ſanè non ſatis cohærent. Sed ego iſthanc controverſiam jam non diſcutio. Recenſere verò inſtrumentum illud ideò libuit, ut ſpecimen eſſet donationis, qvaliter ea ex præcepto Conſtantini, & præſcripto canonum expediri debuerit.

XXVI. Cæterùm qvia donatores maximè cavere ſolebant, ne qvid minùs perſpicuè dictum ſcriptumve eſſet, multâ ſæpè & inconditâ planè verborum catervâ, vocibus ſubinde iteratis atqve repetitis, & ſententiis ipſis in idem ſemper recurrentibus inſtrumenta conficiebant, dumqve perſpicui eſſe modis omnibus affectabant, hoc tandem obtinuerunt, ut non niſi cum faſtidio nonnullæ tales ſcripturæ hodiè legantur. Id verò ne fruſtrà dixiſſe videar, adſcribam ex Nicolai Camuzati *antiq. Tricasſin. p. 412.* initium, qvod habet primaria charta fundationis Eccleſiæ B. Mariæ de Lirego Tricasſinæ Diœceſis in hunc modum concepta:

In nomine DOMINI, „
Amen. ---- ---- Cùm nos volentes, „
& intendentes divinum ampliare „
cultum, & ipſum divinum cultum, „
augmentando qvandam Eccleſiam, „
ſive capellam ad honorem ſummæ & „
individuæ Trinitatis & glorioſisſimæ & intemeratæ Dei ac Domini, „
noſtri Jeſu Chriſti genitricis Virginis Mariæ, & potisſimè ac ſpeciali „
ter annunciationis Dominicæ de bonis noſtris temporalibus propriis à „
DEO & Domino noſtro Jeſu Chriſto, „
nobis collatis, in noſtro ſolo & patrimonio proprio in villâ noſtrâ de, „
Lyreyo prædicto ob noſtræ parentumqve, amicorum & benefactorum, „
noſtrorum & aliorum, qvibus tene- „

"mur ac teneri possumus, ad perpe-"tuam rei memoriam remedium ac "salutem animarum construxerimus "& fundaverimus, ac construi & "fundari fecerimus. Noverint uni-"versi suprà dicti, qvod nos nostro "& heredum ac successorum nomi-"ne ac pro nobis & iisdem heredi-"bus & successoribus nostris, & ob no-"stra parentumqve, amicorum & be-"nefactorum nostrorum, ac illorum "omnium & singulorum, qvibus te-"nemur & teneri possumus qvoqvo "modo animarum remedium & sa-"lutem dictam Ecclesiam sive capel-"lam nostram coram Notario sive "Tabellione publico, tanqvam coram "persona publica & testibus inferiùs "nominatis dotavimus, & ex nunc "inantea dotamus perpetuo, ac etiam "dotavisse per præsentes confitemur "spontaneè, non coactè, scienterq; & "providè, absqve vi, metu, fraude vel "dolo, sed ex nostrâ merâ liberali "tate voluntateqve & donatione, ac "maturo & deliberato proposito, in-"tervenientibus in hâc parte de du-"centis & sexaginta libratis terræ seu "annui & perpetui reditus exitusqve "& proventus Turonens. parvorum "seu ad parvos Turonenses per nos "aut heredes vel successores seu exe-"cutores nostros erga & per illustris-"simum ac Serenissimum Principem "D. nostrum D. Regem Franciæ & "alios qvoscunqve, à qvibus fuerint "admortisandæ bonorum nostrorum propriis sumptibus & expensis ci-" tiùs qvàm commodè fieri potuerit," admortisandis & admortisari pro-" curandis in eo casu videlicet, in qvo," nos ad vitam nostram ac nobis a-" gentibus & viventibus in humanis," ipsas ducentas & sexaginta libratas," terræ seu annui & perpetui reditus," exitusqve & proventus erga & " per D. Regem prædictum aliosqve, à" qvibus admortisandi fuerint, ut" præfertur, non procuraremus ad-" mortisari. Qvas qvidem ducen-" tas & sexaginta libratas terræ seu" annui & perpetui reditus, exitus-" qve & proventus dictorum parvo-" rum tur. admortisandorum & ad-" mortisari procurandorum ob divi-" ni cultûs augmentum & ex causâ," prædicta Ecclesiæ sive capellæ no-" stræ, ac Decano & Capitulo seu Ca-" nonicis ipsius Ecclesia, de qvibus in-" feriùs fit mentio, ab eorum succes-" soribus in eâdem Ecclesiâ sive ca-" pellâ nostrâ per nos ac heredes &" successores nostros ponendis & in-" stituendis, & qvi in ipsâ Ecclesiâ," sive capella nostrâ temporibus suc-" cessivis fuerint instituti, sponta-" neus non coactus, ut suprà mit-" titur, coram prædicto Notario seu" tabellione publico, tanqvam coram" personâ publicâ & testibus scriptis," dedimus, donavimus, contulimus," concessimus dimisimusqve ac in per-" petuum qvittavimus, & ex nunc" inantea perpetuis temporibus da-" mus,

"mus, donamus, conferimus, con-"cedimusqve, dimittimus, ac qvitta-"mus, ac nos dedisse, donavisse, con-"tulisse, concessisseqve & perpetuò "qvittavisse per præsens confitemur, "donatione, concessione ac qvitta-"tione perpetua & irrevocabili fa-"cta inter vivos sine spe seu inten-"tione donationem concessionemqve "& qvittationem perpetuam hujus-"modi inposterum aliqvaliter revo-"candi seu repetendi vel etiam re-"clamandi eisdem Ecclesiæ seu ca-"pellæ nostræ, ac Decano & Capitu-"lo, seu Canonicis ipsius Ecclesiæ, qvi "pro tempore fuerint, ut præfertur, "ac suis successoribus melius & uti-"lius, qvam fieri valebit, perpetuis "temporibus convertendi, applican-"di, assignandiqve & assedendi in "dotem prædictam ab eisdem Deca-"no & Capitulo seu Canonicis di-"ctæ Ecclesiæ nostræ, qvi pro tem-"pore fuerint successivo, levandi, "percipiendi, recolligendi obtinen-"diqve & habendi, ac inter ipsos dis-"tribuendi, prout inferiùs videbi-"tur declaratum integraliter ac ad "plenum singulis annis perpetuo in "ac super omnibus & singulis annis "qvibuscunq; fructibus, exitibus, re-"ditibus, proventibus, juribus, ob-"ventiis & reditibus perpetuis qva-"libuscunqve dictis ac nuncupatis o-"mnium & singulorum qvorumcunq; "hereditagiorum nostrorum ac to-"tius terræ nostræ atq; nostri patri-monii in qvibusvis locis rebusve &" bonis situantur & existant, sub ta-" men modis conditionis & formis in " feriùs declaratis ac etiam annota-" tis, videlicet in eo casu, in qvo nos" dictas 200. & 60 libratas terræ seu" annui perpetui reditus exitusqve &" proventus alibi, qvam super dictis" fructibus, reditibus, proventibus," juribus, obventibus & rediventiis" dictæ terræ nostræ ac dictorum no-" strorum hereditagiorum prædicti no-" stri patrimonii dictæ Ecclesiæ seu " Capellæ nostræ ac Decano & Capi-" tulo sive Canonicis ejusdem non as-" signaverimus & assederimus, seu non" duxerimus assignandas ac etiam" assedendas, qvod nobis & penes nos" tenore præsentium retinemus ac et-" iam reservamus &c. &c. "

XXVII. Sed desino ineptias producere longiùs, qvarum vix qvartam partem enumeravi. Totum enim instrumentum verborum turbam magnitudine inani vastam, & meram sententiarum ineptissimè repetitarum colluviem continet, ut mirer, jam eo tempore, (conscriptum autem id dicitur anno 1353.) in loqvacitatem istam indisertam adeò projectos fuisse formularum conscriptores. Esse autem istum totum contextum ab Notarii manu, ipsa ejus confessio & subscriptio indicat. Idqve genus hominum in dilatandis sententiis & variis ad superstitionem usqve

concinnandis clausulis valdè operosum esse, qvotidiana docet experientia: qvos proinde plurimos picæ & psittaco similes esse haud insubidè dixit non nemo, apud Ventur. de Valentiis *in Parthen. litigios. lib. 1. cap. 9. n. 36.* Qvantò brevius verò tota ista donatio olim ab Romano aliqvo concepta fuisset! & qvantò satius fuisset clarè & perspicuè mentem donatoris exprimere, qvàm sub tot verborum involucris & distortis ligaminibus intentionem ejus in longum & prolixum sermonem extendere! Sed enim ita fieri volunt, qvi formulis dominantur, qviqve clausulas, qvas ipsi sæpè non intelligunt, penè innumeras, veluti amuleta qvædam instrumentis subinde inserunt, qvos abundare suo sensu haud inviti patimur.

XXVIII. Porrò ne qvisqvam infringere aliqvando id, qvod gestum esset, aut violare donationem factam conaretur, solebant plerumqve diras imprecari, atqve immanes execrationes conjicere in eum, qvi tale qvid ausus fuerit, qviqve in alios usûs, qvod Ecclesiæ donatum est, converterit. Nec enim pecuniariam tantùm pœnam chartarum sive instrumentorum sanctionibus addere usitatum erat, sed æternam etiam temeratoribus intercludere salutem per horrendas qvasdam imprecationes intendebant. Memorabile & plus cæteris afficiens in hanc rem testimonium adscribam ex testamento Willelmi, cognomento pii, Arvernorum Comitis, & Ducis Aqvitanorum, de constructione Cluniacensis loci, qvod dirissimis hisce diris & imprecationibus communivit: *Si qvis fortè, qvod absit, & qvod per,, Dei misericordiam & patrocinia,, Apostolorum evenire non æstimo, vel,, ex propinqvis vel extraneis, vel,, ex qvâlibet conditione, sive potesta-,, te, qvalicunqve calliditate contra hoc,, testamentum, qvod pro amore DEI,, omnipotentis ac veneratione prin-,, cipum Apostolorum Petri & Pau-,, li fieri sancivi, aliqvam concussio-,, nem inferre tentaverit, primùm,, qvidem iram omnipotentis DEI in-,, currat, auferatqve DEUS partem,, illius de terrâ viventium, & deleat,, nomen ejus de libro vitæ, fiatqve pars,, illius cum his, qvi dixerunt Domi-,, no DEO, recede à nobis, & cum,, Dathan & Abiron, qvos terra aper-,, to ore deglutivit, & vivos infernus,, absorbuit, perennem incurrat da-,, mnationem. Socius qvoqve Judæ,, Domini proditoris effectus æternis,, cruciatibus retrusus teneatur, & ne,, ei in præsenti seculo humanis oculis,, impunè transire videatur, in corpo-,, re qvidem proprio futuræ damna-,, tionis tormenta experiatur, sorti-,, tus duplicem direptionem cum He-,, lio-*

"*liodoro & Antiocho, qvorum alter "acris verberibus coërcitus vix se-"mivivus evasit; alter vero nutu su-"perno percussus putrescentibus mem-"bris & scatentibus vermibus miser-"rimè interiit: cæterisq; sacrilegiis, "qvi ærarium domus Domini teme-"rare præsumpserunt, particeps exi-"stat, habeatq; nisi resipuerit Archi-"clavum totius Monarchiæ Ecclesia-"rum juncto sibi Paulo obstitorem, "& amœni paradisi aditus contra-"dictorem, qvos si vellet, habere po-"terat pro se piissimos intercessores. "Secundùm mundialem verò legem, "his, qvibus intulerit calamniam, cen-"tum auri libras, cogente judiciariâ "potestate compulsus exsolvat, & "congressio illius frustrata nullum "omninò obtineat effectum. &c.*

XXIX. Alia similis, sed brevior extat in eàdem Bibliothecà Cluniacensi *fol. 1435.* ubi Aldefonsus Rex Hispaniæ, dum Ecclesiæ Cluniacensi Ecclesiam B. Mariæ de Nazara concedit, instrumentum donationis his "verbis concludit: *Si qvis autem "hujus rei temerator aut contemptor "existere voluerit, excommunicatus "& anathematizatus æternæ damna-"tioni subjaceat condemnatus, & à "mala morte percussus, sanctam Ma-"riam & omnes DEI electos hìc & "in futuro sentiat sibi contrarios, atq; "in inferno inferiori Judam tradito-rem habeat consortem, & diabolum,, consolatorem, inceptum suum irri-,, tum maneat. Ille autem pro inqvie-,, tudine scelerata mille talenta auri,, regiæ parti persolvat & damnum ,, in duplum prædictæ Ecclesiæ resti-,, tuat.* ,,

XXX. In diplomate Henrici IV. Imperatoris, qvo monasterium Hirsaugiense per Adalbertum Comitem de Calwe restauratum confirmatur, diræ hæ leguntur voces: *Si fortè qvispiam Regum vel poste-,, rorum ejus, seu qvarumcunqve ho-,, mo personarum, qvod absit, testa-,, mentum hoc ullo ingenio infirma-,, re vel infringere præsumpserit, ,, --- --- observat Comes idem & ,, omninò testificatur Apostolicum ,, Pontificem per CHRISTVM & ,, per S. Petrum Apostolum & S. Au-,, relium Episcopum & per omnes ,, Sanctos DEI, & per tremendum ,, judicii diem, ut illum DEI & San-,, ctorum ejus contemptorem, & te-,, stamentariæ hujus conscriptionis de-,, structorem, nisi resipuerit, tradat ,, omninò Satanæ & anathematizet ,, eum ac prophanet à consortibus & ,, filiis Ecclesiæ sanctæ DEI & here-,, dibus vitæ æternæ, ut & auferat ,, DEUS memoriam illius de terrâ ,, viventium & deleat nomen ejus de ,, libro vitæ, ut & cum Dathan & ,, Abiron, qvos terra aperto ore ,, deglu-*

"*deglutivit, & vivos infernus absor-*"*buit, perennem incurrat damnatio-*"*nem. Et ut Herodis, Pilati & Ju-*"*dæ socius factus in æternum discru-*"*cietur, & cum Sodomitis & Gomor-*"*ris ignis & sulphuris imbres hic ex-*"*periatur, & Heliodori plagas & *"*verbera hic perpetiatur, & Antio-*"*chi tormentis, vermibus scil. scatu-*"*riens, & cum fœtore computrescens *"*miserrimè conteratur. Et nisi re-*"*sipiscat, Petrum Regni cœlorum ar-*"*chiclavigerum cum S. Aurelio & to-*"*ta cœlesti militia portæ Paradisi ob-*"*stitorem habeat in æternum.* &c. Diploma integrum extat apud Martinum Magerum à Schonberg *de advocat. arm. c. 9. post n. 625.*

XXXI. Inter antiqvitates Tricassinas plurimæ tales in instrumentis illic recensitis inveniuntur formulæ: " *Si qvis qvod fieri non credimus de* "*heredibus vel proheredibus nostris* "*contra hanc epistolam donationis* "*insurgere conatus fuerit, inprimis* "*vitâ propriâ careat, atq; cum stir-*"*pe suâ captivus ---- ---- & sic ut* "*Sodoma & Gomorrha in præsenti* "*seculo percussa est, similiter percu-*"*tiatur potestas & habitatio ipsius.* "Alibi: *Si qvis autem successor no-*"*ster tactu invidiæ inflammatus hoc* "*opus pietatis & misericordiæ, qvod* "*à nobis constitutum est, destruere* "*voluerit, sit alienus à Christo, & re-*"*surgens in judicio, duplici contri-tione, corporis, conteratur & anima.*" Et rursus alibi: *Si qvis autem con-trarium hujus institutionis attenta-re præsumpserit, vel ipsam aliqvo mo-do mutare voluerit, militantis Ec-clesiæ tanqvam aridum membrum sine gratia cœlestis humore seqve-stratus corporaliter pereat, & nisi motum malæ voluntatis ad petram Christum pœnitens alliserit, trium-phantis Ecclesiæ gloriâ privatus per-petuæ damnationis tormento subja-ceat.*"

XXXII. Tales formulas plures refert Joh. Hoornbeek *in exam. bull. Innocentii X. p. 163. seq.* inter qvas maximè terribiles sunt istæ: *Qvi secus fe-cerit, portionem habeat cum Da-than & Abiron, ne remittatur ei peccatum, nec in hoc seculo, nec in futuro. Fiat, fiat.* Item: *Si qvis in-fringere hanc donationem voluerit, tremendo DEI judicio se sciat subja-cere, & nisi pœnituerit, non solùm pro suis, sed etiam pro alienis rea-tibus, inferni pœnas subire.* Item: *Si qva persona hanc nostræ Constitutio-nis paginam sciens, temerè eam in-fringere tentaverit, secundo tertio-ve commonita, si non satisfactione condigna emendaverit, potestatis ho-norisq; sui dignitate careat, reáq; se divino judicio de perpetua iniqvitate cognoscat, & à sanctissimo corpore Dei ac Domini Redēptoris nostri Je-su Christi aliena fiat, atq; in extremo examine districtæ ultioni subjaceat.*"

Et

Et memini ego, in testamento nonneminis legisse me adscriptum integrum Psalmum CIX. qvi tot imprecationibus & execrationibus refertus est, ut teneræ mentes ad ipsarum auditum meritò exhorrescant, earumqve fulmina deprecentur, & longissimè à se esse velint.

XXXIII. Aliqvando verò inter comminationes sola temporalis aliqva pœna, & utplurimùm mulcta pecuniaria temeratoribus denunciata in instrumento fuit, in hunc ferè mo-"dum: *Si qvis verò, qvod futurum es-"se non credo, ego ipse aut aliqvis de "heredibus meis, seu qvælibet ulla op-"posita persona, vel qvi contra hanc "traditionem venire temptaverit, "aut eam infrangere voluerit, tunc sit "culpabilis ad ipsum monasterium du-"plum, qvantum traditio ista continet, "& in fisco auri uncias III. & argenti "libras V. coactus exsolvat* &c. Qvales formulæ haud paucæ reperiuntur apud Goldast. *antiq. Alamann. tom. 2. part. 1. n. 36. seqq.* Et vereor ego, ut inter Christianos excusari execrationes & imprecationes supra memoratæ satis qveant. Vid. Andr. Rivet. *in Psalm. XL, vers. 16.* qvanqvam negare nolim, permittere sæpè DEUM, ut effectu suo non careant ejusmodi imprecationes.

XXXIV. Tandem in majorem rei fidem etiam sigilla imprimebant, idqve se facere ipso in instrumenti contextu profitebantur, hunc fere in modum: *Hanc itaq; autoritatem, ut tàm nostris, qvàm successorum nostrorum temporibus inviolabilem obtineat firmitatem, manu propriâ subtus firmavimus, & sigilli nostri impressione jussimus roborari.* Sive etiam hoc modo: *Ac ut hæc traditionis nostræ concessio firmiorem in Dei nomine obtineat vigorem, veriusq; per succedentium curricula temporum ab omnibus credatur, inviolabiliterq; servetur, ac incorrupta jugiter perduret, manus nostræ scripto istud firmavimus, & annuli nostri impressione jussimus corroborari.* Sive: *Ut autem prædicta perpetuò măneant inconcussa, præsentem chartam sigillo nostro fecimus roborari.*"

XXXV. Subscripsérunt & obsignárunt insuper qvandoqve testes in eam rem invitati, & aliqvando qvidem benè multi, qvod exinde majorem instrumento accedere fidem putarent. Dixi, *qvandoq;* obsignasse testes, h. e. sigillo munivisse. Non enim obsignárunt semper, sed signárunt tantùm, h. e. subscripserunt, significatu vocabuli signandi planè singulari, & uti in medio ævo usitatum fuit. Etsi enim puriore Latinitatis seculo signum & sigillum idem prorsus significarent, seqvioribus tamen temporibus distingvi cœperunt, ita ut signum, ipsum nomen subscriptum, sigillum, cha-

racterem impressum denotaret. Plerumqve verò eo tempore & sigillum suum instrumentis adpendebant & signum simul, i. e. nomen subscribebant. Nec tamen ex vocabulo *signi* obsignatio semper colligi potest. Ut maximè enim testium nominibus præfixum inveniatur vocabulum *Signum* hoc modo: *Signum Wigonis*, *Signum Rataldi*, *Signum Rumberti &c.* vel per notam hoc modo: *S. Wigonis*, *S. Rataldi*, *S. Rumberti*, non tamen inde protinus inferre licet, testes etiam sigilla sua adposuisse, qvia signum aliqvando idem fuit, qvod nomen, uti observat Claud. Salmas. adversus Herald. *de subscr. & sign. testam. cap.* 24. De more & modo signandi apud Veteres usitato consuli potest idem Salmasius *de mod. usur. cap.* 11. Et memorabile est, qvod ex antiqvo diplomate, seculo undecimo conscripto, notat Collector antiqvitatum Britannicarum, qvas evulgandas curavit Matthæus Parkerus Cantuariensis Archi-Episcopus, *in vitâ Anselmi*, dum ait: *Magnum Regis sigillum, qvod nunc in fine diplomatum adpendi solet, in hoc antiqvo diplomate ad modicam membranæ partem paulum extensam & excisam ex diplomatis sinistro latere adhæret. Sigilla verò antiqvitùs diplomatibus suis Reges non adpendebant, qvod tamen ab Edwardo Regum Angliæ primo inductum fuit, qvi chartis suis ad veritatis testimonium ceram impressam adpendebat.* Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

CAPUT XI.

De

Fine dotis Ecclesiasticæ.

SUMMARIA.

Penes qvos dominium bonorum ecclesiasticorum primis Ecclesiæ nascentis temporibus fuerit; qvibus administratio eorum commissa, & in qvos usus ea distributa? n. 1.

Rationem vitæ communis Christianorum sub Apostolis primùm cœpisse, eôd.

Utilitas istius vitæ & contraria, n. 2.

Inter ipsos etiam Apostolos alqvando exortam fuisse litis materiam; Et Apostolos στύλους mundi & Ecclesiæ dictos esse, eôd.

Propter

Propter immensas contentiones plerumq; rem ad divisionem pervenire, & primam illam Christianorum communionem non adeò diuturnam fuisse, eôd.

Propter penuriam etiam ingentem brevi pòst in Ecclesia existentem, & qvòd nec suffecerint precia ex venditione bonorum immobilium accepta ad alendum tantum fidelium numerum, qvotidiè magis excrescentem, communionem istam Ecclesiæ non usqveqvaqve proficuam fuisse, n. 3.

Verba Chemnitii eam in rem, eôd.

Qvousqve in Ecclesia communio exercita fuerit? n. 4, 5.

Urbanus I. Papa qvando vixerit? Et de epistola ipsius, qvam ad omnes Christianos edidit, eôd.

Institutum istud, qvô prædia ab Ecclesia retenta, & proventus eorum distributi fuerunt, cui adscribi debeat? eôd.

Integris adhuc seculis post Urbanum obtinuisse communionem inter Clericos, num. 5.

Verba Augustini de colenda à Clericis communione, eôd.

Num Augustinus commune istud vivendi institutum tantùm continuârit, an collapsum penitus & extinctum in usum revocârit? n. 6.

Augustino primam Canonicorum Regularium originem tribuere hodiè plerosq; omnes, eôd.

Verba Possidii in eam rem, eôd.

Ordinem ab Augustino institutum etiam à puriore instituto multum deviâsse, procedente tempore, & regularis vitæ communitatem abjecisse, eôd.

Canonicorum species duæ, n. 7.

Divisio universorum redituum ecclesiasticorum qvando cœperit, & qvomodo fieri debuerit? n. 8, 9, 10, 11, 24.

Principalis & primarius dotis constituendæ finis, n. 11. 27.

Divisio in qvatuor partes in qva Ecclesia primùm cœperit? n. 12, 13.

Eam etiam in Germania receptam fuisse, n. 13.

Num in Galliis qvoq; eadem observata fuerit, n. 14.

Qvalis divisio & distributio in Hispaniâ recepta? n. 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21.

De divisione alia in tres partes in Hispaniæ Regno introducta, pecuniæ scil. ex collatione piorum diebus festis communicationis tempore in Ecclesiis collectæ, n. 22.

Num exclusi fuerint pauperes in Hispania, ut nulla illis perinde, ut in Italicis, Germanicis & Gallicis Ecclesiis, destinata fuerit portio? Et qvibus cura eorum incubuerit? n. 23.

Res Ecclesiæ patrimonia pauperum appellari, eôd.

de

Isti rei deinceps Oeconomos præfectos esse, qvi sub directione Episcopi bona Ecclesiastica administrarent, deq; illis stato tempore rationes redderent; Et ex qvibus causis hoc factum sit? eód.

Qvàm multa ab eo tempore Oeconomorum Ecclesiasticorum passim mentio fiat, etiam in legibus Imperatorum, n. 41.

Opinio Claudii Espencæi, Oeconomos diaconis fuisse substitutos tunc, cùm sacris magis, qvàm profanis mensis ministrare cœpissent, eód.

Magnam fuisse postea Oeconomorum autoritatem, eód.

ὁ μέγας οἰκονόμος qvis sit Georgio Codino Curopalatæ? eód.

Verba Jacobi Gretseri in appellationem τοῦ μεγάλου, eód.

Imitationis φιλοτιμίας Græcorum in Qvæstoribus hodiernis taxatio, eód.

In Occidentali etiam Ecclesia seqvioribus temporibus vocabulum & officium Oeconomi additamentum accepisse, eód.

De Vicedominis, n. 42, 43.

Episcopium qvid sit? iisdem.

Qvæ differentia sit inter Oeconomum & Vicedominum? iisdem.

Qvi sint sex Episcopi circa latus Pontificis agentes, & qvi κατ' ἐξοχὴν Vicedominorum appellationem habuerint? n. 43.

Vicedomini unde dicantur? ibid.

Summa eorum, qvæ hactenus collecta, n. 44.

Finem constitutæ dotis ecclesiasticæ ultimatò in pietatem & charitatem Christianam resolvi, ut & Deo & proximo inserviatur, in qvibus duobus totus divinus cultus consistat, eód.

Deum non amare sincerè, qvi pauperi denegat, qvem præbere potest, cibum & vestitum, eód.

Deum conjunctim exigere utrumqve, amorem sui, & hunc qvidem principaliter, & amorem proximi, neutriqve satisfacere, qvi alterutrum negligit, eód.

Num Deo aliqvid dari possit, & qvaliter id, qvod datur, ab ipso æstimetur? eód.

Utrùm, & qvibus casibus, in alios usus, qvàm qvibus ab initio destinata fuerunt, converti qveant bona ecclesiastica? eód.

Qvàm liberales majorum ætate ex superstitione homines fuerint tùm in dotibus Ecclesiæ constituendis, tum in donationibus superadditis;

f Et

Et per qvas artes Clerici & monachi integras qvandoq; hereditates plurimaq; alia bona acqvisiverint? n. 45.
Instrumenti cujusd. eam in rem recitatio, n. 46.

PRimis Ecclesiæ nascentis temporibus omnium bonorum Ecclesiasticorum dominium penes totam erat Ecclesiam, id est, penes omnes Christianos, qvi in unum cœtum conveniebant. Horum administratio Diaconis & subdiaconis, aliqvando etiam certis in eam rem constitutis Oeconomis commissa erat, inspectione tamen Episcopis & Sacerdotibus relictâ, ut ea in victum ministrorum, viduarum, infirmorum, pauperum, in educationem puerorum, & adolescentum, in hospitalitatem, redemptionem captivorum aliaqve opera pia distribuerent. Ratio ejusmodi vitæ communis sub Apostolis primùm cœpit, qvibus oppidò gratum atqve jucundum erat, audire, qvòd multitudinis eorum, qvi crediderant, cor & anima una esset, qvòdqve nemo qvisqvam aliqvid eorum, qvæ habeat, suum esse diceret, sed omnia eis essent communia. *Act. IV, 32.*

II. Et poterat qvidem iste vivendi modus Christianam charitatem & mutuam dilectionem summopere commendare, cultusqve divini specimen valde illustre tàm Judæis qvàm Gentilibus exhibere, nisi ipsos illos, qvi in tali communione vivebant, incesissent mox contentiones, æmulationes, excandescentiæ, rixæ, obtrectationes, seditiones, & alii dissensionum fomites, qvales in Corinthiis suis extitisse, haud obscurè prodit Paulus *2. Cor. XII, 20.* & *1. Cor. I, 11.* Adeò verum est, qvod veluti oraculum qvoddam ex Græcorum versibus laudat Antonius Mornacius *ad l. 25. ff. de serv. urb. præd.*

πλεῖσαι ἐπεὶ ἔριδες, μίση, ἐχθραί τε κρυφαῖαι
Καὶ ὀλιγορεέων ἄλλος πολὺς ἀλλοπρόσαλλος
Οἷς τύχεν ἐν ξενετῷ τ' ὄικῳ, καὶ δαιτὶ γενέσθαι.

Plurimæ enim contentiones, odia, inimicitiæq; latentes
Et contemptuum multitudo plurima huc illuc desiliens
Eis incidit, qvi communi & domo & mensâ utuntur.

Ut

Ut taceam jam, inter ipsos etiam Apostolos, qvi στύλοι mundi & Ecclesiæ dicebantur, uti notat Patritius Junius *in not. ad Clementis epist. pag. 8.* exortam aliqvando fuisse litis materiam. Uti igitur propter immensas contentiones plerumqve res ad divisionem pervenit, *l. 26. ff. de S. P. U.* ita credibile est, primam illam Christianorum communionem non adeò diuturnam fuisse, qvippe qvam conditio humana pati vix potest, & qvam vix ferre possunt hodiè angusta illa ascetarum sodalitia.

III. Fuit enimverò etiam ex alio fundamento communio ista Ecclesiæ non usqveqvaqve proficua, qvòd brevi post ingens penuria in eâdem existeret, nec sufficerent precia ex venditione bonorum immobilium accepta ad alendum tantum fidelium numerum, qvi qvotidiè, magis excrescebat. *Notabile est*, inqvit B. Chemnitius *part. 2. Loc. de paupertate. pag. 157. institutum illud, licet bonâ intentione, nec impiâ opinione susceptum, qvia non habebat verbum DEI & mandatum, non usq; adeò feliciter cessisse. Illis enim, qvæ in commune collata erant, citò consumptis, magna & periculosa egestate pressa est Ecclesia Hyerosolymitana, ita ut Paulo & aliis Apostolis valde multum exhiberetur negocii, in colligendis eleemosynis in Ecclesiis aliis, pro sustentatione pauperum sanctorum Hierosolymis. Et hoc exemplo admoniti, postea nec instituerunt, nec consuluerunt talem communionem inter gentes, imò ne in Judeâ qvidem.*

IV. Qvousqve verò in Ecclesiâ communio ista exercita fuerit, dicere non ausim. Si credendum Urbano Papæ I. eo tempore, qvos is epistolam ad omnes Christianos edidit, cujus fragmenta leguntur apud Gratianum *c. scimus. & c. videntes. 12. q. 1.* nondum illa fuit dissoluta, sed inviolabiliter custodita. Sic enim ait: *Scimus vos non ignorare, qvia hactenus vita communis inter bonos Christianos viguit, & adhuc gratiâ DEI viget, & maximè inter eos, qvi in sortem Domini sunt electi, id est, Clericos, sicut in Actibus legitur Apostolorum*, &c. Vixit autem Urbanus ille circa annum CCXXVII. Sed ipsam totam Epistolam commentitiam, & ex Prosperi, Gregorii, Eusebii Gallicani, Concilii Parisiensis sub Gregorio IV. & Codicis Theodosiani sententiis consarcinatam esse, eruditè ostendit David Blondellus *in Pseudo Isidoro.* Et imò patet ex verbis seqventibus, recessum hactenus fuisse à communione primæva, ita ut non venderentur amplius prædia, sed in Ecclesiæ patrimonio retinerentur, & ex fructibus alimenta fidelibus præstarentur. Sic enim ait porrò: *Videntes ergò Sacerdotes summi, & alii atqve Levitæ, & reliqvi fideles, plus utilitatis posse afferre, si hereditates, & agros,*

gros, quos vendebant, Ecclesiis, quibus præsidebant Episcopi, traderent, eò quod ex sumptibus eorum tàm præsentibus, quàm futuris temporibus, plurima & elegantiora possent ministrare fidelibus communem fidem ducentibus, quàm ex precio eorum; cœperunt prædia & agros quos vendere solebant, matricibus Ecclesiis tradere, & ex sumptibus eorum vivere. Et his verbis videtur institutum istud, quod prædia ab Ecclesiâ retenta, & proventûs eorum distributi fuerunt, non ipsi Urbano, quod post Baptistam Platinam Jacobus Revius & alii *in ipsius vitâ* referunt, sed aliis ejus Antecessoribus adscribi debere.

V. Quòd verò in ordine Clericorum communionem istam maximè observatam scribit Pseudo-Urbanus, id multis pòst annis & integris adhuc seculis obtinuit. Subdubitat utique Augustinus, qui seculo V. vixit, *in serm. de communi vitâ Cler.* apud Gratian. *c. nolo. 12. q. 1.* utrum verè clericus sit ille, qui non vivit in communi, & annon clericatum auferre deberet illis, qui vitam ejusmodi vivere nollent. *Qui habuerit proprium*, inquit, *vel habere voluerit, & de proprio vivere, & contra præcepta ista facere, parum est, ut dicam, non mecum manebit: sed nec Clericus erit. dixeram enim, & scio, me dixisse, ut si nollent suscipere etiam socialem vitam mecum, illis non tollerem clericatum, sed seorsum manerent, seorsum viverent. -- -- Qui non vult mecum manere & in communi vivere, habeat libertatem: sed videat, utrum habere possit felicitatis hereditatem.* Add. ejusdem Augustini ulteriorem declarationem apud eundem Gratianum *c. certè. 12. q. 1.* Et in concilio Turonensi III. quod anno DCCCXIII. tempore Caroli M. habitum fuit, *can. 23.* hoc factum est decretum: *Canonici & Clerici civitatum, qui in Episcopiis conversantur, consideravimus, ut in claustris habitantes simul omnes in uno dormitorio dormiant, simulq; in uno reficiantur refectorio, quo faciliùs possint ad horas canonicas celebrandas occurrere, ac de vitâ & conversatione suâ admoneri & doceri. Victum & vestimentum juxta facultatem Episcopi accipiant, ne paupertatis occasione compulsi, per diversa vagari, ac turpibus se implicare negotiis cogantur: dimissoq; Ecclesiastico officio, incipiant indisciplinatè vivere, & propriis deservire voluptatibus.*

VI. Sed enim commune istud vivendi institutum non tàm continuasse, quàm collapsum penitùs & extinctum in usum revocasse videtur Augustinus, cui ipsi primam Canonicorum Regularium originem tribuunt hodiè plerique omnes. *Factum enim is presbyter* (verba sunt Possidii *in vit S. Augustin. c. 5.*) *monasterium intra Ecclesiam mox instituit, & cum DEI servis vivere cœpit,*

secundum modum & regulam sub sanctis Apostolis constitutam: maximè ut nemo qvidqvam proprium in illa societate haberet, sed eis essent omnia communia, & distribuerentur unicuiqve, prout cuiq; opus erat. Qvod jam ipse prior fecerat, dum de transmarinis ad sua remeasset &c. Hac ratione novum qvasi ordinem instituit Augustinus, ad ideam pristinæ communionis, ab Apostolis comprobatæ, sed qvi ipse deinceps â puriore instituto nimium qvantum deviavit, & strictioris vitæ regulam plane irregularem fecit. Procedente enim tempore plures Ecclesiæ divitiarum copiâ oneratæ & pietate defectæ, diversis qvidem temporibus, sed uno impietatis spiritu regularis vitæ communitatem abjecérunt, ut loqvitur Abbas Trithemius *in Chronico Hirsaugiensi ad ann. 975.*

VII. Et qvia adeò ex permissione Augustini liberum fuit Clericis, vel illam, qvam proposuerat ipse, vitæ communionem amplecti, vel seorsim manere & seorsim vivere, non male duas inde Clericorum species ortas dicit Franciscus Florens *ad c. 9. X. de vit. & honest. Cler.* alteram eorum, qvi Canonicorum regularium nomen meruérunt, & alterum eorum, qvi simpliciter Canonici dicti sunt. Sed profectò ultimi isti adeò irregulares facti sunt, ut meritò inter Politicos nunc disputetur, utrum Collegium Canonicorum ordinis Ecclesiastici, an politicæ societatis species dici debeat. Vid. Jac. Lampad. *de Rep. Rom. Germ. part. 3. c. 11. num. 47.* Canonicum utiqve secularem, uti vocari solent, qvi sunt ex secundo ordine, monstrum sine exemplo, regularem sine regulâ, canonicum sine canone optimè dixit Albertus Cranzius *metrop. lib. 4. cap. 1.* Add. Andr. Rivet. *in animadvers. ad Hug. Grot. annot. in G. Cassandri consult. artic. 25.*

VIII. Ut maximè verò Clerici vel ante, vel etiam post Augustinum communi uterentur convictu, invaluerat tamen ab multis retrò annis divisio universorum Ecclesiæ redituum in qvatuor partes, ita ut prima cederet Episcopo, secunda Clericis, tertia pauperibus, & qvarta fabricæ ipsius Ecclesiæ, ut sarta tecta conservari posset. Primus, qvi istarum qvartarum portionum apud Gratianum mentionem facit, in *c. de reditibus. 12. q. 2.* occurrit Simplicius Pontifex, qvi seculo V. vixit, & hunc in modum *in epist. ad Florentinum & Eqvitium Episcopos*, verba facit: *De reditibus Ecclesiæ vel oblatione fidelium sola Episcopis ex his una portio remittatur: duæ Ecclesiasticis fabricis & erogationi pauperum profuturæ à presbytero sub periculo sui ordinis ministrentur. ultima Clericis pro singulorum meritis dividatur.* Qvæ verba ultima non videntur communioni accommoda, qvippe

qvæ in proportione arithmeticâ, uti vocari solet, magis fundatur, qvàm geometricâ; nisi dicere velis, ad communionem istam sufficere communem distributionis materiam, qvartam scil. Clericis destinatam, sed qvæ communionem facit maximè impropriam.

IX. Divisionem istam in omnibus Ecclesiarum reditibus sive ex rebus donatis, emptis, aut alio qvovis titulo comparatis, sive etiam ex dote ipsa provenerint, institutam fuisse, non ex allegatis tantùm Simplicii verbis, qvæ redituum in genere & oblationum mentionem faciunt, sed ex aliis etiam locis parallelis colligitur. Sic enim scribit Gelasius Pontifex apud Gratianum *c. vobis. 12. q. 2. omnia prædia* (sub qvibus sine dubio etiam comprehenduntur mansi Ecclesiastici) *ad vestrum revocetis studium.* -- -- *omnem pensionis summam ex omnibus prædiis rusticis urbanisqve collectam ad antistitem deferatis.* -- -- *& qvatuor portiones videlicet vel de fidelium oblatione, vel de hâc fiant modis omnibus pensione.* &c. Idem Gelasius apud eundem Gratianum *can. seq. 25.* rescribit in hunc modum: *Vulteranæ Ecclesiæ actus vel patrimonium, qvod hactenus comperimus destitutum, & post damnationem Eucharisti, qvo fuerat depravante dispersum, curæ vestræ decrevimus esse delegandum, ut diligentia* ---- *prædia culturæ restituatis antiqvæ,* ---- *ita ut pensiones annuas ad pontificem deferatis* &c. Vocabulum actus in eâdem significatione invenitur in *c. Episcopus. 10. q. 2.* in verbis, *qvia ea, qvæ ex reditu vel ex qvolibet actu Ecclesiæ obveniunt,* &c. Græcè est, ἢ καὶ ἐξ ἑτέρας προφάσεως ἐκκλησιαστικῆς, id est, *vel etiam ex qvâlibet aliâ causâ & occasione Ecclesiasticâ*, uti notat Antonius Augustinus *de emendat. Gratiani lib. 1. dial. 11. sub num. 13.* Et sic igitur Gelasius omnem actum & totum Ecclesiæ Vulteranæ patrimonium sub istam divisionem revocari jubet. Cumqve aliqvando in Siciliâ creditum esset, antiqvos tantùm reditûs ita distribui debere, noviter autem acqvisitos ad solius Episcopi usûs pertinere, errorem istum correxit Gregorius M. apud Gratian. *c. cognovimus. 12. q. 2.* ut adeò nullos omninò excipere licuerit reditus ab istâ divisione, sed omnes & universos, qvalescunqve illi fuerint, distribuere oportuerit.

X. Benè autem notetur, qvod dicit Gelasius *in d. c. Vobis. 12. q. 2.* omnem pensionis summam ex omnibus prædiis rusticis urbanisqve collectam ad antistitem deferri, & tùm demum ab eo summam istam in qvatuor portiones dividi debere. qvod idem repetit in *c. Vulteranæ. ibid.* Hinc adeò putat Marcus Antonius de Dominis *de Rep. Eccles. lib. 9. c. 7. num. 33. & 35.* ex omnibus reditibus Ecclesiasticis plurium Ecclesiarum totius diœcesis constitutam fuisse unicam massam illius Ecclesiæ matricis, & tùm demum diviso-

divisionem factam fuisse. Mihi verò id non videtur; qvin puto, unamqvamqve Ecclesiam particularem cujuscunqve dioeceseos uti seorsim suum habuit patrimonium, ita etiam seorsim ex isto patrimonio, suas accepisse ab Episcopo portiones. Dicit enim Gelasius *c qvatuor. 12. q. 2.* qvatuor fieri debere portiones, *prout cujuslibet Ecclesiæ facultas admittit.* Qvæ verba faciunt, ut putem, ne qvidem qvartas istas locum semper habuisse, aut divisionem ita institutam fuisse, nisi eam admitteret Ecclesiæ facultas.

XI. Sane principalis & primarius dotis constituendæ finis hic est, ut ministri ejus Ecclesiæ commodè sustentari, & luminaria inde comparari qveant, uti pleniùs exposui *cap. 7.* Dixi ibidem, neqve onera Episcopalia, neqve reparationem Ecclesiæ in dote constituenda necessariò attendi debere. Nec ergò, si præter dotem necessariam Ecclesia nihil possideat aliud, distributio in qvatuor partes fieri poterit, sed tota illa & integra Ecclesiæ ministris cedet, qvi jus qvoddam protimiseos habent. Qvod si omnium totius dioeceseos Ecclesiarum reditûs in unam massam conferri, & ex illa demum massâ distributio fieri deberet, uti vult de Dominis, non sanè necesse esset, ut distributio fieret, prout cujusqve Ecclesiæ facultas admittit, sed potiùs, prout massa illa congesta admittit, qvia tùm, qvod uni deest Ecclesiæ, facilè suppleri poterit ex ubertate redituum alterius Ecclesiæ. Qvanqvam non negem, potuisse Episcopum ex abundantiâ unius Ecclesiæ defectum alterius supplere, uti constitutum legitur in concilio Niceno I *can. 54.* ex versione Arabicâ. Istud verò supplementum non ex massâ omnium Ecclesiarum communi, sed ex cujuscunqve alterius Ecclesiæ divitiis petebatur. Id tamen nihilominus certum est cujusqve Ecclesiæ reditûs universos ad Episcopum deferri, & ab illo dispensationem sive distributionem expectari oportuisse, secundum *d. c. vobis. & c. Vulterana. 12. q. 2.* ubi hoc inter ejus privilegia refertur.

XII. Qvæ dixi hactenus de qvatuor portionibus, in Romanâ primum coeperunt Ecclesiâ. Et si fides tribuenda est Concilio Romano II. anno CCCXXIV. sub Sylvestro habito, jam tùm eo tempore *can. 4.* hæc promulgata est lex Ecclesiastica: *Commoneo autem vobis omnibus mihi consortibus monimentum hoc, ut de reditibus Ecclesiæ qvatuor partes fiant, qvarum una cedat Pontifici ad sui sustentationem: altera presbyteris & Diaconis & omni Clero: tertia templorum & Ecclesiarum reparationi: qvarta pauperibus & infirmis & peregrinis.* Sed enim autoritati hujus Concilii multum detrahit judicium Hincmari Archi-Episcopi Remensis, qvi, cùm in *epist. 47.* qvam nomine Carolii II. Impe-

Imperatoris ad Johannem Papam scripsit, ejus fecisset mentionem, sub *n. 21.* hanc de eo fert sententiam: *Ceterùm, qvoniam qvidam qvasi in auctoritate proferunt, Sanctum Silvestrum Papam decrevisse talia, qvæ Catholica Ecclesia inter synodalia decreta non computat, qvæ majores nostri inde nobis tenenda suis posteris reliqverunt, hic necessarium ponere duximus &c.* Add. Petr. de Marca *de concord. sacerd. & Imp. l. 1. c. 11. n. 4.* Nec est ergò, qvod autoritatem istius Concilii in partes vocemus.

XIII. Potior nobis est autoritas Simplicii, Gelasii, & Gregorii Magni, qvorum verba suprà adducta satis nos instruunt de consvetudine Ecclesiæ Romanæ, qvam eandem etiam alibi observandam proponunt. Et in Germaniâ qvidem eam receptam fuisse, ex *can. 7.* Concilii Wormatiensis, qvod ann. Christi DCCCLXVIII. celebratum est, abunde patet: *De reditu verò Ecclesiæ, & de oblatione fidelium, qvatuor fiant portiones, qvarum unam sibi retineat Episcopus, alteram Clericis pro officiorum suorum sedulitate distribuat, tertiam pauperibus & peregrinis, qvartam Ecclesiasticis fabricis noverit reservandam.* Et ex *canon. 13.* Concilii Triburiensis sub Arnulpho anno DCCCXCV. *Qvatuor fieri partes juxta canones judicamus, de decimis & oblationibus fidelium, & una sit Episcopi, altera Clericorum, tertia pauperum, qvarta restaurationi Ecclesiarum servetur.*

XIV. Sed & in Galliis eandem distribuendi rationem observatam fuisse, ex statuto Concilii Nannetensis *c. 10.* qvod circa finem seculi IX. habitum fuisse, haud pauci existimant, clarum evadit: *Instruendi sunt presbyteri, pariterqve admonendi, qvatenus noverint decimas & oblationes, qvas à fidelibus accipiunt, pauperum & hospitum & peregrinorum esse stipendia, & non qvasi suis, sed qvasi commendatis uti. -- -- Qvaliter verò dispensari debeant, canones sancti instituunt, scil. ut qvatuor partes inde fiant, una ad fabricam Ecclesiæ relevandam: altera pauperibus distribuenda: tertia presbytero cum suis Clericis habenda; qvarta Episcopo reservanda, ut qvicqvid exinde jusserit, prudenti consilio fiat.* Etsi verò ineunte seculo VI. in Concilio Aurelianensi I. *c. 16. & 17.* (qvem utrumqve refert Gratianus *c. de his. & c. antiqvos. 10. q. 1.*) diversum qvid statutum legatur, dum ex illis, qvæ in altari Ecclesiæ cathedralis aut ejus, qvæ in civitate est, (de hâc enim explico *canon. 16.* argumento *can. 3. Concil. Aurel. III.*) offeruntur, dimidium Episcopo, & altera medietas Clero, ex altari verò Ecclesiarum parochialium in pagis tertia Episcopo, duæ tertiæ reliqvæ Clericis assignantur; non videtur tamen idipsum fuisse perpetuum, qvandoqvidem iidem Patres

Aurelianenses *d. can. 3.* concil. III. eodem seculo VI. circa annum DXL. oblationes in basilicis civitatum factas Episcoporum dispensationi ita subjiciunt, ut in ejus sit arbitrio, qvid in reparationem basilicæ, qvidve observantium ibi substantiæ deputare velit; in pagis autem singulorum locorum consvetudinem observari præcipiunt. Qvin & in Concilio Aurelianensi I. *d. c. 17.* distributionem decimarum ad Ecclesiæ Romanæ consvetudinem fieri jubent: *Sed tamen*, inqviunt, *nos seqventes Romanos singulis annis qvartam partem, aut in qvarto anno totam Episcopi recipiant.*

XV. In Hispaniâ tamen divisio ista in qvatuor portiones recepta non fuit, sed totum id, qvod distribui oportuit, in tres tantùm partes sectum legitur. In Concilio Tarraconensi anno DXVII. *can. 8.* statutum est: *ut antiqvæ consvetudinis ordo servetur, & annuis vicibus ab Episcopo diœcesano visitentur: & si qva forte basilica reperta fuerit destituta, ordinatione ipsius reparetur: qvia tertia ex omnibus per antiqvam traditionem, ut accipiatur ab Episcopis, novimus statutum.* Canonem hunc refert Gratianus *c. decrevimus. 10. q. 1.* sed verba ultima sub hoc sensu: *Ab Episcopis autem tertia ex omnibus accipiatur, sicut antiqvâ traditione novimus esse statutum.* Qvæ verba planè seorsim & separatim stant à prioribus. Sed uti nos ea ex editione Garsiæ apud Severinum Binium recensuimus, connexa illa & per modum rationis subjecta reperiuntur, hoc ferè sensu, debere Episcopum Ecclesiæ ruinosæ, si tertia reparationi destinata non sufficit, ex suâ tertiâ subvenire, qvia ideò accipit tertiam, non ut sibi tantùm benè sit, sed etiam ut consulat Ecclesiæ. Nisi dicere velis, in verbis illis ultimis tertiam intelligi istam, qvæ reparationi destinata est, qvamqve, ut reciperet Episcopus, & in eum finem apud se custodiret, ejus temporis Ecclesia permiserit.

XVI. Sanè unam tertiam singulariter Episcopo, & aliam Ecclesiæ reparationi destinatam fuisse ex concilio Bracarensi I qvod anno DLXIII. celebratum est, *can. 25.* patet: *Item placuit, ut de rebus Ecclesiasticis tres æqvæ fiant portiones, id est, una Episcopi, alia Clericorum, tertia in reparatione, vel in luminariis Ecclesiæ: de qvâ parte sive Archipresbyter, sive Archidiaconus illam administrans, Episcopo faciat rationem.* Cùmqve deinceps Episcopi avarâ manu ad se raperent omnia, & Ecclesiæ ruinam minarentur, ipsiqve hinc deficerent Sacerdotes, anno DCXXXIII, in Concilio Toletano IV. *can. 32.* tertiâ illi suâ contenti esse jubentur, atqve ultra eam ampliùs aliqvid auferre prohibentur: *Avaritia radix est cunctorum malorum, cujus sitis etiam sacerdo-*

cerdotum mentes obtinet. Multi enim fidelium in honorem Christi & martyrum, in parochiis Episcoporum basilicas construunt, oblationes sanctas tribuunt. Sacerdotes hæc auferunt atq; in usus suos convertunt. Inde est, quod cultores sacrorum deficiunt, dum stipendia sua perdunt. Inde labentium basilicarum ruinæ non reparantur, quia avaritiâ sacerdotali omnia auferuntur. (tacitè hîc subinnuunt patres Toletani, qvorsum reliqvæ duæ tertiæ insumptæ fuerint, videlicet in stipendia Clericorum altera, & altera in reparationem Ecclesiarum.) *Pro qvâ re constitutum est à præsenti Concilio, Episcopos ita diœceses suas regere, ut nihil ex earum jure præsumant auferre; sed juxta priorem autoritatem Conciliorum, tàm de oblationibus, qvàm de decimis, tributis ac frugibus tertiam conseqvantur. Qvod si ampliùs qvippiam ab eis præsumptum extiterit, per concilium restauretur. &c.*

XVII. Aliqvando tamen ex parochialium Ecclesiarum reditibus tertiam dari Episcopis noluerunt, sed integram eam, cum aliâ tertiâ, reparationi Ecclesiarum applicari jusserunt. Anno enim DLXXII. in Concilio Bracarensi II. *can.2.* hoc factum est statutum: *Placuit, ut nullus Episcoporum per suam diœcesin ambulans, præter honorem chathedræ suæ, i. e solidos duos, aliqvid aliud per Ecclesias tollat. Neq; tertiam partem ex qvacunqve oblatione populi in Ecclesiis parochialibus reqvirat, sed illa tertia pars pro luminaribus Ecclesiæ vel reparatione servetur, & singulis annis Episcopo inde ratio fiat. Nam si tertiam partem illam Episcopus tollat, lumen & sarta tecta abstulit Ecclesiæ.* Poterat videri, accipienda esse ista verba de tertiâ reparationi destinatâ, ne eam in suos usûs veteret Episcopus; at verò de ipsâ tertiâ Episcopo aliàs debitâ ea explicari debere, dubitare nos non sinit Concilium Emeritense, qvod *can. 16.* hoc promulgavit decretum: *Benè disposui divina gratia, qvicqvid unaqvæq; Ecclesia à fidelibus collatum est, habeat. Priscis qvippe canonibus erat decretum, ut Episcopus de parochitanis Ecclesiis tertiam conseqveretur, cui sua plenissimè sufficere possunt.* (Gratianus, dum canonem hunc *can. priscis. 10. q.3.* recenset, negativam infert: *cui sua plenissimè sufficere non possunt.* qvâ stante lectione, colligere licet, Patres Emeritenses arbitratos fuisse, Episcopis suis jam satis prospectum esse, etsi tertiâ Ecclesiarum parochialium careant.) *Placuit huic sancto Concilio, ut nullus provinciæ Lusitaniæ Episcopus sententiæ hujus terminum excedat, nec à qvâlibet parochitaneâ Ecclesiâ tertiam auferre præsumat, sed qvicqvid exinde conseqvi poterat, totum in reparationem ipsarum basilicarum proficiat &c.*

XVIII. Ne

XVIII. Ne autem inter Concilii Bracarensis primi & secundi vix novem annorum spacio distantium, supra adductos canones pugna aliqva fingatur, dum alterum Episcopo tertiam suam relinqvit, alterum eandem in Ecclesiæ reparationem impendere jubet, existimo ego, primum illud de reditibus Ecclesiæ cathedralis, secundum verò de oblationibus Ecclesiarum parochialium in diœcesi existentium disponere. Primum enim illud Archipresbyteri & Archidiaconi facit mentionem, qvibus hoc onus imponitur, ut rationes expensarum reddant Episcopo. At non arbitror, eo tempore archipresbyteros & archidiaconos in aliis qvàm cathedralibus Ecclesiis constitutos fuisse. Certè in Urbe Romà per aliqvot secula non nisi unicum inter presbyteros archipresbyterum, inter diaconos archidiaconum fuisse, eruditè ostendit David Blondellus *apol. de Episc. & presbyt. sect 3. pag. 225.*

XIX. Postqvam ita Episcopis tertiam ex reditibus parochialibus ademerunt Concilia Hispanica, hanc nihilominùs eis reliqverunt potestatem, ut vel ipsi illi Ecclesiæ, ex qvà reditûs isti percipiebantur, vel alteri magis indigenti tertiam istam addicere pro lubitu possent. Sic enim constitutum legitur in Concilio Toletano IX. *can. 6. Cum prætcritis sanctionibus notissimum habeatur, qvæ de rebus parochialium Ecclesiarum pars Episcopo conferatur: opportunè tamen duximus decernendum, ut, si Episcopus tertiam partem, qvam de rebus eisdem sanctione paternâ sibi debitam novit, aut ipsi Ecclesiæ, cujus res esse patebit, aut alteri Ecclesiæ, qvam elegit, conferre decreverit, & licitum maneat, et irrevocabile robur ejus sententia ferat.* Eum canonem adducit Gratianus *c. ult. 12. q. 3.* Existimo tamen, id integrum non fuisse, nec talem potestatem competiisse Episcopo, si ipsa illa Ecclesia, cujus sunt reditûs, hujus tertiæ indigens fuerit. Sine dubio enim jus prælationis tùm locum habuit. Qvò refero verba ex Concilio Emeritensi adducta: *Benè disposuit divina gratia, qvicqvid unaqvæqve Ecclesia à fidelibus collatum est, habeat.*

XX. Anno DCXCIII. Concilium Toletanum XVI. *can. 5.* circa tertiam Episcopalem noviter hanc fecit constitutionem, ut, si exegerit ab Ecclesiis parochialibus eam Episcopus, onus reparandi easdem subire teneretur; si verò eam Ecclesiis istis reliqverit, ab hoc onere immunis existeret, nec frui ipse eâdem posset alio casu, qvàm ubi Ecclesiæ istæ nullà omninò reparatione opus haberent. Præmittunt ejus Concilii Patres, pro re natâ novis constitutionibus consvetudines pristinas aboleri vitiisqve seculi sub aliâ ratione remedia qværi oportere: *Qvanqvam in præteri-*

teritis sanctorum Patrum de diversis causis sententiæ enitescant, sed & nunc, qvæ tempori ordiniq; congruant, ordinato jure instituenda sunt. Nam sicut antiqvitas de causis ingruentibus edicta multimoda edidit, ita nunc nostri temporis ætas de his, qvæ occurrunt, ut faciat, convenit. --- --- Idcircò unio nostræ adunationis decernit atq; instituit, ut tertias qvas antiqvi Canones de parochiis suis habendas Episcopis censuerunt, si eas exigendas crediderint, ab ipsis Episcopis diruta Ecclesiæ reparentur: si verò eas maluerint reddere, ab earundem Ecclesiarum cultoribus, sub curâ & sollicitudine sui Pontificis, reparatio eisdem adhibenda est basilicis. Qvod si omnes Ecclesiæ, aut incolumes fuerint, aut qvæ dirupta erant, reparatæ extiterint, secundum antiqvorum Canonum instituta tertias sibi debitas unusqvisq; Episcopus asseqvi, si voluerit, facultas illi omnimoda erit: ita videlicet, ut citra ipsas tertias, nullus Episcoporum qvidpiam pro Regis inqvisitionibus à parochitanis Ecclesiis exigat, nihilq; de prædiis ipsarum Ecclesiarum cuiqvam aliqvid, causâ stipendii dare præsumat.

XXI. Ex qvibus omnibus patet, in Ecclesiis Hispanicis tres tantùm factas fuisse portiones, non, ut in reliqvis Romanam imitantibus, qvatuor. Etsi enim Gratianus *c. Sancimus. 12. qvæst. 2.* ex concilio Toletano hunc recenseat canonem: *Sancimus, omnibus Episcopis curam Laicorum instare, ut si qvos in fide Christi invenerint, nimio affectu, diligant, & insuper confirmamus, ut si aliqva ab ipsis accipiant dona, statim in qvatuor dividant partes: ita ut prima pars secundùm Apostolorum præcepta titulorum nec non cœmeteriorum restaurationibus diligenter attribuatur, secunda clericis, tertia cunctis pauperibus, qvarta verò advenis.* fatentur tamen, qvi à Gregorio XIII. Pontifice recensendo Gratiani Decreto præfecti fuerunt, capitulum istud in nullo Toletano concilio aut impresso aut manuscripto inventum esse, ut adeò probabile sit, in Hispaniâ canonem istum conscriptum non fuisse, & nunc veluti incertum prioribus illis objici haudqvaqvam posse.

XXII. Obiter addo, in Hispaniæ Regno adhuc aliam in tres partes introductam fuisse divisionem, pecuniæ scil. ejus, qvæ diebus festis communicationis tempore in Ecclesiis ex collatione piorum collecta fuerat, de qvâ nihil omninò reparationi Ecclesiarum destinabatur, sed ea tota in usûs Clericorum cedebat. Sic enim constitutum legitur in Concilio Emeritensi *canon. 14. In sanctâ DEI Ecclesiâ diebus festis pro consvetudine & mercede, communicationis tempore à fidelibus pecuniam novimus poni: pro hoc placuit sancto Concilio hanc rectitudinis ponere regulam,*

ut qvia omni Clero communis labor manet in officio sancto, omnibus juxta meritum ex hoc rependatur vicissitudo. Statuimus in nostris Ecclesiis vel civitatibus hoc esse servandum, ut qvicqvid pecuniæ à fidelibus in Ecclesiâ fuerit oblatum, fideliter collectum maneat, & conservatum & fideliter Episcopo præsentetur: qvaliter exinde tres partes fiant æqvales, unam Episcopus habeat, & alteram presbyteri & Diacones inibi deservientes consequantur, & inter se, ut dignitas & ordo poposcerit, dividant: tertia verò subdiaconibus & Clericis tribuatur: ut à primiclero, juxta qvod in officio eos præscit esse intentos, ita singulis dispensetur. Similis forma & de parochitanis presbyteris in Ecclesiis illis à DEO creditis erit servanda. Qvæ verba ostendunt, distributionem eam factam fuisse, inter omnes qvidem Clericos, verùm secundùm cujusqve meritum, secùs, atqve constitutum olim fuerat, canone 39. Concilii Bracarensis I. *Placuit, ut si qvid ex collatione fidelium aut per festivitates martyrum aut per commemorationes defunctorum offertur, apud unum Clericorum fideliter colligatur, & constituto tempore, aut semel, aut bis in anno, inter omnes Clericos dividatur. Nam non modicæ ex ipsâ inæqvalitate discordiæ generantur, si unusqvisq; in suâ septimanâ qvod oblatum fuerit, sibi defendat.* Improbat hic canon ambulatoriam per singulas hebdomadas unius inter clericos universarum oblationum perceptionem, qvandoqvidem non eadem hebdomadatim colligatur qvantitas, & hinc sæpè exiguæ nonnullis sperandæ sint accessiones, metuendumqve sit, ne propter inæqvalitatem istam invidia primùm & mox inimicitia inter Clericos resultet; proinde jubet, ut ex æqvo omnes participent, citra respectum meriti aut ordinis. Sed aliud qvid, & planè diversum, in verbis Concilii Emeritensis modò adductis constitutum legitur.

XXIII. Qvandoqvidem verò, ut hactenus docuimus, non plures tribus in Hispaniâ factæ fuerunt partes, haud frustrà mirari qvis posset, cur ita ubiqve exclusi fuerint pauperes, ut nulla illis, perinde, ut in Italicis, Germanicis & Gallicis Ecclesiis seorsim destinata fuerit portio, cùm tamen res Ecclesiæ patrimonia pauperum appellentur, *c. qvia juxta, 16. q. 1.* acsi illis præcipuè deberentur, & jure qvodam dominii propria essent. Vid. Didac. Covarruvias *lib. 2. resol. cap. 16. num. 8.* Ego verò arbitror, exclusos eo nullo modo fuisse. Etsi enim nulla eis portio specialiter addicta legatur, cura tamen eorum tùm ipsi Episcopo, & huic qvidem inprimis, tùm verò etiam reliqvis Clericis incubuit. Ut enim rectè ait Hieronymus apud Gratianum *c. glo-*

gloria. 12. q. 2. gloria Episcopi est, pauperum operibus providere, & *c. qvoniam. 16. qvæst. 1.* qvicquid habent Clerici, pauperum est. Qvapropter voluerunt Hispaniæ & Lusitaniæ patres, Episcopum & Clericos ex suis portionibus subveniri pauperibus debere, nec adeò necesse esse, ut seorsim portio aliqva his assignetur, qvòd hanc ipsam, si vel maxime talem aliqvam facerent, ex illorum manibus accipere oporteret. Fuit igitur, qvasi per fictionem brevis manûs, illa ipsa portio, qvæ pauperibus debetur, Episcopo & Clericis tradita, eorumqve portionibus commixta, ut illi inde, qvantum ex dictamine conscientiæ visum fuerit, inter pauperes distribuerent.

XXIV. Sed redimus ad qvartas, qvippe in Ecclesiis extra Hispaniam magis usitatas, & ubique pene receptas, qvas singulas nunc ordine videbimus. Anteqvam verò massa tota distribuatur, notandum est, haberi debere rationem ejus, qvod ad causas vel expensas accedentium necessitatum opus esse perspicitur, uti loquitur Gelasius *c. vobis. 12. qvæst. 2.* hoc est, deduci debere impensas fructuum colligendorum causâ factas. Fructus enim intelliguntur, deductis impensis, qvæ qværendorum, cogendorum, conservandorumqve eorum gratiâ fiunt, *l. 36. §. fin. ff. de hered. petit.* Et qvod in fructus redigendos impensum est, non ambigitur ipsos fructus deminuere debere, *l. 46. ff. de usur.* qvia nullus casus intervenire potest, qvi hoc genus dictionis impediat, *l. 51. ff. fam. bercisc.* Add. *l. 7. ff. sol. matr. l. 1. l. 5. l. 15. ff. de impens. in res dot. fact.* Excipiunt Canonistæ decimas prædiales, *c. 28. X. de decimis.* qvorum rationes nunc non discutio. Vid. Joh. Garsias *de expens. & meliorat. c. 1. n. 17.* Didacus Spino à Caceres *in specul. testam. gloss. 13. n. 38.* Deinde & hoc addo, partes illas qvatuor æqvales esse oportuisse, non proportionales, uti id rectè statuit Marcus Ant. de Dominis *de Rep. Eccles. lib. 9. cap. 7. n. 30.*

XXV. Prima portio Episcopo debetur, & qvidem ultra eam ex reliqvis nihil amplius. Cùm enim Gaudentius Aufiniensis Ecclesiæ Episcopus totam & integram massam universorum redituum per triennium sibi uni vindicâsset, eâ de re certior factus Simplicius Pontifex, ad Florentinum, Eqvitium & Severum Episcopos in hunc modum rescripsit: *Simul etiam de reditibus Ecclesiæ, vel oblatione fidelium, qvid deceat, nescienti, nihil licere permittat,* (Severus) *sed sola ei ex his qvarta portio remittatur. --- --- cui etiam hoc specialiter præcipimus imminere, ut tres illas portiones, qvas per triennium dicitur sibi tantummodò vindicâsse, restituat.* Extat apud Gratianum *c. de redi-*

reditibus. 12. q. 2. Sic etiam Episcopi Toletani in Concilio IV. *can. 32.* ultra tertiam morbibus suis receptam Episcopo ampliùs aliqvid tribuere noluerunt. *Qvod si*, inqviunt, *amplius qvippiam ab eis præsumptum extiterit, per concilium restauretur.* Eapropter adstipulari neqveo Marco Antonio de Dominis, qvi putat *lib. 9. de Repub. Eccles. c. 7. n. 41.* Episcopum, si tota qvarta pars ei non sit satis pro ipsius honestâ & frugali sustentatione, ante omnia ex totâ massâ sibi plenè providere posse, tùm verò reliqvum totum in tres æqvas partes dividere debere. Posset enimverò ita contingere, ut, si Episcopus, qvod sibi ad plenam provisionem necessarium putat, abstulerit, nihil omninò supersit, qvod inter Clericos dividi qveat; id qvod Ecclesiastico instituto planè est adversum.

XXVI. Sed cur tanta tamqve insignis portio uni & soli Episcopo assignata fuit, cùm reliqvi in universum omnes, qvotqvot in Clero ejus Ecclesiæ sunt, qvorum aliqvando haud exiguus numerus est, pari portione contenti esse jubeantur? Respondeo cum Gregorio Pontifice ex *c. mos est. 12. q. 2.* deberi eam qvartam Episcopo & familiæ ejus, propter hospitalitatem atqve susceptionem. Episcopus enim etsi uxoratus non sit, sine omni tamen familiâ esse neqvit. Hospitalem qvippe cum esse oportet, non in cives modò & indigenas, sic enim carnis affectu laborare videretur, sed in exteros etiam & peregrinos & advenas, qvod majus erit fraternæ charitatis indicium, liberalem & benignum, hospitium non habentes humanitatis intuitu hospitio recipientem. Claud. Espencæus *in 1. Tim. III. vers. 2.* ubi φιλόξενον eum esse jubet Paulus, ξενοδόχον tantùm. Amplius qviddam est, φιλόξενον esse, qvàm ξενοδόχον, peregrinorum amantem, qvàm hospitem. Id. Espencæus *in Tit. I. digress. 2.* Et hoc est, qvod conjungit Gregorius in verbis adductis hospitalitatem & susceptionem, cùm hospitalitatis vocabulum non satis exprimat virtutem, qvam in Episcopo reqvirit Paulus, susceptio plus dicat, qvippe qvæ in peregrinos etiam & planè ignotos benigna est. Hæc igitur φιλοξενία dum familiam reqvirit, & sumptûs haud exiguos, Episcopo portionem assignare oportuit ei rei congruam & sufficientem.

XXVII. Secundam portionem Clericis deberi diximus. Et hi qvidem cum Episcopo maximam partem finis ejus constituunt, propter qvem ab initio Ecclesiis donationes factæ sunt, ut scil. haberent illi, unde vivere possent. Et qvia in participatione hujus qvartæ plures concurrunt, qvi non eandem operam, nec eâdem sedulitate Ecclesiis præstant, qvarta illa non in partes æqvales, sed proportionales subdivisa atqve distributa fuit. Hoc

Hoc enim subinnuit Gelasius *in c. vobis. 12. q. 1.* dum ait: *aliam Clericis pro suo judicio & electione dispertiat.* & haud paulo clarius in *c. Vulteranæ. ibid.* his verbis: *ita ut portionem qvartam, qvæ ad eos pertinet, suâ Pontifex ordinatione distribuat, prout cujusq; locum meritumq; cognoscit,* & *in seq. ibid. alteram Clericis pro officiorum suorum sedulitate distribuat.* Uti verò id intendere Episcopus maximè debet, ut sine ullâ detractione portionem eam integram inter Clericos distribuat: ita, qvod qvisqve ex judicio & discretione Episcopi accipit, contentus eo esse debet, nec licitum est ipsi qvid amplius expetere. Sic enim idem Gelasius in *c. 27. ibid. De qvibus sicut Sacerdotis intererit integram ministris Ecclesiæ memoratam dispendere qvantitatem: sic Clericus ultra delegatam sibi summam nihil insolenter noverit expetendum.*

XXVIII. Ubiqve dicitur, divisionem istius portionis ex Episcopi judicio secundum cujusqve meritum fieri debere. Poteritqve adeò Episcopus non uniformem qvotannis distributionem observare, sed pro ratione circumstantiarum cujusqve partem vel augere, vel minuere. In agapis olim Christianorum, si credendum est Clementi Romano *lib. 2. Constitut. Apostol. cap. 28.* cùm distribuerentur cibi, perpetua aliqva observata fuit proportio, qvam exponit his verbis: *Seponant in convivio pastori, qvod consvetum est, primitias dico illius epuli, tanqvam sacerdoti, qvamvis non adsit in convivio, idq; in honorem Dei, qvi ei sacerdotium mandavit. Qvantum verò cuiq; impertitur, altero tanto plus Diaconis impertiatur, ut sit munus Christo. Presbyteri autem, si assiduè in studio docendi verbum DEI laboraverint, seponatur dupla etiam portio in gratiam Apostolorum Christi, qvorum locum tenent, tanqvam Consiliarii Episcopi, & Ecclesiæ corona; sunt enim consilium & Senatus Ecclesiæ. Si autem & Lector est, is partem unam in honorem Prophetarum accipiat. item Cantor & janua custos* &c. Talis verò proportio in hoc distributionis genere nullibi vel præcepta vel observata unqvam fuit, sed ea ex unico Episcopi arbitrio æstimari debuit. Ut taceam, incertum esse, utrum in agapis unqvam ea proportio usu recepta fuerit, cum ipsæ illæ Constitutiones Apostolicæ, Clementi adscriptæ, vitio νοθείας laborent, & ignoti adeò parentis κύημα sint. Vid. qvæ dixi dissertat. *de orig. & increm. jur. Canon. n. 14.* Conf. Andr. Rivet. *Critic. Sacr. lib. 1. c. 2.* & Joh. Dallæ. *de jejun. & qvad. l. 2. c. 5.*

XXIX. Ex hâc verò distributione partem suam etiam accipiebant illi, qvi seorsim ab reliqvis Clericis & extra communionem vivebant. Patet id ex verbis Prosperi Aqvitani

l. 2. de vit. contempl. c. 11. qvæ adducuntur in Concilio Aqvisgranensi sub Stephano V. *cap. 108. Clerici qvoqve, qvos pauperes aut voluntas, aut nativitas fecit, cum perfectione virtutis, vita necessaria sive in domibus suis, sive in congregatione viventes accipiunt: qvia ad ea accipienda non eos habendi ducit cupiditas, sed cogit vivendi necessitas.* Fuit igitur jam ætate Prosperi, qvi seculo V. scripsit, receptum, ut Clerici nonnulli, qvibus id placeret, seorsim ab reliqvis in ædibus suis viverent, & nihilominus partem suam ex communibus Ecclesiæ reditibus acciperent. Id qvod etiam ante istud ævum suis temporibus Augustinum permisisse, dixi supra.

XXX. Circa has duas qvartas, Episcopo & Clericis reliqvis debitas, insignis superiore seculo mota est controversia, utrum Ecclesiastici sint domini redituum suorum, an verò administratores tantùm. Illud enim si adserueris, liberum erit Episcopo & reliqvo Clero, qvod sibi reliqvum & superfluum est, in cognatos transferre, & pro lubitu suo, cuicunqve & in qvoscunqve usûs voluerint, erogare aut testamento relinqvere. Hoc verò, si dixerit, non nisi in alias pias causas impendere eos licebit. Et sic igitur in hanc qvæstionem totum negotium resolvitur: Utrum ministris Ecclesiæ lautiora danda sint stipendia, qvam qvæ ad frugalem victum qvotidianum, & annuam aut biennalem vestem præcisè sufficiant? Cui confinis est altera: An ministris Ecclesiæ, qvi vel ex patrimonio vel ex hereditate habent, unde vivant, nihilominùs liceat accipere stipendia, an verò de suo vivere teneantur? Utiqve enim si aliunde habet minister Ecclesiæ, ex qvo vivere possit, non videtur absonum nec injustum, imò verò penè erit necessarium, ut ille bona Ecclesiæ, qvæ indigentiæ Clericorum destinata sunt, prorsus intacta relinqvat, cùm nec indigentiam qvidem prætexere qveat.

XXXI. Et fateor extare talia veterum testimonia, ex qvibus colligi possit, fuisse aliqvando in Ecclesiâ ita observatum, ut nec qvisqvam ex Ecclesiæ bonis qvicqvam acciperet Clericus, nisi indigeret, nec id suum faceret, qvod superfluum esset. Disertè Prosper Aqvitanus *l. 2. de vit. contempl. c. 10. Nec illi, qvi sua possidentes dari sibi aliqvid volunt, sine grandi peccato suo, unde pauper victurus erat, accipiunt. De Clericis per Prophetam Spiritus Sanctus: Peccata populi mei comedunt. Sed sicut nihil habentes proprium, non peccata, sed alimenta, qvibus indigere videntur, suscipiunt: ita possessores non alimenta, qvibus abundant, sed aliena peccata suscipiunt.* &c. Verba illa referuntur in dicto Concilio Aqvisgranensi sub Stephano V. *cap.*

cap. 107. In Concilio autem Antiocheno I. *cap. 25.* hoc legitur statutum: *Episcopus Ecclesiasticarum rerum habeat potestatem, ad dispensandum erga omnes, qvi indigent, cum summâ reverentiâ & timore Dei. Participet autem & ipse, qvibus indiget, si tamen indiget, tàm in his, qvàm in fratrum, qvi ab eo suscipiuntur, necessariis usibus profuturis, ita ut in nullo qvalibet occasione fraudentur, juxta S. Apostolum sic dicentem: Habentes victum & tegumentum, his contenti sumus. Qvod si contentus istis minimè fuerit, convertat autem res Ecclesiæ in suos usus domesticos, & ejus commoda vel agrorum fructûs, non cum presbyterorum conscientiâ diaconorumq; pertractet, sed horum potestatem domesticis suis, aut propinqvis, aut fratribus filiisq; committat, ut per hujusmodi personas occultè cæteræ lædantur Ecclesiæ, Synodo provinciæ pœnas iste persolvat.* &c. Consimilia referri possent ex Salviani Episcopi Massiliensis *libr. 2. contr. avarit.* itemqve ex Hieronymi *epist. ad Nepotianum*, cujus maximam partem recenset Gratianus *c. clericus. 12. q. 1.* & aliis, si qvidem pluribus opus esset testimoniis.

XXXII. Postqvam verò extra monasteria praxis Clericorum planè contraria esse cœpit & præbendæ atqve beneficia usu invaluerunt, mansit nihilominus disputatio de justitiâ causæ, num rectè faciant clerici dominium istorum redituum sibi vindicantes? Qvæ qvidem disputatio superiore maximè seculo agitari cœpit. Scripserat enim Dominicus Soto *de just. & jur. lib. 10. q. 4. art. 3. conclus. 6.* unumqvemqve fieri dominum suorum redituum eo modo, qvo domini sunt fructuum omnes usufructuarii. Ejus verò coætaneus Martinus Azpilcueta Navarrus, tùm *in manual. confess.* tùm in speciali *de reditib. Eccles.* libro id adeò negabat, ut non tantùm assereret, Clericum ne vestis qvidem, qvâ se qvotidiè induit, dominum esse, sed nec panem, qvem manducat ejus esse, verùm etiam Clericum abutentem reditibus, vel beneficiarium impendentem superfluè vel profanè reditûs sui beneficii, teneri ad restitutionem. Qvam eandem sententiam videtur tueri Cornelius à Lapide *in 1. Johann. III, 17.* qvos seqvuntur alii. Hinc adeò acerbissimè Sotum insectatur Comitolus Jesuita *Resp. moral. lib. 1. qvæst. 70. Ab antiqvis*, inqvit, *Magistris & melioribus autoribus superioris atqve adeò nostræ ætatis, in controversiam nunqvam vocatum est, num ii, qvibus Ecclesiastica beneficia mandata sunt, sint bonorum fructuumqve domini. Et tamen autores qvidam recentiores, qvorum Dux est Dominicus Soto, novam & periculosam opinionem post mille & qvingentos annos in Christianam Remp. invehere conati sunt, eos, à qvibus*

bus beneficia Ecclesiastica obtinentur, fructuum, qvos illa pariunt, veros esse dominos. Eodem modo sententiam istam perstringunt Marcus Anton. de Dominis *de Rep. Eccles. lib. 9. c. 7. n. 32. seqq.* Willelmus Wendrok ad Ludovici Montaltii *Epist. provincial. 12. not. 2.*

XXXIII. Contrariam verò, qvam Soti esse diximus, sententiam tuentur pleriqve illi, qvi mores hominum hodiè formant, & conscientias instruunt inter pontificios, qvorum nonnullos recenset Wendrokius *d. l.* Eorumqve thesis hæc est, Clericos non solùm de fructibus seu reditibus Ecclesiasticis posse sibi, & his, qvi sibi serviunt, necessaria sumere, sed & reliqva, qvæ supersunt, non teneri iterum errogare in pauperes, vel alios usûs Ecclesiæ, sed posse de illis, prout libuerit, disponere, tanqvam veros & proprios istorum redituum dominos. Argumenta eorum adscribere hic nolo. Videri possunt ipse Sotus *d. l.* & Franciscus Sarmientus *de riditib. Eccles. cap. 1.* Qvæ verò adversus Sotum reposuit M. A. de Dominis, minimè mihi videntur destruere ejus sententiam, nec tanti momenti sunt, ut contrariam persvadere qveant. Cumqve nullum omninò præceptum extat divinum, qvod proprietati talium fructuum resistat, qvodqve stipendia ministris Ecclesiæ adimat superflua, cur tàm rigidi in eos existere, eorumqve heredes omni emolumento privare debeamus, præsertim postqvam hodiè ordinaria eis constituta sunt stipendia, nulla ratio cogit. Vid. Gerhard. *Loc. de minister. Eccles. n. 326.* Danhauer *in Colleg. Decalog. disp. 11. §. 4.* Gisbert. Voet. *polit. Eccles. part. 1 lib. 4 tr. 3. probl. 1.* Joh. Hoornbeck *in exam. bull. Innoc. X. pag. 128.*

XXXIV. Tertia redituum Ecclesiasticorum portio pauperibus assignata fuit, atqve eam sub omni conscientiâ erogari jubet Gelasius *c. vobis. 12. q. 2.* hoc est, ex dictamine rectæ voluntatis; ita ut in distributione hujus portionis qvàm maximè tranqvillitati conscientiæ suæ studere debeat Episcopus, ne qvid alium in usum erogetur, neve pauperes hâc suâ portione vel in minimâ re defraudentur. Nec ergò poterit Episcopus de hâc portione qvicqvam in suam utilitatem transferre, aut inde emolumenta sua augere; qvin de suâ potius portione, nisi & ipsa tàm exigua sit, ut ægrè inde alimenta suppetant, pauperibus subvenire tenetur. Gloria enim Episcopi est pauperum opibus providere, ignominia sacerdotis est propriis studere divitiis, *c. gloria. 12. q. 2.*

XXXV. Disputant inter se conscientiarum peræqvatores, qvatenus vel in vulgaribus, vel in extremis pauperum necessitatibus faciendæ sint eleemosynæ, & utrum in illis erogan-

rogandis conditio & decentia ſtatûs ſui à dante attendi debeat, uti videri licet apud Ludov. Montalt. *epiſt. provincial. 12.* Georg. Franzk. *l. 2. reſol. 7. n. 22.* Sed enim otioſa planè mihi in præſenti caſu, qvando de Epiſcopo ſermo eſt, iſta videtur qvæſtio, nec applicari ea hîc commodè poterit, qvandoqvidem potisſima hæc Epiſcopi dignitas eſt, ſi paupertatem ipſe, ut pauperibus ſubveniat, non reformidet, ſi decentiam ſtatûs ſui minus æſtimet, ſi ipſe inter pauperes connumerari geſtiat. Optimè in hanc rem Concilium Carthaginenſe IV. *can. 13.* apud Gratian. *can. Epiſcopus. diſt. 41. Epiſcopus vilem ſupellectilem & menſam ac victum pauperem habeat, & dignitatis ſuæ auctoritatem fidei & vitæ meritis qværat.* Et Hieronymus *in epiſt. ad Tit. cap. 1. Epiſcopus, qvi imitator Apoſtoli eſſe cupit, habens victum & veſtitum, his tantùm debet eſſe contentus. Qvi altari ſervierint, de altari vivant. Vivant, inqvit, non divites fiant. Unde & æs nobis excutitur de Zonâ, & unâ tantùm tunicâ induimur, nec de craſtino cogitamus. Turpis lucri appetitio eſt, plus qvam de præſentibus cogitare.*

XXXVI. Cæterùm in diſpenſatione & diſtributione iſtius portionis ita verſari & ſe gerere debet Epiſcopus, ut ſuſpicionem omnem, qvantum fieri poteſt, evitet, & irreprehenſibilem ſe in hoc officio ſuo ubiqve præſtet. Non occultè igitur, & remotis arbitris, ſed apertè & in conſpectu ſuorum presbyterorum & reliqvorum clericorum expenſas iſtas & diſtributiones faciat, ut videant illi & ſentiant, portionem iſtam revera & bonâ fide in uſûs iſtos verti, in qvos deſtinata ab initio fuit. Etſi enim aliàs in abſcondito dari eleemoſynæ ex præcepto Salvatoris debeant, *Matth. VI, 4.* in præſenti tamen caſu ab Epiſcopo non tàm dantur eleemoſynæ, qvàm ab aliis datæ erogantur, ita ut meri adminiſtratoris partes ſuſtineat Epiſcopus. Talis autem rationibus reddendis obnoxium ſe facit. Vid. Joh. Heeſer *de rat. redd. loc. 1. n. 11.* Et qvamvis ab Epiſcopo rationum redditio non ita rigidè, uti ab aliis alienatum rerum adminiſtratoribus exigatur, ſed tota adminiſtratio ejus conſcientiæ commiſſa ſit, uti ſupra dixi, ſecundum qvam divino eſt redditurus rationem examini, uti loqvitur Gelaſius *c. conceſſo. 12. q. 2.* non debet tamen ejus hæc conſcientia tàm ſecrera eſſe, ut nullam planè ejus, qvod geſſerit, notitiam accipiat Eccleſia reliqva, cujus omninò intereſt noſſe, qvâ fide, qvave ratione bona ſua diſtribuantur. Et huc pertinent verba Gelaſii *c. ſeq. qvatuor. 12. q. 2. prope fin.* Ipſam nihilominus adſcriptam pauperibus portionem, qvanqvam divinis rationibus ſe diſpenſaſſe monſtraturus eſſe videatur,

tamen juxta hoc, qvod scriptum est, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qvi in cœlis est, oportet etiam præsenti testificatione prædicari, commendari, & bonæ famæ præconiis non taceri.

XXXVII. Ultima deniqve portio fabricæ Ecclesiæ destinata fuit, ut sarta tecta ea conservari posset. Eamqve ultimo loco posuimus, ideò, qvòd prior hominum debeat esse cura, qvàm lapidum & ædificiorum. Aliàs, qvia seorsim & separatim unaqvæqve, cui debetur, exhibenda est portio, nihil interest, qvo loco & ordine unaqvæqve recenseatur. Ipse Gelasius, cujus pleraqve sunt, qvæ apud Gratianum inveniuntur, non eundem semper observat ordinem, sed in *c. vobis. & c. qvatuor. 12. q. 2.* hanc, qvæ ad fabricam pertinet, ultimo loco, & in *c. concesso. ibid.* tertio & penultimo numerat. Concilium autem Toletanum, cujus autoritatem idem Gratianus *c. sancimus. ibid.* adducit, primo loco ponit, & qvidem cum ampliatione aliqvâ his verbis: *ita, ut prima pars secundum Apostolorum præcepta titulorum nec non cœmeteriorum restaurationibus diligenter attribuatur.* Conjungit titulos & cœmeteria. Titulus accipitur hîc pro ipsâ Ecclesiâ, qvæ propterea titulata dicitur, & Oratoriis privatis contradistingvitur. Vid. P. Gregor. *de benefic. c. 8.* David Blondell. *apol. de Episc. & presbyt. p. 222. & 226.* Anton. Benge. & Franc. Pinsson. *de benefic. tit. de dispens. bon. Eccles. n. 35.* Cœmeteria autem primis Christianis qvædam veluti templa erant; sed & ipsa templis originem dedisse, ex primis religionis Christianæ monumentis observatum fuit. Vid. Christoph. Justell. *ad Cod. can. Eccles. univers. pag. 200.* Nicol. le Maistre *de bon. Eccles. l. 1. c. 15.* Atqve in istis cœmeteriis Sanctorum memorias conservari, inter pietatis opera refertur, cùm & ipsi Gentiles majorum suorum sepulchra religiosè conservaverint semper, & charitatis aliqvod haud vulgare in defunctos specimen exhibuerint.

XXXVIII. In hanc igitur templorum atqve cœmeteriorum conservationem atqve reparationem integra qvarta seponi debuit, neqve ex eâ qvicqvam retinere potuit Episcopus. Nefas enim est, si sacris ædibus destitutis in lucrum suum præsul impendia his sacris ædibus deputata convertat, uti ait Gelasius *c. qvatuor. 12. q. 2.* Et potuit qvidem erogatio ejus qvartæ ab aliis fieri, qvibus ea res commissa fuerat, non tamen nisi ad ordinationem pontificis, *c. vobis. ibid.* hoc est, sciente & disponente Episcopo, *c. Vulteranæ. ib.* Et debent adeò ea, qvæ Ecclesiasticis restaurandis ædificiis attributa sunt, in rem verti, ut huic operi veraciter prærogata locorum doceat instauratio sanctorum manifesta, *d. c. qvatuor.* *Qvod si qvid fortè sub annuâ remanebit expensâ*, hoc est, si residuum qvid fuerit,

rit, *electo idoneo ab utraq; parte* (h.e. Episcopo & illis, qvi erogationi præpositi sunt) *custode tradatur enthesis* (sive entheca, uti dicitur *c. nolo. 12. q. 1.*) hoc est, capsula, qvâ reservari id potest, *ut si major emerserit fabrica, sit subsidio, qvod ex diversi temporis diligentiâ potuerit custodiri: aut certè ematur possessio, qvæ utilitates respiciat communes. d. c. vobis. 12. q. 2.*

XXXIX. Ex istâ redituum Ecclesiasticorum divisione colligere licet, nondum eo tempore in usu fuisse præbendas & beneficia, qvæ deinceps invaluerunt. Nec frustra proinde qværit Gratianus post *c. illi. 12. q. 1.* an liceat res Ecclesiæ per præbendas dividi, ut annuos reditûs qvisqve sibi specialiter vendicet? Et cùm ex communione, qvæ in primâ Ecclesiâ obtinuit, objectionem movisset, suam hanc addit ἐπίλυσιν: *His ita respondetur: Sicut perfectione charitatis manente, secundum discretionem Ecclesiarum, distributio fit Ecclesiasticarum facultatum, dum aliis possessiones hujus Ecclesiæ ad dispensandum committuntur: ex qvibus licet res Ecclesiæ omnibus debeant esse communes; primùm tamen sibi & suæ Ecclesiæ deservientibus necessaria Episcopus subministret: reliqva qvæ supersunt, fidelium usibus ministraturus: ita & præbendæ Ecclesiarum eâdem charitate manente, piè & religiosè possunt distribui, nec tunc rebus Ecclesiæ ut propriis sed ut communibus utilitatibus deservituris, ut ex his, qvæ sibi assignata sunt, primum sibi necessaria percipiat. si qva verò suis necessitatibus supersunt, in communes usûs Ecclesiæ expendat.* Non improbat hanc Gratiani responsionem, nec approbat tamen per omnia Marcus Antonius de Dominis *lib. 9. de Rep. Eccles. c. 7. n. 32.* qvippe qvi divisionem præbendarum prorsus illegitimam, atq; contra canones introductam statuit. Sed n. cùm omnes illi canones ex dispositione pendeant Ecclesiasticâ, & in mero jure positivo consistant, cur mutare illos pro re natâ & ex usu Ecclesiæ non liceat, nulla ratio apparet. Nec ergò improbari possent præbendæ postea introductæ, nisi in illis reditûs magis & pingves proventûs, qvàm ipsum ministerium, & Canonicorum magis, qvàm Ecclesiæ salus & utilitas qværerentur. Sed qvia hodiè inverso planè ordine non præbenda propter ministerium, sed ministerium propter præbendam appetitur, erit sanè omnis iste appetitus inordinatus, perceptio præbendæ illegitima & præbenda ipsa vitio percipientis affecta. Sed in eam rem declamare nunc nihil attinet.

XL. Administratio istius pecuniæ & redituum, ex qvibus portiones supra enumeratæ fiebant, primis temporibus ad ipsum spectabat Episcopum, uti ex supra dictis, & inprimis ex *can. 25.* Concilii Antiocheni patet. qvi in erogatione, & potissimum qvidem in eleemosynis dandis, Diaconorum operâ utebatur. Postea verò, cum animadversum fuisset, rerum

Ecclesiasticarum curam Episcopos avertere à studio legendi & concionandi, eosqve ita veluti in ordinem dispensatorum, caupenum, procuratorum, publicanorum, qvæstorumqve redigi, uti loqvitur Chrysostomus *homil. 86. in Matth.* placuit Oeconomos ei rei præficere, qvi sub Episcopi directione bona Ecclesiastica administrarent, deqve illis stato tempore rationes redderent. Sic enim constitutum legitur in Concilio Chalcedonensi *can. 25.* qvi est ducentesimus qvartus in Codice Canonum *Eccles. univers.* à Christophoro Justello edito, & refertur à Gratiano *c. qvia. dist. 89. & c. qvoniam. 16. q. 7. Qvoniam in qvibusdam Ecclesiis Episcopi sine Oeconomis res Ecclesiasticas tractant, placuit omnem Ecclesiam Episcopum habentem, habere etiam Oeconomum de Clero proprio, qvi dispenset res Ecclesiasticas secundum sententiam proprii Episcopi.* &c. Conf. Petr. de Marca *de concord. sacerdot. & imp. l. 8. c. 18. n. 3. 4 5.* Aug. Barbos. *de jur. Eccles. l. 1. c. 46. n. 5. seq.*

XLI. Ab eo tempore multa passim Oeconomorum Ecclesiasticorum fit mentio, etiam in legibus Imperatorum, ut *l. 14. C. de SS. Eccles. l. 21. eod. l. 25. l. 33. l 42. l. 49. C. de Episc. & Cler. l. 5. C de iis, qvi ad Eccles. confug. Novell. 7. Novell. 23.* & alibi. Putatqve Claudius Espencæus *lib. 1. digress. c. 4.* diaconis, cùm sacris magis, qvàm profanis mensis ministrare incœpissent, Oeconomos fuisse substitutos. Fuit verò postidea magna horum Oeconomorum autoritas. Et refertur à Georgio Codino Curopalata *de offic. Eccles. Constantinop. cap. 1.* ὁ μέγας Οἰκονόμος, sive Magnus Oeconomus, & describitur ab eodem, qvod in omnes possessiones Ecclesiæ autoritatem habeat, omnemqve reditum, qvi ex eis percipitur. ministret autem sacerdoti summo & Ecclesiæ hâc Oeconomicâ procuratione. Hanc τοῦ μεγάλυ appellationem salse ridet & acriter perstringit Jacobus Gretserus *in observat. ad eund. cap. 3.* cujus verba, qvòd in civilibus officiis hodiè simile qvid apud nos contingere soleat, non pigebit adscribere: *Natum est*, inqvit, *illud ὁ μέγας ex recentium Græcorum ambitione, qvi officiis & dignitatibus titulum μεγάλυ admodum liberaliter præponebant, & sæpè duo officia, cæteroqvin paria, aliter non distingvebant, qvàm vocis τοῦ μεγάλυ appositione. Qvâ in re longè parciores & restrictiores sunt, semperqve fuêrunt Latini, qvi & ad omnes etsi virtute, & eruditione præstantes rarò hoc elogium qvasi prænomen aut cognomen transtulerunt, cùm tamen apud Græcos nihil sit freqventius, qvàm illud, ὁ μέγας, ὁ μέγας &c. sæpè ex muscâ μέγαν Elephantem facere solent.* Et jam qvoqve ex inge-

ingenito fastu μεγάλȣ titulo mirificè sese circumspiciunt. ὁ μέγας ῥήτωρ, ὁ μέγας σακελλάριος, ὁ μέγας οἰκονόμος, cùm sint omnium prope mortalium longè miserrimi propter jugum Turcicum. Hanc sanè Græcorum φιλοτιμίαν imitantur hodiè Qvæstores nostri, qvi cùm infimi sæpè inter literatos sint, & judiciorum ordinem atqve processum planè ignorent, ὑπέρτεροι tamen & esse & dici volunt. Cæterùm non apud Græcos tantùm, qvod putat Gretserus, sed in occidentali etiam Ecclesiâ seqvioribus temporibus, Oeconomi vocabulum & officium additamentum accepit. Disertè enim Archi-Oeconomi fit mentio in capit. Caroli M. *lib. 2. c. 29.*

XLII. Oeconomis perqvam similes fuisse qvibusdam videntur Vicedomini, qvi & ipsi rerum Ecclesiasticarum administratores dicuntur, *c. salvator. 1. q. 3. circa med.* Et ait Gregorius M. *lib. 1. epist. 11.* se Diaconum Anatolium constituisse vicedominum, cujus arbitrio episcopium commiserit disponendum. Episcopium autem ex interpretatione Concilii Meldensis *cap. 26.* domus Episcopi appellatur. Habebit igitur Vicedominus administrationem rerum Episcopi domesticarum. Unde in genere Speculator *lib. 1. tit. de Vicedomino*, eum dicit præesse rebus Episcopalibus. Et glossa *ad d. c. Salvator.* hanc facit inter Vicedominum & Oeconomum differentiam, qvod Vicedominus in rebus Episcopi, œconomus in rebus Canonicorum versetur. qvam seqvitur Mart. Meger à Schönberg *de advocat. arm. c. 2. n. 179.* Sed enim adstrictior mihi hæc videtur differentia, cùm utriusqve officium multò latiorem ambitum habuerit, neqve ad Canonicorum præbendas tantùm aut portiones limitata fuerit administratio Oeconomi, sed totum ærarium Ecclesiasticum commendatum habuerit. Et qvid est enim, qvod ait Sigebertus Gemblacensis *in chronicis*, Theophilum Vicedominum secundas partes Ecclesiasticæ dispensationis sub Episcopo egisse? Qvæ sanè dispensatio ad solas res Episcopi restringi neqvit.

XLIII. Sic igitur censeo, Vicedominum ipsum officium Episcopi sustinuisse etiam in rebus spiritualibus; Oeconomum verò temporales tantùm res & ærarium Ecclesiasticum curæ suæ commissum habuisse. Et qvod igitur ex Gregorii M. epistolâ de Episcopii dispositione adduxi suprà, non malè Gratianus sub *c. volumus. dist. 89.* de ipso Episcopatu interpretatur. Nec insubida est Hostiensis & Panormitani in *c. 7. X. de confirm. util.* observatio, qvam ad *c. 15. X. de judic.* probat Cujacius, Vicedominos propriè constitui ab sex illis Episcopis, qvi circa latus Romani Pontificis agunt, qviqve propterea ipsimet in Episcopatibus suis officium suum administrare neqveunt, qvales sunt Hostiensis, Portuensis, Sabinensis, Albanus, Prænestinus, Tu-

Tusculanus. Et videntur hi sex Vicarii *κατ' ἐξοχὴν* Vicedominorum appellationem habuisse. Solos enim ita dictos fuisse recte negat Anton. Dadin. Alteserra *ad d. c. 15. X. de judic.* Dicuntur a. Vicedomini, qvia Episcopi ipsi dicuntur domini, *c. 15. X. de excess. prælat.* Et sic enim iis occinitur: Jube Domine benedicere. Conf. Cujacius *l 1. Feud c. 2.* Anton. Mornac. *ad l. 14. C. de SS. Ecclef.* Jacob. Sbrozz. *de Vicar. Episc. l. 1. q. 2. n. 21.*

XLIV. Summa eorum, qvæ hactenus collegimus, hæc est, reditûs Ecclesiæ universos, & inter hos etiam illos, qvi ex dote proveniunt, in usûs tùm sacros, tùm alios, qvi vel Ecclesiæ ministris, vel pauperibus alendis, vel ædificiis sacris conservandis necessarii erant, insumptos eosqve diversimodè pro instituto cujusqve Ecclesiæ distributos fuisse. Qvibus si addantur ea, qvæ suprà sub *cap. 7.* dicere anticipavimus, plenissimè jam de fine constitutæ dotis Ecclesiasticæ constabit. Atqve is qvidem ultimatò in pietatem & charitatem Christianam resolvitur, ut & DEO & proximo inserviatur, in qvibus duobus totus divinus cultus consistit. Nec enim DEUM amat sincerè, qvi pauperi denegat, qvem præbere potest, cibum & vestitum. Utrumq; Deus conjunctim exigit, amorem sui, & hunc qvidem principaliter, & amorem proximi. Neutri satisfacit, qvi alterutrum negligit. Nec verò dari DEO potest qvicqvam, qvod non jam antè ejus sit, atqve idcircò, qvod ex reditibus Ecclesiasticis in cultum divinum impenditur, non aliter à DEO æstimabitur, nisi ex pio restituentis affectu. *Ita ibus DEO damus*, inqvit, Jul. Cæs. Scaliger *in poët. non qvasi egeat, sed qvasi, si cujus indigeret rei, qvæ penes nos est, ejus nos illi copiam facturi simus.* Cæterùm utrum perverti possit finis iste, & utrum in alios usûs, qvàm qvibus ab initio destinata fuerunt, converti qveant bona Ecclesiastica, instituti ratio non admittit, ut hîc prolixè disqviramus. Breviter: Non videtur id admittendum, nisi vel necessitas exegerit, qvam ipsam præsumptivè excepisset donator, vel superstitione infecta fuerit intentio donantis, qvam non admittit, nec admittere debet Ecclesia. Et huc facit, qvod Modestinus JCtus in *l. 16. ff. de usu & usufr. leg.* de legato civitati ad spectaculum publice prohibitum relicto, respondet. Conf. Joh. Hoornbeck *in exam. bull. Innocentii X. pag. 64. 65. seqq. it. pag. 131. & 295.*

XLV. Illud extra dubium est, majorum ætate cultum divinum multis superstitionibus inqvinatum, liberalitatem hominum tùm in dotibus Ecclesiæ constituendis, tùm in donationibus superadditis provocâsse, aliosqve metu cruciatuum infernalium & purgatorii, alios verò memoriæ suæ conservandæ gratiâ bona sua Eccle-

Ecclesiis addixisse. Adeò enim superstitio invaluerat, ut Alexander Alesius ad Jacobum V. Scotæ Regem scribat, *vidisse se literas magnâ autoritate scriptas à Franciscanis, in quibus polliceantur cuidam principi viventi octoginta millia missarum, mortuo autem duodecies centum millia.* His verò artibus & sub specioso hoc pietatis commentitiæ prætextu Clerici atqve monachi integras qvandoqve hereditates plurimaque alia bona acquisiverunt. Neque extitit ferè quisquam paulò opulentior, qui non unam aut alteram missam anniversariam, salutis suæ promotricem post mortem suam expeteret, legatâ aut donatâ hanc in rem bonorum suorum parte haud contemnendâ.

XLVI. Adduci hîc possent plurima, quæ huc faciunt, instrumenta. Sufficiat unicum, qvod nuper mihi in manus venit, his ipsis verbis conscriptum:

Ich Henrich Canytz zu Dablenn gesessen bekenne in diesen meym offen briue vor allermänniglich / die en sehen / hören / adder lesen / daß Ich mit vollburth / gunst / wissen und willē meyns gnädigsten Herrn / Herrn Friedrichs Hertzog zu Sachsen und Churfürst ꝛc. mit wohlbedachten muth und reysen rathe vor mich / alle meine erben und erbenehmen soben vierteil Landes uff d' heyde gelegen / und eyn hoff zu Trebytz durch sonderliche yngybunge des heiligen geists / umme all meyner vorfahren / meyner eltern und meyner selen seligkeit willen / dem Gottshauß und dem heiligen Hewtherrn Sancto Martino zu Trebytz. Reiche und gebe sulche ytztbemelte güter dem gedachten Gottshauß mit aller und iglicher zubehörung freyheiten und gerechtigkeiten / Inmassen Ich dasselbtige von meynen eltern und vorfahren gebraucht und ererbet han / von welchen gut die vorsteher des eher bestymten Gottesshauß mein eltern mein vorfahren und mir / dazu allen den meyn / ein ewige gedächtnis alle jar järlich / wenn en das embequemst ist / mit zcweyen pristern und so viel Cüsteren mit vilgen (vigilien) und seelmessen unverhindert sullen bestellen / uñ die vorsteher vilgenant sullen die prister mit samt den Cüstern mit einer meßigen collatien und mögelichen ymaß versorgen / darzu nach laufft der zceit

zeit das vilgengeld belohnen und ußrichten. Es sull auch sulches durch die Alter Leut obberürt unverhyndert eynigerley Herrengeboth/ adder sust geboth järlich zu halten bestalt werden. Und Ich uffbemelter Heynrich Canytz reiche und gebe sottanne gedachte güter dem bemelten Gottshauß/ und Sancto Martino von der hand weg in krafft und macht des briues nach aller weiß / form/ so das dorch recht sich gebühren mag/ daß sulchs alles/ wie berürt stete/ vast/ unverbroch/ unde an alles geuerde gehalden werde/ hab ich meyn ingesigel vor mich meyne erben und erbnehmen zcu warer bekentniße an dissen meynen offen briue wißendlich hangen laßen. Der gegebin ist zcu Dabbrun nach Xpi unsers Herrn gepurth vierzcehen hundert darnach im soben und achzigisten jahr am Montage am Barbare der heiligen Jungfrauen.

CAPUT XII.

De
Privilegiis Dotis Ecclesiasticæ.

SUMMARIA.

Opinionem Gentilium ipsorum antiqvissimam esse, qvòd in nullius bonis sint, nec in commercium proinde venire qveant res sacræ, n. 1.

Qvæ res sacræ dictæ, & à qvibus dedicatio earum facta? eòd.

Diis pluribus unam eandemq; rem dedicare non licuisse, eòd.

Tantam apud Gentiles fuisse religionis vim atq; numinis reverentiam, ut etiam in ruderibus sacrum agnoverint characterem, eòd.

Isthanc Gentilium pietatem exemplo fuisse Christianis, ut & ipsi non minùs ea, qvæ Deo consecrata, commercio hominum exemerint, & veluti transcendentia extra omnia civitatis jura posuerint, eòd.

Casus de campanâ jam baptizatâ & appensâ, per rei vindicationem ab artifice, cui satisfactum & pretium solutum non fuisset, in judicium deductâ, relatus ex Antonio Mornacio, n. 3.

Epi-

Epicrisis super decisione istius casûs, n. 4.

Enumeratio rerum sacrarum ex Johanne Azario, eôd.

Num campanæ etiam referantur inter res sacras? eôd.

Res sacræ qvotuplices sint & qvomodò inter se differant ratione alienationis? num. 3, 5.

De baptizatione campanarum apud Pontificios & baptizatarum earum persvasis facultatibus & virtutibus, eôd.

Res sacras qvandoq; generaliter dici de omnibus illis, qvæ qvoqvô modô ad religionem promovendam faciunt, n. 5.

Distinctio rerum sacrarum in sacras specialiter sic dictas, & ecclesiasticas, & qvid reqviratur ad utrarumq; alienationem? eôd.

Inter res Ecclesiasticas præcipuum tenere locum dotem Ecclesiæ, ipsamq; qvodam modo in Ecclesiæ prærogativam venire, & eôdem ferè cum illa privilegiô gaudere, n. 6.

Ecclesiam religionis & fidei matrem perpetuam esse, & ejus patrimonium jugiter servari debere, eôd.

Dos Ecclesiastica num & ex qva causa alienari qveat? eôd.

Accessionis tantam dignitatem non esse, qvanta est rei ipsius principalis, eôd.

Propter qvod unumqvodq; tale, illud magis tale est, eôd.

De solennitatibus & reqvisitis alienationis dotis ecclesiasticæ aliarumq; rerum sacrarum, n. 7.

Repetitio ex hactenus dictis: dotem ecclesiasticam per abdicationem dominii privati, qvod hominum est, in dominium divinum, non generale illud & supereminens, qvod omnium rerum sit, sed speciale planè & ab humana proprietate liberum transiisse; & hinc factum esse, ut nullam ampliùs in illius bonis inter homines esset commercium, n. 8.

Primum illud privilegium fundamentum esse reliqvorum omnium, eôd.

An Ecclesiæ datum aut donatum dici possit, qvod in dotem datum? eôd.

Ecclesiam corpus aliqvod mysticum esse, cujus caput ipse Christus & Deus, eôd.

Etiam in secularibus dotem tàm in mariti, qvàm in uxoris dominio esse, eôd.

Recensio constitutionis Karoli Magni de observandis rebus Ecclesiasticis, n. 9.

Tertium privilegium dotis Ecclesiasticæ, qvòd ejus administratio pertineat ad Episcopum, ejusqve curæ tota sit subjecta, n. 10.

Ejus subjectionis mentionem plerumqve factam esse in chartis dotalibus, n. 11.

Ipsô jure dotem constitutam unà cum ipsa Ecclesia Episcopo istius diœceseos subfuisse, licet subjectionis istius expressa mentio facta non fuerit, & reliqva bona universa Episcopo fuisse commendata, eôd.

Verba Posfidii de Augustino & Chrysostomo, curam istam œconomicam à populo suscipi volentibus, n. 12.

Non repugnare rerum ecclesiasticarum temporalium naturæ, qvò minùs cura & administratio earum ab laicis suscipi possit, n. 13.

Dictam Episcopi administrationem & tertium hoc dotis ecclesiasticæ privilegium non esse ex jure divino, sed potiùs ex jure ecclesiastico positivo, qvod pro re nata mutari, & in aliam planè formam verti qveat, eôd.

Qvartum privilegium dotis ecclesiasticæ: qvòd ita exeat dominio donantis, ut nullum omninò jus ei reliqvum sit, n. 14, 20.

Num patronus tempore fundationis consensu Episcopi sibi reservare & stipulari censum qvotannis solvendum & alias indictiones extraordinarias aut certa commoda & emolumenta alia possit? n. 15, 16.

Non civili tantùm, sed etiam naturali juri consentaneum esse, ut cuiq; rem suam, prout libuerit, alienare liceat, atq; integrum adeò sit in rebus donatis aliqvod jus reservare, qvo frui deinceps sine cujusqvam contradictione qveat, n. 16.

Ex qva causa Canonistæ consensum Episcopi reqvirant? eod.

Verba diplomatis Rudolfi Comitis Helffensteinii in rem præsentem, eôd.

Etiam in aliis donationibus, & qvidem in his faciliùs, qvàm in dote constituenda reservationes admitti, n. 17.

Reservationes istæ in qvem imprimis finem additæ videantur? n. 18.

De precibus pro defunctis, apud Pontificios, eod.

Patrono ne qvidem administrationem dotis gerere licitam esse, & qvid ipsi extra dictum reservationis jus liceat? n. 19.

Num circa res temporales rationes reddendæ patrono laico apud Pontificios? Et qvid in nostris Ecclesiis obtineat? eod.

Patrono ad paupertatem redacto suppeditari ab Ecclesia debere temporalis vitæ suffragia, eod.

In antiqvis chartis dominii vocabulum sæpè impropriè pro imperio, aut jure superioritatis accipi, n. 20.

Jus superioritatis à Principe reservatum intelligi si expressè id non reservaverit, dato licet Ecclesiæ castro, eod.

Dominium propriè sic dictum patrono ita non posse competere in constituta dote, ut nec reservare istud per expressam conventionem ei liceat, n. 21.

Donationem esse speciem alienationis, & talis qvidem, per qvam de dominio transferendo agitur; indeq; rectè genus acqvisitionis dici, eod.

Num

Num Donator pacisci qveat, ut res donata in dominio suo maneat? eod.

Principaliter exigi in dote constituenda, ut donator eâ mente det, ut statim velit accipientis fieri, nec ullô casu ad se reverti, eod.

Modestini Pistoris verba eam in rem, eod.

De Qvinto privilegio dotis ecclesiasticæ, exemptione sc. à jurisdictione seculari, num. 22.

Seculis primis nulla omninò ecclesiastica judicia, nullam Ecclesiæ jurisdictionem, nullum forum Episcoporum fuisse; sed ultimam animadversionem per excommunicationem expeditam esse, qvæ tamen & ipsa nullam adjunctam habuerit potestatem ἀναγκαστικὴν, eod.

De initiis, incrementis & ἀκμῇ jurisdictionis Ecclesiasticæ, n. 22, 23.

In personas primùm Jurisdictionem episcopalem terminatam, de bonis autem ecclesiasticis nullum adhuc penes Clericos fuisse judicium, sed penes alios à Regibus singulariter ad id constitutos, Vicedominos, & Advocatos aliqvando nominatos, eod.

Successu temporis etiam de Ecclesiæ bonis in judicio episcopali cognitionem institui cupisse, sed tantummodo de illis primitiis, qvæ in dotem data, n. 24.

Etiam in aliis donationibus id maximè operam dedisse, ut res donata ab jurisdictione seculari exempta fieret, & donatorem, si is ipse terræ Dominus fuisset, plerumq; in charta donationis privilegium immunitatis addidisse, totumq; donatum locum liberum fecisse, n. 25.

Qvid factum, si donator τὸ κύριον non habuerit in terra Ecclesiæ donata? n. 26.

Etiam aliàs, qvi jurisdictionem habet in fundo aliqvo, & fundum illum cum omnibus juribus & qvalitatibus, uti optimus maximus est, donat, vendit, aut qvocunqve modô alienat, cum juribus istis etiam jurisdictionem, qvæ fundo isti inhæret, transire, §. 1.

Judicia criminalia, qvæ pœnam sangvinis inferunt, ab Ecclesia & personis ecclesiasticis expediri minimè posse, & hinc terræ Dominos sibi haud raro merum imperium & cognitionem de criminibus reservare solitos esse, n. 27.

Etiam in civili jurisdictione secularem sæpè cum ecclesiasticâ concurrisse, ex pacto aut transactione, n. 28.

Sine consensu ejus, cujus est jurisdictio, bona per donationem in Ecclesiam translata hoc fori privilegium non nancisci, idq; multò magis hodiè obtinere, num. 29.

De qvalitate hereditaria & fructibus jurisdictionum hodiernarum, eod.

Consensum istum qvàm maximè necessarium esse in rebus Ecclesiæ in dotem datis, num. 30.

Bona Ecclesiastica præter ea, qvæ immediatè cultui divino inserviunt, κατ' ἐξοχὴν dici illa, qvæ in dotem data sunt, eôd.

Causa consensûs à magistratibus secularibus non difficulter dandi & judicia ecclesiastica seorsim instituendi, eôd.

De Judiciis Ecclesiasticis sive Consistoriis harum provinciarum Saxonicarum eorumq; cognitione, n.31.

De bonis Clericorum patrimonialibus in Galliâ sæpè judicatum esse, qvod presbyter debeat cedere rebus secularibus, nisi malit solvere & renunciare, eôd.

Utrùm villicis sacræ Ecclesiæ competat privilegium fori ecclesiastici, ne aliò, qvàm ad pontificium tribunal, evocentur? n.32, 33.

Forum ecclesiasticum in nostris provinciis ab ipso Principe constitui & ex ejus imperio dependere, n.33.

Principem, utpote jurisdictionis suæ æstimatorem, exercere eam posse per qvoscunq; & qvomodocunqve velit, si modò ea, qvæ naturam processûs judiciarii constituunt, non omittantur, eôd.

Forum competens esse, ubi res, de qva agitur, sita est, n.33, 35.

Qvid ratione jurisdictionis statuendum de dotalibus nostris hodiernis in genere, & in specie 1. de iis, qvi agris parochialibus colendis destinati? num.34.

2. De iis, qvi præter agros ecclesiasticos, alios insuper colunt proprios? n. 35.

3. De iis, qvi agros ecclesiasticos titulô emptionis his conditionibus suos faciunt, ut in recognitionem dominii pristini qvotannis vel certa servitia, vel certum censum præstent? simulq; de iis, qvi tale qvid non præstant? n.36.

Omnes fundos, qvi in territorio sunt, etiam de territorio intelligi, et ex hoc communibus oneribus affectos esse, nisi specialiter exempti sint, eôd.

Conclusio ex antedictis: jurisdictione seculari regulariter censeri debere exemptos, qvi verè & propriè dotales Ecclesiæ sunt, & in hunc finem ab initio Ecclesiæ agris in dotem datis mancipati sunt, aut adhuc mancipantur; Et qvi tales in dubio intelligantur? qvalisq; sit hôc casu præsumptio pro jurisdictione ecclesiastica? n.37.

Cautè & providè admodùm agendum esse in judicio, sicubi controversia status moveatur, ne eximantur dotales temerè jurisdictione seculari, vel eidem sine justâ ratione adjudicentur, eôd.

Qvaliter Domini Consistoriales Witebergenses antehac se gesserint in pronunciando super jurisdictione in dotales? eôd.

Sententia eorundem hanc in rem, n.38.

De

Munera extraordinaria quæ sint, & quæ sordida? n. 52. 56. 57.

Honorii Imperatoris benignitas quæ fuerit? n. 53.

Capitatio quid sit in constitutione Theodosii junioris? n. 55.

Nomen sordidorum munerum displicuisse aliquando Imperatoribus, n. 57.

Ex antè recensitis Observationes duæ, 1. immunitates ecclesiasticas non ex Jure divino, sed ex mero Jure humano positivo provenire, & quidem ex concessione Principum; 2. nondum eo tempore distinctam fuisse dotem ecclesiasticam, aut mansum in dotem datum, ab reliquis bonis quacunque liberalitate in Ecclesiam translatis. Quibus appendicis locô additur: non vanam esse aut confictam Panormitani & reliquorum Canonistarum distinctionem, quâ Ecclesiam ad onera perpetuò insita & immutabilia teneri, ad variabilia autem & repentina non teneri contendunt, n. 59.

Inter extraordinarias collationes, quibus immunes fuerunt Ecclesiæ non referri eas, quæ ex gravi aliqua & urgente Reip. necessitate indicuntur, n. 60. Subjunctis Canonistarum limitationibus & earum confutationibus, n. 61, & 62.

Privilegium immunitatis generaliter concessum non includere casum necessitatis publicæ; & necessitatibus subveniendum esse cum jactura universorum, non quorundam tantùm, n. 60.

Principem augere & minuere pro lubitu posse immunitatis ecclesiasticæ privilegia sine cujusquam alterius consensu; & in solius Principis voluntate consistere, quousque valere velit privilegia à se liberaliter concessa, n. 62.

SEPTIMUM dotis ecclesiasticæ privilegium esse, quòd ejus dominium transferatur in Ecclesiam absq; traditione, n. 63.

Istud habere etiam locum in reliquis rebus Ecclesiæ donatis aut venditis, eôd.

Traditione vel verâ, vel Symbolicâ translationem dominii fieri magis solennem tantum, eôd.

Non illicò ad substantiam actûs pertinere ea, quæ ad solennitatem aliquam externam conducunt, & non protinus negocium ipsum constituere, quæ probationi inserviunt, eôd.

Quàm amplum & latè patens faciant Canonistæ præsens privilegium? eod.

OCTAVO competere doti Ecclesiasticæ universa illa privilegia, quæ in Jure concessa inveniuntur doti uxoriæ, n. 64.

Quid de matrimonio spirituali sentiendum? remissivè *eod.*

Pro Ecclesiâ omninò laborandum esse, ut habeant ejus ministri, unde vivere & cultum divinum peragere queant, eod.

Dotis

Dotis ecclesiasticæ constitutionem non esse necessariam, eod

Interesse Ecclesiæ, dotem constitutam salvam habere & per concessa privilegia conservare. eod.

Antiqvissima hæc inter ipsos Gentiles nota est opinio, in nullius bonis esse, nec in commercium proinde venire posse res sacras, qvam proponit Marcianus JCtus in *l. 6. §. 2. ff. de R. D.* Sacræ enim dicebantur demum res illæ, qvæ publicè consecratæ, non privatè, *d. l. 6. §. 3.* qvæqve (Deo, non diis, diis enim pluribus rem unam eandemqve dedicare non licuit, uti optimé notat Anton. Matthæus nepos ad §. 8. *Inst. de R. D.*) publicè dedicatæ erant, sive in civitate essent, sive in agro, *l. 9. ff. eod.* Et dedicatio ista stante Republ. â Duumviris fiebat, qvibus populus jus dedicandi concesserat; mutatâ eâdem â Principe, vel eo, cui ille dedicandi dederat potestatem, *d. l. 9. §. 1.* Vid. Joh. Selden. *de Synedr. lib. 3. c. 13. num. 5.* Eratqve tanta apud eos religionis vis atqve numinis reverentia, ut etiam in ruderibus sacrum agnoscerent characterem. Semel enim æde sacrâ factâ, inqvit Marcianus in *d. l. 6. §. 3.* etiam diruto ædificio, locus sacer manet, hoc est, talis ut non possit trahi in commercium. *l. 73. ff. de contr. empt.*

II. Hæc gentilium pietas exemplo fuit Christianis, ut & ipsi non minùs ea, qvæ DEO consecrata erant, commercio hominũ eximerent, & veluti transscendentia extra omnia civitatis jura ponerent. Qvò inprimis facit constitutio Justiniani in *l. 21. C. de SS. Eccles.* Eaqve propter in ipsâ etiam Ecclesiâ, severè animadversum fuit in eos, qvi res sacras alienare, atqve contractûs circa illas celebrare ausus fuisset, uti qvamplurimis veterum sententiis confirmat Gratianus *caus. 2. q. 2.* Hinc adeò Ivo Carnotensis *epist. 111.* nullâ ratione admittit, ut in usûs alios vertantur bona Ecclesiastica, qvàm qvibus ab initio destinata fuerunt. *Res enim Ecclesiasticæ*, inqvit, *sicut testantur etiam seculi leges, qvia divini juris sunt, in nullius bonis sunt & ideò prorsus errat, qvi pro suis occasionibus, aut principum jussionibus, â qvibus eas maximè servari convenit, usurpat & malè tractat.* Et in *epist. 282.* ait item: *Cùm ea, qvæ Xenodochiis, Ptochotrophiis vel aliis religiosis domibus devotio fidelium pro redemptione animarum suarum dare consvevit, ad sustentationem eorum, qvi ibi commorantur, non jam in humanis rebus computanda sunt, qvia DEI sunt, oportet rectores Ecclesiarum, ut ea tanqvam divina patri-*

patrimonia in defensionem Ecclesiæ suscipiant &c.

III. Memorabile est, qvod de campanâ jam baptizatâ & appensâ, per rei vindicationem ab artifice, cui satisfactum & precium solutum non fuerat, in judicium deductâ refert Antonius Mornacius *ad l. 1. ff. de R. D.* Ejus verba, qvantumvis prolixiora, qvia specialem casum continent, integra adscribam. *Adjiciendum*, inqvit, *hic existimavi, qvod anno 1603. 19. Febr. malam fidem æditiorum Ecclesiæ paræcialis montis desiderii publicè exeruit. Cùm enim faber ærarius nolas eis pulchrè affabreq; factas exhibuisset, illasq; sacrari, Deoq; dicari ac benedici, seu ut vocitat vulgus, baptizari, imò & adpendi, nullâ accepta ab ipsis pecunia passus fuisset: postea tamen mercede pacta, qvalis ille Horatianus Laomedon, destituerunt perfidi illi nebulones artificem, qvasi opus ita sacratum dicatumqve DEO vindicare deinceps nemini citra sacrilegii crimen liceret. Consuluit igitur elusus faber jurisperitos, qvorum consilio vindicavit conflatas appensasq; nolas. Jure eam vindicasse dixit patrius Juridicus. Appellare nihilominus paræciani ausi sunt Senatum, qvi auditis hinc inde patronis fabrum istum posse vendicare nolas, easq; de summo, in qvo appensæ erant, deponere, qvantumvis sacratas atqve benedictas, censuit, nisi metallum, qvo conflatæ fusæqve fuissent, operamq; et mercedes pactas solverent.* &c.

IV. Utrum hanc decisionem probatura sunt universa & singula Pontificiorum dicasteria, videant ipsi inter se. Enimverò res sacras dicit Johannes Azorius *Institut. moral. lib. 9. c. 27.* esse Sacramenta; deinde altaria, vasa, vestes, Sanctorum reliqvias, imagines, in quibus Sancti coluntur, deniqve omnia, qvæ pertinent ad cultum divinum, & usibus divinis & sacris deputantur, qvæ solent esse consecrata aut Episcopali autoritate certis ritibus & precibus adhibitis ad divinos usûs & Ecclesiastica ministeria destinata. Qvis verò negaret jam, inter res sacras referri debere etiam campanas? Sed enim res sacras duûm esse generum, post Johannem Fabrum ait Mornacius *d. l.* qvasdam esse deputatas DEO immediatè, ut calices, cruces, ornamenta, & has alienari non posse; aliqvas verò mediatè, ad servitium servientium DEO, ut fundos & similia, & has alienari posse ob utilitatem Ecclesiæ, vel necessitatem, atqve inter has ultimas referri debere campanas. Non malè, nisi qvod non satis conveniat ista distinctio praxi pontificiorum, qvippe qvi campanis per baptismum specialiter adhibitum facultates & vires planè supernaturales sese conferre persvasum habent, & sic in eodem censu cum fundis habere neqveunt.

Nec

Nec enim qvicqvam eis in baptizandis hominibus superest, qvod non adhibeant æqvè baptizandis campanis. Rogantur susceptores, imponitur sancti sanctæve alicujus nomen, ipsa campana lavatur aqvâ cum invocatione Dei Patris, Filii ac Spiritûs S. inungitur chrismate, sale ac sputo, abstergitur speciali formâ linteo, exorcisatur &c: qvos ritûs omnes falsè perstringit Andreas Rivetus *in Cathol. Orthodox. tract. 2. qvæst. 17. num. 11. seqq.* ut maximè non tàm baptizari, qvàm benedici campanas vulgò statuant Pontificii. Vid. Joh. Bapt. Casalius *de veter. Sacr. Christ. ritib. cap. 43.* Qvod si per baptismum hunc insuper campanis perinde ut hominibus characterem imprimi statuunt, vix erit, ut vindicationem admittant juris ejus, qvod qvis antea in materiâ habuit.

V. Id tamen certum est, res sacras qvandoqve generaliter dici de omnibus illis, qvæ quoquo modo ad religionem promovendam faciunt, & hinc ab Interpretibus rectè statui duplices. Aut enim ad usum & cultum divinum directò & simpliciter destinatæ sunt: ut templa, donaria, calices, libri & omnis alia supellex sacra; aut non sunt deputatæ ad Dei cultum immediatè ac simpliciter, sed ad sustentationem ministerii, veluti reditûs annui, prædia &c. Ego illas distinctionis gratiâ sacras, has Ecclesiasticas commodiùs dici existimo. Utræqve DEO dicatæ dicuntur; *c. nulli. 12. q. 2.* Sed illæ majorem cum cultu divino habent connexionem, hæ remotiùs illum attingunt, imò ferè non attingunt. Et neutræ proinde possunt alienari, nisi ex causâ gravissimâ, qvæ examinari ab Episcopo & reliqvo clero debet, & sub certis solennitatibus, *l. 14. l. 21. C. de SS. Eccles.* Sed hæc tamen faciliùs, qvàm illæ, in commercium veniunt, ex eâ ratione, qvòd cultum divinum immediatè non attingant. Vid. Joh. Shneidewein & Joh. Harprecht *ad. §. 7. Inst. de R. D.*

VI. In posteriori genere eminet & præcipuum tenet locum dos Ecclesiastica, qvæ singulare hoc habet, qvod ideò, qvia ex mente & sententiâ Canonistarum Ecclesia hodiè sine dote consecrari non debet, ipsa qvodammodò in Ecclesiæ prærogativam veniat, & eodem ferè cum illâ privilegio gaudeat. Posito enim, qvod volunt Canonistæ, Ecclesiam sine dote consistere non posse, in promptu erit conclusio, non magis dotem, qvàm ipsam Ecclesiam alienare licere. Et qvia Ecclesia religionis & fidei mater perpetua est, ita ejus patrimonium jugiter servari debet illæsum, *d. l. 14. C. de SS. Eccles.* Si tamen gravis instet necessitas, in comparatio-

ne faciliùs, nisi fallor, dos constituta, qvippe qvæ ex se usum aliqvem præbet, qvàm Ecclesia, alienari poterit. Qvia enim dos constituta non facit ipsam Ecclesiam, sed est accessio Ecclesiae, non erit sane accessionis ejus tanta dignitas, qvanta ipsius rei principalis. Et magis igitur ipsius Ecclesiæ, qvàm bonorum ejus prohibita est alienatio, *auth. multo magis. C. de SS. Eccles.* Privilegia namqve rebus Ecclesiasticis, ne alienari possint, concessa sunt propter ipsas Ecclesias. Propter qvod autem unumqvodqve tale est, illud magis tale est, ex communi Philosophorum axiomate.

VII. Qvòd si alienare dotem Ecclesiasticam omninò necesse fuerit, haud paulo accuratiùs observari debere solennitates existimo, qvàm in reliqvis bonis Ecclesiasticis, dum tamen prolixiores istos tractatûs temporis ratio & necessitas ipsa admittat. Qvantis enim ambagibus alienatio talium rerum fieri debeat, & qvibus reqvisitis intendere eam liceat, eleganter & in compendio qvasi exponit Joh. Paponius *lib. 1. tit. 13. arest. 3.* Conf. Gvid. Papæ *qvæst. 149. seq.* Alfons. Vilagut *integr. tract. de reb. Eccles. malè al.* & Dd. communiter *ad tit. Decretal. de reb. Eccles. al. vel non.* Istæ solennitates omnes multo accuratiùs & sollicitè magis observandæ sunt, si de alienatione rerum ad dotem Ecclesiæ pertinentium qvæstio fuerit, qvàm ubi de rebus donatis aliis agitur. Cavendum enim in illis maximè hoc est, ne successu temporis indotata relinqvatur Ecclesia & ministri ejus, si aliunde non habeant, unde vivant, egere & esurire cogantur. Qvandoqvidem dos ipsa, necessaria plerumqve ministris præbet alimenta, qvibus carere illi haud qvaqvam possunt; qvæ autem adduntur insuper res ex pietate donatæ, uberiorem solent facere victum, & lautiores instruere mensas, sed qvas noluit olim Ecclesia antiqva, & qvibus ad luxum proclivis admodum est descensus, qvæqve adeò cultum divinum sufflaminant sæpiùs, qvàm promovent.

VIII. Diximus hactenus, dotem Ecclesiasticam per abdicationem dominii privati, qvod hominum est, in dominium divinum, non generale illud & supereminens, qvod omnium rerum est, sed speciale planè & ab humanâ proprietate liberum transiisse; deinde, factum hinc, ut nullum amplius in illis bonis inter homines esset commercium. Et sic duo jam dotis Ecclesiasticæ expendimus privilegia. Qvorum primum illud fundamentum esse videtur reliqvorum omnium. Nec repugnat, qvòd Ecclesiæ datum aut donatum dicatur id, qvod in dotem datum est,

est, atqve sic Ecclesiæ dominium istius rei acqvisitum videatur. Est enim Ecclesia corpus aliqvod mysticum, cujus caput est ipse Christus & DEUS, ut adeò, qvod Ecclesiæ proprium est, in ipsius DEI dominio esse intelligatur. Cui accedit, qvod etiam in secularibus dos tàm in mariti, qvam in Uxoris dominio esse dicatur, *l. 30. C. de jur. dot.* qvanqvam crassiusculè hic istud applicetur, neqve similitudo matrimonii hìc satis apta & conveniens sit, uti supra explicavimus.

IX. Pertinet huc insignis constitutio Karoli M. apud Benedict. Levit. *l.6.capit. 305.* qvam pleramqve adscribere operæ erit precium, ut qvâ religione res Ecclesiasticæ observatæ fuerint, clarius pateat. *Omnia, qvæ Domino offeruntur, procul dubio Domino consecrantur. & non solùm sacrificia, qvæ à Sacerdotibus super altare Domino consecrantur, oblationes fidelium dicuntur, sed qvæcunqve ei à fidelibus offeruntur, sive in mancipiis, sive in agris, vineis, sylvis, pratis, aqvis aqvarumve decursibus, artificiis, libris, utensilibus, petris, ædificiis, vestimentis, pellibus, lanificiis, pecoribus, pascuis, membranis, mobilibus & immobilibus, vel qvæcunqve de his rebus, qvæ ad laudem Dei fiunt, vel supplementum Sanctæ Dei Ecclesiæ ejusqve sacerdotibus, atqve ornatum præstare possunt, Domino, Ecclesiæqve sive à qvibuscunqve ultrò offeruntur, Domino indubitanter consecrantur, & ad jus pertinent Sacerdotum. Et qvia Christum & Ecclesiam unam personam esse veraciter agnoscimus, qvæcunqve Ecclesiæ sunt, Christi sunt. Et qvæ Ecclesiæ vel in supradictis vel in qvibuscunqve speciebus, sive pollicitationibus, sive pignoribus, sive scriptis, sive corporalibus rebus offeruntur, Christo offeruntur, & qvæ ab Ecclesiâ ejus qvocunqve commento alienantur vel tolluntur, sive alienando, sive vastando, sive invadendo, sive minorando, sive diripiendo, Christo tolluntur. Et si ab amico qvippiam rapere furtum est, præcipuè Christo Domino nostro, qvi est Rex Regum & Dominus dominantium, aliqvid auferre, alienare, subripere vel vastare sacrilegium est.* &c.

X. TERTIUM privilegium dotis Ecclesiasticæ est, qvòd ejus administratio pertineat ad Episcopum, ejusqve curæ tota subjecta sit. De qvâ re aliqvot recenset Canones Gratianus *caus. 10. q. 1.* videlicet ex Concilio Toletano III. *Sic qvidam contra omnem auctoritatem Ecclesias, qvas ædificaverunt, postulant consecrari, ut dotem, qvam eidem Ecclesiæ contulerint, censeant ad Episcopi ordinationem non pertinere. qvod factum taliter in præter-*

ito corrigatur, ut & in futuro ne fiat, probibeatur: & omnia secundum constitutionem antiqvam ad Episcopi ordinationem & potestatem pertineant. Et ex Concilio Cabalonensi II. *Decretum est, ut omnes Ecclesiæ cum dotibus suis, & decimis, & omnibus suis juribus in Episcopi potestate consistant, atqve ad ordinationem suam semper pertineant.* Item ex Concilio Antiocheno: *Qvæcunqve res Ecclesiasticæ sunt, convenit cum omni diligentiâ & bonâ fide, qvæ Deo debetur, qvi omnia prævidet & cuncta judicat, gubernari & dispensari cum judicio & potestate Episcopi, cui totius plebis animæ videntur esse commissæ.* Sic & ex concilio Aurelianensi: *De his, qvæ paræciis in terris, vineis, mancipiis atqve peculiis qvicunqve fideles obtulerint, antiqvorum canonum statuta serventur, ut in Episcoporum potestate consistant.*

XI. Ejus subjectionis mentio plerumqve fiebat in chartis dotalibus. Sic enim in Concilio Bracarensi II. *c. 5.* constitutum legitur: *Hoc tamen unusqvisqve Episcoporum meminerit, ut non prius dedicet Ecclesiam, nisi antea dotem basilicæ & obseqvium ipsius per donationem, chartulâ confirmatam accipiat.* Et extat apud Gratianum *c. placuit. 1. q. 2.* Imò verò etsi subjectionis istius expressa mentio facta nulla fuerit, ipso jure tamen dos constituta unà cum ipsâ Ecclesiâ Episcopo istius diœceseos subesse intelligebatur, uti optimè notant Ant. Bengeus & Franc. Pinsson. *de benefic. tit. de dot. constit. §. 3. n. 5.* qvemadmodum & reliqva bona universa Episcopo commendata erant. Inde adeò in Concilio Gangrensi circa annum Domini CCCXXIV. *can. 7.* constitutum legitur: *Si qvis oblationes Ecclesiæ extra Ecclesiam accipere vel dare voluerit, præter conscientiam Episcopi, vel ejus, cui hujuscemodi officia commissa sunt, nec cum ejus voluerit agere consilio, anathema sit.* Et canone 8. *Si qvis dederit vel acceperit oblata præter Episcopum vel eum, qvi constitutus est ab eo ad dispensandam misericordiam pauperibus, & qvi dat, & qvi accipit, anathema sit.* Qvi ambo Canones adversus Eustathianos qvidem confecti sunt, notante Francisco Longo à Coriolano *ibid.* simul tamen officium Episcopi exponunt, & qvod non liceat alteri alicui illud intervertere.

XII. Postqvam ita propter auctas Ecclesiæ opes, & acqvisita subinde latifundia non difficilior tantùm & multo operosior qvotidiè fieret administratio Episcoporum, sed etiam invidiæ insuper haud rarò exponeretur, atqve ob id Cleri-

Clerici perqvàm acerbè traducerentur, huic malo suâ ætate mederi cupiens Augustinus, à populo Oeconomicam istam curam suscipi voluit, seqve liberari ab administratione petiit, sed impetrare tamen neqvicqvam potuit. *Pauperibus erogabat*, inqvit Possidius *in vit. Aug. vel ex reditibus possessionum Ecclesiæ, vel etiam ex oblationibus fidelium. Et dum fortè, ut assolet, de possessionibus ipsis invidia Clericis fieret, alloqvebatur plebem DEI, malle se ex collationibus plebis DEI vivere, qvam illarum possessionum curam vel gubernationem pati. ---- --- Sed nunqvam id Laici suscipere voluerunt.* Pari modo Johannes Chrysostomus Episcopus Constantinopolitanus ut administrationem patrimonii Ecclesiastici à se removeret, populum Constantinopolitanum rogavit, ut eam curam in se suscipere vellet. *Qvare rogo & obsecro, inqvit ille homil. 86. in Matth. aream & torcular vestram devotionem fieri. Sic enim & pauperes faciliùs alentur, & DEUS glorificabitur.*

XIII. Utriusqve hæc verba ostendunt, non repugnare naturam rerum Ecclesiasticarum temporalium, qvò minùs cura & administratio earum ab Laicis suscipi possit. Etsi enim suscipere eam populus noluerit; non tamen id factum est proptereà, qvòd se inhabilem crederet, sed devotioni ejus potiùs id adscribendum est, ut testatum faceret, & sperare se benè, & optimè sentire de ministerio, nec attendere idcircò vanos malevolorum qvorundam sermones. Id interim inde colligere licet, non esse istam Episcopi administrationem, & tertium hoc dotis Ecclesiasticæ privilegium ex jure divino, sed potiùs ex jure Ecclesiastico positivo, qvod pro re natâ mutari, & in aliam planè formam verti qveat. Qvin utiliùs sæpè erit, Laicos bonæ existimationis & intemeratæ fidei ærario Ecclesiastico præficere, qvàm Clericis in luxum sæpè nimium propendentibus & fruges consumere natis ejus curam committere.

XIV. QVARTUM privilegium dotis Ecclesiasticæ est, qvod ita exeat dominio donantis, ut nullum omninò jus ei reliqvum sit. Sic enim apud Gratianum *c. noverint. 10. q. 1.* constitutum legitur in concilio Toletano IV. *Noverint conditores basilicarum, in rebus, qvas eisdem Ecclesiis conferunt, nullam se potestatem habere: sed juxta canonum instituta, sicut Ecclesiam, ita & dotem ejus ad ordinationem Episcopi pertinere.* Qvò pertinet, qvod ex Canisii *tom. 6. antiq. lect.* de Guntherio Comite refert Nicolaus le Maistre *de bon. Eccles. l. 2. c. 7.* noluisse eum ab initio ad interrogationem Virgilii Episcopi, à qvo consecrationem petierat, profiteri, cujus in dominio esse deberet, qvod construxisset, monasterium; tandem verò, postqvam retinuisset Episcopus

Hh 3 con-

consecrationem facere, promisisse, velle se monasterium istud perficere, & cum omni proprietate suâ eandem Ecclesiam, si consecrâsset, ad Salzburgensem sedem Episcopatûs & ad illam dominationem pleniter per omnia secundùm Canones tradere &c.

XV. Admittunt tamen Canonistæ, posse patronum tempore fundationis consensu Episcopi sibi reservare & stipulari censum qvotannis solvendum, & alias indictiones extraordinarias, aut certa commoda & emolumenta alia. Verùm ut id fieri possit, plurima necesse est, ut concurrant reqvisita. *Primum* hoc est, ut reservatio ista aut stipulatio fiat tempore fundationis. Eâ enim jam fundatâ & consecratâ nihil ampliùs residuum est patrono, qvod reservare sibi possit. *Secundò* reqviritur, ut reservatio ista fiat consentiente Episcopo, qvandoqvidem Rector Ecclesiæ sine autoritate Episcopi promittere hic nihil potest. *Tertiò* reqviritur, ut per istam stipulationem dos non desinat esse sufficiens. Et proinde *qvartò* sibi reservare neqvidqvam potest, qvi dotem tantummodò dat necessariam. Vid. Rochus de Curte *de jur. patron. sub rubr. de util. n. 6.* Cæs. Lambertin. *qvæst. 3. art. 16.* Julian. Vivian. *part. 1. lib. 2. cap. 4. n. 19.* & *cap. 8. per tot.* Qvartum tamen & ultimum istud reqvisitum necessarium forte non est, si pactus fuerit patronus, ad se spectare debere fructus Ecclesiæ, qvando contigerit eam vacare, qvale pactum admittit Rochus de Curte *d. l. n. 7.* Tùm enim nihil interest, sufficiens tantùm, an exuberans fuerit dos constituta.

XVI. Est verò hoc non civili tantùm, sed etiam naturali juri consentaneum, ut cuiqve rem suam, prout libuerit, alienare liceat, atqve integrum adeò sit in rebus donatis aliqvod jus reservare, qvo frui deinceps sine cujusqvam contradictione qveat. *Legem, qvam rebus tuis donando dixisti, judex impleri provideat*, ait Imperator in *l. 9. C. de donat.* Qvemadmodum enim liberum est cuiqve, rem suam donare & non donare: ita liberum etiam est, donare eandem cum certâ qvalitate, & cum onere, atqve cum certâ reservatione. Anteqvam enim res ista exeat ex meo patrimonio, non possum prohiberi, qvò minus legem donationi dicam, & rem non aliter nisi cum onere aliqvo dimittam, cùm eo tempore ego adhuc dominus sim, meæqve rei moderator & arbiter. Neqve id negant Canonistæ; sed consensum tamen Episcopi reqvirunt, eumqve, ut arbitror, non ideò, qvòd Episcopo in eâ re, ante donationem perfectam, aliqvod jus competere putent, sed ut examinet ille, utrum onus adjectum pietati & Ecclesiæ ipsi non sit adversum, & utrum servari id salvâ justitiâ qveat. Salvo hoc Episcopi consensu,

con-

concludit Antonius Dadinus Alteserra *ad c. 8. X. de consvetud.* posse patronum in fundatione qvascunq; conditiones imponere, etiamsi sint contra jus commune, dummodò non sint aliàs illicitæ & improbabiles. In diplomate Rudolfi Comitis Helffensteinii, qvo monasterii olim Wisensteinensis fundatio continetur, hæc legitur cum consensu Episcopi facta reservatio: "*Trado firmiter S Cyriaco, & ipsis* "*servis Dei, qvi ibidem constare no-* "*scuntur, — — ut potestatem illa-* "*rum rerum habeant, & post obitum* "*meum filio meo Ericho censum talem* "*singulis annis faciant. Hoc est,* "*qvando ad servitium pii Regis per-* "*rexerit, unum Saumarium onustum* "*præstent cum homine, qvi illum du-* "*cat. Similiter secundâ vice faci-* "*ant, si iter in hostem eodem anno con-* "*tigerit* &c. apud Mart. Mager. *de advocat. arm. cap. 9. n. 463.*

XVII. Reservationes tales etiam in aliis donationibus, & qvidem in his faciliùs, qvàm in dote constituenda admittuntur, qvandoqvidem donationes istæ ultra dotem accedunt, & auctiores plerumqve faciunt facultates Ecclesiæ. Augmentum autem, qvod ultra necessaria vitae subsidia, ministris Ecclesiæ destinatur, cum aliis communicari, & sub hoc onere ab initio constitui potest. In antiqvitatibus Tricassinis *fol. 284.* refertur Caroli Calvi diploma, qvo Comitis Aledranni donationem confirmat, in qvo hæc inserta leguntur verba: *Et annis singulis volumus, si-* " *cut in eorum privilegio continetur,* " *ut partibus Comitis, qvia de suo ju-* " *re ipsa res qvondam fuisse noscun-* " *tur, in festivitate S. Petri argenti* " *denarios viginti ejusdem loci Abba* " *persolvat.* Et *fol. 303.* Henrici Co- " mitis recensetur rescriptum, in qvo canonis Ecclesiæ B. Lupi jus piscandi largitur his verbis: *Concessi etiam me-* " *moratis Canonicis totam aqvam, qvæ* " *à molendinis de torrente infirmorum* " *usqve ad grangiam* (vid. de hoc vo- " cabulo H. Spelmannus *in glossario*) " *S. Lupi, qvæ vocatur bretonia juxta* " *villers protenditur, ut nullus absqve* " *præcepto Abbatis vel Canonicorum* " *suorum in eâ piscari qvocunqve mo-* " *do deinceps audeat, ita tamen, ut* " *Ecclesia prædicta mihi meisqve suc-* " *cessoribus annuatim unum sextari-* " *um frumenti ad festum S. Remigii* " *perinde solvat.* Et *fol. 319.* Claren- " baudis Dominus de Capis donationi suæ hanc addidit clausulam: *Prædi-* *cti verò fratres de Ripatorio propter* " *accensivam istam reddere debebunt* " *Domino de Capis vel mandato ejus* " *annuatim in perpetuum decem mo-* " *dios laudabilis bladi, qvi capientur,* " *in grangiâ bellimontis ad terminos* " *istos, in natali Domini medietas, &* " *alia medietas ad seqvens pascha* " &c.

XVIII. Vi-

XVIII. Videntur autem istæ reservationes eum inprimis in finem additæ, ut conservaretur per eas, & identidem refricaretur memoria donantis. Sic enim se habet ingenium hominis, ut benefacta sua etiam post mortem celebrari exoptet, idqve desiderium accenditur tantò magis, qvantò fortior accesserit persvasio de salute æternâ per superstitum preces obtinendâ. Et sic namqve edocti sunt in Ecclesiâ pontificiâ, qvi pii & devoti esse cupiunt, multum sibi defunctis ad salutem prodesse preces vivorum, & has liberalitate atqve beneficentiâ obtineri debere. Ut igitur preces istæ ne intermitterentur, utqve perpetua consisteret memoria donantium, voluerunt illi per retributionem exigui cujusdam munusculi sibi ex rebus donantis reservatam, & heredibus suis qvotannis præstandam, hanc sui memoriam renovare, & veluti per commonitorium aliqvod instrumentum anniversariam nominis sui & bonorum operum à se præstitorum celebrationem injungere. Vid. Illephonsus Perez de Lara *de anniversar. lib. 1. cap. 1.* Sed de precibus istis qvid sentiendum sit, videri potest Chemnitius *in exam. Concil. Trid. part. 3. p. 536. seq.* Joh. Gerhard. *Loc. de morte. numer. 281.* Dan. Chamier *panstrat. tom. 2. lib. 26. c. 24.*

XIX. Cæterùm, qvod ipsam Ecclesiæ dotem attinet, tantum abest, ut extra conventionis regulas supra declaratas, qvicqvam juris Patrono reliqvum sit, ut ne qvidem administrationem ejus gerere licitum sit. Hoc tamen ei permittitur, ut si malè versari ministros deprehenderit; non solùm admonere eos & increpare, verùm etiam deferre tàm apud Episcopum, qvàm apud magistratum & Principem possit. *c. filius. 16. q. 7.* Habet scil. patronus, ut Gratianus illhic in verbis antecedentibus loqvitur, jus providendi & consulendi, & sacerdotem inveniendi, sed non habet jus vendendi, vel donandi vel utendi tanqvam propriis. Potest tamen insuper patronus impedire, ne reditus Ecclesiæ in alios usûs convertantur, qvàm ad qvos tempore fundationis fuerunt destinati. item ne possit Episcopus Ecclesiam à se fundatam sine consensu suo alteri Ecclesiæ subjicere, Panormitan. *ad c. suggestum. 20. X. de jur. patron.* Et qvanqvam Canonistæ admittere nolint, ut circa res temporales rationum redditio fiat patrono Laico, per *c. ex literis. 7. X. de jur. patr. & c. in Lateranensi. 31. X. de præbend.* Panormitan. *ibid.* Jo. Honorius *in summ. tit. de jur. patr. num. 42.* in nostris tamen Ecclesiis diversum obtinet, Sig. Finkelthaus. *de jur. patr. cap. 2. n. 25.* nec excludi patronus commodè potest, qvippe cujus interest, salvam manere Ecclesiæ dotem, eò, qvod ubi ad paupertatem redactus fuerit, ab Ecclesiâ

clesiâ temporalis vitæ suffragia ei debeant suppeditari, *c. qvicunq;. 16. q. 7.* Carpzov. *in Jp. Consist. lib. 2. def. 316.*

XX. Ex qvibus patet, res in dotem Ecclesiasticam datas ex dominio donantis prorsus exire, & aliam planè qvalitatem induere. Sed observandum tamen est, in antiqvis chartis dominii vocabulum sæpè impropriè pro imperio, aut jure superioritatis accipi, nec proinde, ubi de reservato dominio verba concèpta leguntur, illicò accipienda sunt de jure tali, quo res propria est, cùm & intentio donantis & ipse verborum contextus huic explicationi sæpe repugnet. Exempli gratia, in diplomate WENCESLAI Electoris Saxoniæ gloriosissimæ memoriæ, qvod suprà *cap. 5.* recensui, hæc leguntur verba: "*De qvibus bonis præfatis dicti altaris Rector pro tempore existens Dominis capellæ præfatæ tres sexagenas præcisorum grossorum, cum decem grossis latis, annis singulis ministrabit. Dantes proprietatem eorundem plenariè Ecclesiasticæ libertati: cedentes liberè pro nobis & heredibus nostris omnibus & singulis feudis & juribus, qvæ nobis in dictis bonis hactenus competebant, seu qvomodolibet competere possint in futurum. Jure tamen superioritatis, tuitionis & dominii nobis & Successoribus in eisdem specialiter reservatis &c.*" Ipsa verborum connexio manifestum facit, dominii vocabulum in hâc reservatione nullo modo significare proprietatem, qvippe qvam in verbis antecedentibus plenariè translatam voluit donator in Ecclesiam. Explicandum igitur istud erit de dominio generali, aut imperio potiùs, qvod πᾶν τὸ κράτος dicitur Apollodoro. Qvin etsi nihil omninò dixisset Princeps, nec superioritatem sibi expressè reservâsset, verius tamen est, superioritatem istam à concedente reservatam intelligi, qvamvis castrum Ecclesiæ dederit, uti multorum autoritate confirmat Thomas Michael *de jurisdict. conclus. 25.* qvibus addi potest Tiber. Decian. *respons. 5. num. 17. vol. 4.*

XXI. Propriè autem si dominii vocabulum accipiatur, tantum abest, ut istud patrono in dote constitutà competere possit, ut nec reservare istud per expressam conventionem ei liceat. Est enim istiusmodi dotis constitutio donatio qvædam, qvæ est species alienationis, & talis qvidem, per qvam de dominio transferendo agitur, unde rectè genus acqvisitionis dicitur *pr. Inst. de donat.* Sive igitur ea dominii acqvirendi causa dicatur, §. *40. Inst. de R. D. l. 1. §. 1. ff. de offic. procur. Cæs.* sive modus, §. *fin. Inst. de us. & habit.* hoc tamen per eam agitur, ut dominium transferatur, & qvidem in perpetuum, & proinde pacisci donator neqvit, ut res donata in dominio suo maneat.

Hoc enim principaliter in dote constituendâ exigitur, ut donator eâ mente det, ut statim velit accipientis fieri, nec ullo casu ad se reverti, *per l. 1. ff. de donat.* Atqve ex his principiis sine ulteriori interpretatione intelligi potest, qvod scribit Modestinus Pistoris *conf. 45. numer. 11.* **Wenn gleich einer eine Kirche selbst bauet/fundiret und dotiret / so überkömmt er doch dadurch keine Gerechtigkeit zu den Kirchengütern / sondern was er vorhin vor Gerechtigkeit gehabt an den Gütern / so er der Kirchen gegeben/die verleuret er/und sobalden die Güter einmahl** ad pios usus **und zu einer Kirchen und Stifft gewendet / so werden sie/ nach Ordnung der Rechten/** divini juris, **und gehören nicht mehr den Leyen zu/ sondern sind gar** extra commercium hominum.

XXII. QVINTUM dotis Ecclesiasticæ privilegium est, qvòd exempta ea sit jurisdictione seculari. Nolo hîc excurrere in prolixam istam de origine & ratione hujus exemptionis disputationem, qvandoqvidem ratio instituti nostri hoc non patitur. Id verò certum est, non alia ejus fuisse initia, qvàm ex Principum sive concessione, sive permissione. Sæpè enim invasam & occupatam istam ab Episcopis fuisse potestatem, historiarum nos docent monumenta. Seculis autem primis nulla omninò talia erant judicia, Ecclesiæ nulla jurisdictio, nullum forum Episcoporum; sed ultima animadversio per excommunicationem expediebatur, qvæ tamen & ipsa nullam adjunctam habebat potestatem ἀναγκαστικήν, sed in eam rem implorandum erat, si poterat, brachium seculare. Antiqvo hoc jure sublato jurisdictio Episcoporum cœpit esse maxima, & non æmula tantùm jurisdictioni civili, sed ex affectatâ Episcoporum ambitione etiam superior. Vid. Jac. Sbrozzius *de Vicar. Episc. lib. 2. qvæst. 26.*

XXIII. Notandum tamen, jurisdictionem Ecclesiasticam non illicò & uno qvasi momento ad ἀκμὴν istam pervenisse, sed exigua primum habuisse initia, & majora qvotidiè incrementa cepisse, donec per Episcoporum ἀλαζονείαν principibus secularibus omnis omninò jurisdictio, qvæ illis antehac in negociis Ecclesiasticis competierat, adempta & erepta fuit. Ita namqve in personas primùm jurisdictio Episcopalis terminabatur. De bonis autem Ecclesiasticis nullam adhuc penes Clericos erat judicium, sed penes alios à Regibus singulariter ad id constitutos, qvos Vicedominos, & Advocatos aliqvando vocabant. Inter Leges Longobardorum *lib. 3. tit. 1.* unde-

undecima hæc est: *Volumus primò, ut neqve abbates, neqve presbyteri, neqve diaconi, neqve subdiaconi, neqve qvislibet de clero, de personis suis ad publica vel ad secularia judicia trabantur, vel distringantur: sed à suis Episcopis judicati justitiam faciant. Si autem de possessionibus sive Ecclesiasticis, sive suis propriis super eos clamor ad judicem venerit, mittat judex clamantem cum misso suo ad Episcopum, ut facias ei per advocatum justitiam percipere. Si verò aliqva inter eos fuerit orta intentio, qvam per se pacificare non velint, aut non possint, tunc per advocatum Episcopi, qvalem jusserit, causa ipsa ante Comitem veniat vel judicem, & ibi secundùm legem finiatur, antepostito sicut dictum est de personâ Clericorum.* Eodem pertinet, qvod habetur in *Capitular. lib. 3. cap. 11.* de advocatis, Vicedominis, vicariis & centenariis pravis, ut tollantur: & tales eligantur, qvales & sciant & velint justè causas discernere & terminare. Eo igitur tempore alia prorsus fuit rerum facies, & ne qvidem de bonis Ecclesiæ in judicio Episcopali disceptari potuit, sed apud Advocatum, qvi utiqve de Clero non fuit, sed à principe postulabatur, *capitul. lib. 7. c. 308.* tantum abest, ut bona Clericorum patrimonialia eo tempore exempta fuisse dici qveant, qvæ tamen ad forum pertinere Ecclesiasticum, neqve judicio seculari ampliùs subesse, magno cum applausu docent hodiè Canonistæ nonnulli. Vid. Michael Ferro Manriqve *de diff. & concord. utr. for. qvæst. 22. num. 3.* Thom. Sanchez *consil. moral. lib. 2. c. 4. dub. 55. & dub. 57.*

XXIV. Successu tamen temporis etiam de Ecclesiæ bonis in judicio Episcopali cognitio institui cœpit, nec verò de qvibuscunqve illicò, sed primitùs, ut videtur, de illis, qvæ in dotem data fuerant. Refero eò constitutionem, qvam recenset Benedictus Levita *cap tul. lib. 7. c. 213. Multi contra canonum statuta Ecclesias, qvas ædificaverint, postulant consecrari, ut dotem, qvam eidem Ecclesiæ contulerint, non censeant ad Episcopi ordinationem pertinere. qvod factum est in præterito, displicet, & in futuro prohibetur; sed omnia secundùm constitutionem antiqvam ad Episcopi ordinationem & potestatem pertineant.* Qvæ eadem verba ex Concilio Toletano III. recenset Gratianus *c. Sic qvidam. 10. q. 1.* Et in illis non solam administrationem, sed sublimius aliqvod jus Episcopo commissum esse, colligitur ex eo, qvod non ad solam ordinationem, sed etiam ad potestatem ejus, qvæ de judiciariâ commodè intelligi potest, pertinere dos constituta dicatur. Et hoc sensu accepisse verba ista videtur etiam Benedictus Levita, cùm in ejus compilatione & præ-

cedens & subseqvens capitulum ad judicia formanda pertineat.

XXV. Sed & in aliis donationibus id maximè dederunt operam, ut res donata ab jurisdictione seculari exempta fieret. Qvare, si ipse terræ Dominus, qvi τὸ κύριον tenebat, donator erat, plerumqve is in chartâ donationis privilegium hoc immunitatis addebat, totumqve locum, qvem donaverat, liberum faciebat. Illustre hujus exemplum occurrit apud Nicol. Camuzat *in antiq. Tricassin. pag. 80.* ubi Childericus Rex monasterio à Berchario Abbate ædificato inter alia hoc largitur privilegium. *Concedimus*, inqvit, *ut nullus judex publicus, qvolibet modo, judiciariâ accinctus potestate in curtes ipsius monasterii ubicunqve ad præsens eorum maneat possessio vel dominatio, aut qvod inantea, ut diximus, fuerit additum vel condonatum, nec ad causas audiendum, nec fidejussores tollendum, ne freda exigendum, nec mansiones faciendum, nec rotaticum ------- exactare præsumatur*, &c. Apud eundem *p. 84.* Carolus calvus Monasterio puellari immunitatem concedit his verbis: *Hoc autem præcipuè ex auctoritate DEI omnipotentis seu nostrâ regali autoritate interdicimus, ut neq; Comes, neq; Advocatus, neqve alia potens persona in omnibus villis & possessionibus monachorum placitum suum teneat, neqve fredas exigat, vel aliqvam districtionem faciat, neqve homines S. Petri & S. Berchariі pro aliqvâ offensâ vel pro aliqvâ re bannum Comiti, in omni potestate suâ persolvant* &c.

XXVI. Qvod si τὸ κύριον non haberet donator in terrâ illâ, qvam Ecclesiæ donaverat, implorari solebat Princeps vel ab ipso donatore, vel ab Episcopo, ut talem immunitatem concederet. Formula istiusmodi concessionis extat apud Marculfum *lib. 1. num. 3.* In eandem sententiam reperitur apud Aubert. Miræum *in donat. Belg. lib. 1. c. 89.* donatio, qvam fecit Alidis domina de Boular, ubi inter alia ait: *Locum autem prædictum & omnes eleemosynas, prout dictum est, eisdem collatas ab omni exactione servitio & justitiâ seculari volui, & firmavi liberas esse in perpetuum & exemptas.* &c. Hæc exemptio parum roboris haberet, nisi accessisset confirmatio superioris, qvæ in hunc modum concepta additur: *Et nos MARGARETHA Comitissa præfatam eleemosynam & omnia alia in dictis literis domina de Boular comprehensa grata & rata habentes tanqvam terræ domina confirmamus.* Et porrò: *Nos GUIDO Comes Flandriæ & Marchisius Namurcensis notum facimus universis, qvod nos eleemosynam & omnia alia contenta - - --- rata & grata habemus, & ea tanqvam terræ dominus confirmamus.* &c.

§. 1. Sed

§. 1. Sed & aliàs, qvi jurisdictionem habet in fundo aliqvo, & fundum illum cum omnibus juribus & qvalitatibus, uti optimus maximus est, donat, vendit, aut qvocunqve modo alienat, cum juribus istis etiam jurisdictionem, qvæ fundo isti inhæret, transire dubium nullum est. Concessâ enim re principali, censentur etiam concessa rei cohærentia, qvæ sine principali non subsistunt, nisi aliud actum sit. Didac. Covarruvias *pract. qvæst. c. 1. n. 10.* H. Zoesius *ad Pand. tit. de jurisdict. n. 34.* Matth. Stephani *de jurisdict. lib. 1. c. 38. n. 7. seq.*

XXVII. Qvia autem judicia criminalia, qvæ pœnam sangvinis inferunt, ab Ecclesiâ & personis Ecclesiasticis expediri minimè possunt, *c. clericis. 5. X. ne Clerici vel monachi*, solebant sibi terræ Domini haud rarò merum imperium & cognitionem de criminibus reservare. Apud eundem Miræum *lib. 1. cap. 43.* Carolus Bonus Flandriæ Comes in confirmatione privilegiorum monasterii Loënsis hanc facit exceptionem : "*Si autem furta, duella, raptus mulierum, qvod vulgo dicitur Wifuerdragan, homicidia infra prædictos terminos evenerint, & horum qvorumlibet reus inibi capiatur, vel si Ecclesia de hujusmodi clamorem mihi faciente, sententia capitali, aut membrorum mutilationi justè damnetur, qvod modum vel vires ejus excedit, hoc procul dubio ad jus meum pertinebit* &c." Ita etiam apud Nic. Camuzat. *in antiq. Tricass. pag. 307.* Henricus Comes Trecensis de libertatibus S. Lupi verba faciens hunc in modum constituit: "*Concessi, qvod homines dictæ Ecclesiæ S. Lupi, qvos habet apud Trecas & habitura est, undecunqve veniant, qvamvis maneant in justitiâ meâ, in civitate & potestate Trecensi non respondeant alicui de cætero coram me vel meis ministris, nisi pro forefactis furti, vel muti re, vel raptus, vel inventi fuerint præsentaliter in forefacto, qvod dicitur mellee, & hoc qvando sangvinis effusio intervenerit.* &c." Pari modo in bibliothecâ Cluniacensi, qvam edidit Andreas Qvercetanus *pag. 1510.* legitur instrumentum permutationis inter Humbertum dominum Belli-joci, & Ecclesiam Cluniacensem transactæ, in qvo Humbertus omni suo juri renunciat sub hâc exceptione : "*In supradictis mansis cum hominibus & terris & eorum pertinentiis, non nihil aliud, retinemus, nisi in qvolibet Curtili unum jornale & gardam & justitiam adulterii, & furti, & homicidii & effusionis sangvinis cum enormi lasione facta.*"

XXVIII. Sed & in civili jurisdictione solebat sæpè secularis cum Ecclesiasticâ concurrere, prout pactum conventum ab initio, aut lite

 motâ

motâ transacta res fuerat. In eâdem Bibliotheca Cluniacensi *pag.* 1533. refertur instrumentum compositionis inter Johannem de Blenosco Militem, Dominum Ussellarum & Yvonem Abbatem Cluniacensem, "in quo sic ait Johannes: *Compositum est, quod blaeria sit mea & heredum meorum dominorum Ussellarum in perpetuum, in terris eorundem circa Malletum, & terris, quæ tenentur ab eisdem usque ad metas lapideas ibidem positas & infixas, exceptis condemenis eorundem: In quibus ego & heredes mei nullam habebimus blaeriam seu aliam jurisdictionem: nec ipsi etiam in dictis condemenis habebunt blaeriam, sed ibidem servientem ipsorum ad custodiendas condemenas habere poterunt, qui pro damno sibi inibi allato poterit pignorare. Item dictus Abbas & successores sui & Ecclesia Clun. ac ego & heredes mei habebimus perpetuo justitiam & cognitionem forefactorum & delictorum, quorum emenda & sexaginta solidorum & ultra in prædictis terris condemenis supradictis exceptis, & in omnibus hominibus, quos habent in villis de Cortramblem, de Ongies & de Bisfie, æqualiter & communiter habebimus, quæ magna justitia tàm in cognoscendo, quàm in sententionando, exequendo & justitiando, qualitercunque per gentem Ecclesiæ Clun. & gentem meam & heredum seu successorum meorum in loco dictæ Ecclesiæ & mihi, communi communiter exequetur. Jurisdictio verò, cognitio, & justitia in terris, hominibus & locis omnibus supradictis citra emendam LX. solidorum, quæ vulgariter parva justitia appellatur, blaeria excepta, ut supra dictum, dictæ Ecclesiæ Clun. perpetuo remanebunt.* &c. "

XXIX. Nec verò sine consensu ejus, cujus est jurisdictio, bona per donationem in Ecclesiam translata hoc fori privilegium nanciscuntur, cùm alteri per alterum præjudicari & iniqua conditio inferri haudquaquam debeat, *l. 74. ff. de R. J. l. 27 § 4. ff. de pact.* & in puncto jurisdictionis etiam Papa cuique sua jura inviolata servari velit, *c. 2. X. de relig. dom.* Idque multo magis hodiè obtinet, quandoquidem magistratus & terrarum domini plerumque jurisdictionem patrimonialem habent, quibus proinde invitis auferri istud jus nec potest, nec debet, ne cogantur videlicet carere fructibus jurisdictionis suæ, ut loquuntur, puta multis aliisque pœnis pecuniariis, quæ lucro talem jurisdictionem habentium cedunt. quo facit *c. ex transmissa. X. de for. comp.* imò verò contingere quandoque solet, ut ipsa alicujus bona in fiscum cadant, qui hoc beneficio & emolumento cum injuriâ privabitur, nisi in privilegium exemptionis consenserit fisci dominus.

XXX. Con-

XXX. Consensus tamen iste qvam maxime necessarius est in rebus Ecclesiæ in dotem datis. Postqvam enim non de personis tantùm, sed etiam de bonis Ecclesiasticis cognitio institui cœpit in judiciis Episcoporum, & bona Ecclesiastica, præter ea, qvæ immediatè cultui divino inserviunt, κατ' ἐξοχὴν dicantur illa, qvæ in dotem data sunt, his potiùs, qvàm reliqvis, qvæ ex liberalitate piorum superveniunt, fori istud privilegium erit impertiendum. Nec dubito faciles hic futuros dominos & magistratûs seculares, qvandoqvidem in judiciis Ecclesiasticis jura Ecclesiam concernentia cognita magis sunt, magisqve exercita, qvàm in judiciis secularibus; & ipse deniqve favor Ecclesiæ hoc exigit, ut, si fieri potest, seorsim ab fori secularis triturâ, & promiscuo Laicorum strepitu, causæ ejus examinentur, & sua tùm ministerio piè magis conservabitur autoritas, si extra populares civium congregationes in foro planè separato de eorum litigiis circa bona Ecclesiastica disceptetur.

XXXI. Idem hoc constitutum est in hisce provinciis Saxonicis, ubi peculiaria judicia Ecclesiastica, qvæ Consistoria dici consveverunt, instituta sunt, non eum tantùm in finem, ut de personis Ecclesiasticis ibi judicetur, sed etiam, ut de bonis Ecclesiæ concessis si oriatur controversia, isthic terminetur. Sic enim legitur in Ordinatione Electoris Augusti Ecclesiasticâ *sub rubr.* von beyden Consistoriis zu Leipzig und Wittenberg *art. 7.* was Sachen in das Consistorium gehörig *num. 4* **Alle Sachen/ so der Kirchen/ Schulen/ Hospitalen und Gemeiner Kastengüter/ Lehen/ Einkommen/ Nutzung/ Gebend/ und Besserung/ darzu der Kirchendiener Besoldung betreffen.** Et sub rubr. vom Synodo bey unserm Obern Consistorio, constitutum porro est: **Wie denn auch was der Kirchendiener Unterhaltung / Pfarr und Kirchengüter/ und verordnete Besoldung anlanget/ da in denselben den Pfarrern/ Kirchē und Schuldienern Eingriff/ Verhinderung / Nachtheil und Schaden/ von wem es auch geschehen/ begegnen würde / und solches nicht alsbald durch unsers Synodi Befehl in Richtigkeit gebracht werden könte/ sondern diese Sache besserer Erkundigung und Ausführung bedörffte / dieselbige an die Consistorien / darunter sie gehörig/ gewiesen werden soll.** Ac ne qvis hanc constitutionem ad bona

bona Clericorum patrimonialia extendat, disertè ea excepta fuerunt in eâdem Ordinatione *sub tit.* von immunitatibus und Freyheiten der Kirchendiener / his verbis: **Was aber ihrer und ihrer Weiber angefallene / oder erkauffte eigenthümliche Erbgüter / und dergleichen** actiones reales, **dingliche Spruch und Forderung betrifft / sollen unsere Kirchendiener an Orten / da andere unsere Unterthanen schuldig seyn Recht zu geben und zunehmen / deren Außtrag gewarten.** Et de his bonis sæpè in Galliâ judicatum refert Bergeronius ad Joh. Papon. *lib. 1. tit. 5. arest. 15.* presbyterum debere cedere rebus secularibus, nisi malit solvere & renunciare. Add. Carpzov. *Jp. Consist. lib. 2. def. 311.*

XXXII. Disqvirendum nunc est de hominibus, utrum scil. villicis sacræ Ecclesiæ competat privilegium fori Ecclesiastici, ne aliò, qvàm ad pontificium tribunal evocentur? Non competere, ait Felinus vel potiùs commentator ejusdem in *cap. 2. X. de for. comp.* nisi in tribus casibus, 1. qvando privilegium, qvod habet Ecclesia, ad ipsos etiam villicos extenditur, 2. qvando tales rustici habent generalem administrationem, cujus respectu stare necesse habeant coram judice Ecclesiastico, 3. qvando rustici conveniuntur super re, qvam tenent ab Ecclesiâ. Sed Renatus Choppinus *de privileg. Rusticor. lib. 3. c. 1. n. 4.* explosis istis limitationibus secundum mores Gallicos, plebejos omnes Regio ac profanæ jurisdictionis foro subjici scribit, nec adeò licere eis in magistratum Pontificium consentire, alioqvin abusus nomine provocationes ad supremam Curiam institui. Exceptos tamen vult Colonos, qvales Antiqvitas in usu habuit, Ecclesiæ adscriptitios, servosqve perpetuos. Qvia enim hi partem qvasi faciebant terræ in Ecclesiam translatæ, non magis qvàm ipsa terra per privilegium exempta, judici seculari subjecti erant. Et de his qvidem nullum fortè est dubium.

XXXIII. Sed & priores Felini limitationes sua habent fundamenta juris, nec rejici temerè possunt. Qvod enim primam attinet, præsupponendum est, privilegium Ecclesiæ ab ipso Principe sine ullius præjudicio concessum esse. Tale enim privilegium cur observari non debeat, nulla ratio subest, præsertim si istud forum privilegiatum, uti in nostris provinciis fieri solet, ab ipso Principe constituatur, & ex ejus imperio dependeat. Princeps enim uti suæ jurisdictionis æstimator est, Franc. Valens *in concord. jur. Pontif. disp. 3. qvæst. 4. sect. 4. n. 12.* ita eam exercere potest

poteſt per qvoscunqve & qvandocunqve vult, dummodo ea, qvæ naturam proceſſûs judiciarii conſtituunt, non omittantur. Altera limitatio probatur ex *Clementin. 2. §. ut autem. de relig. dom. l. 19. §. 1. ff. de judic. l. 1. C. ubi de ratiocin.* in qvo textu ſpeciale reddendarum rationum forum ab Imperatoribus conſtitutum fuiſſe, notat Vultejus *ad d. l. 1. n. 4.* Add. Franciſc. Munnoz de Eſcobar *de ratiocin. adminiſtr. c. 7. n. 50.* Joh. Heeſer *de ration. redd. loc. 5.* Tertia limitatio nititur principio juris, illic etiam forum competens eſſe, ubi res, de qvâ agitur, ſita eſt, *l. 3. C. ubi in rem act. l. un. C. ubi de poſſeſſ. ag.* adeò, ut etiam Clericus ex eà ratione in foro ſeculari ſtare teneatur, Marian. Socin. *ad c. 3. X. de for. comp. n. 10.* Andr. Gail. *1. obſ. 37. n. 4.* & ibi Bernhardus Greven. qvia ſcil. non tàm perſona, qvàm res ipſa in judicium trahi intelligitur. Non mirum igitur etiam Ruſticos actionibus realibus conveniri poſſe coram judice Eccleſiaſtico, nec tàm ex privilegio, qvàm ex jure communi, qvod forum rei ſitæ introduxit.

XXXIX. Qvod noſtros hodiè attinet Dotales, difficile erit in hoc articulo certi aliqvid ſtatuere, qvandoqvidem non diverſæ tantùm eorum exiſtunt ſpecies, ſed ex defectu inſtrumentorum, incerta plerumqve eorum etiam eſt origo, uti ſupra *cap. 9.* pleniùs expoſui. Auſim tamen aſſerere, eos, qvi agris parochialibus colendis deſtinati ſunt, plerosqve omnes olim, & ab initio, cùm donarentur, jurisdictione ſeculari fuiſſe exemptos. Oportuit enim, uti ſupra expoſui, Eccleſiæ in dotem manſum integrum, eumqve apſum, ſeu veſtitum, h. e. cum mancipiis, qvi eum colerent, dari. Atqve illi ſine dubio partem faciebant ipſius dotis, nec manumitti ab Epiſcopo pro lubitu poterant, ne deſtitueretur ager ſuis cultoribus, neve defraudaretur Eccleſia ſuis reditibus aut frugibus inde ſperatis. Qvapropter, qvod toti competit, privilegium, idem etiam parti competere nulli dubitamus. Et fuerunt ergò illi, à primâ ſui origine, cum ipſo agro, magiſtratui Eccleſiaſtico ſubjecti, inqve ejus forum translati. Nec obſtat, qvod plurimi eorum hodiè ſub Nobilium extent jurisdictione, neqve foro privilegiato amplius gaudeant. Id enim qvibus artibus contigerit, & qvâ ratione privilegio iſto ſuo privati fuerint, ſeqventi capite exponam.

XXXV. Qvòd ſi verò ſint, qvi præter agros Eccleſiaſticos, alios inſuper colant proprios, non nego, debere eos agnoſcere jurisdictionem illius, cujus territorio agri iſti continentur. Si enim Clericus propter rem, qvæ privilegiata non eſt, in foro ſeculari ſtare tenetur, qvod paulo ante dixi, & ulterius exponit

Didacus Covarruvias *l. 1. var. resol. c. 4. n. 2.* Carol. Molinæ. *ad consuetud. Paris. §. 46. n. 20.* Anton. Fab. *Cod. l. 3. tit. 12. def. 15. n 3. & def. 9. n. 7.* Nicol. Boër. *decis. 69. n. 6.* qvanto magis Rustici illi, qvi non Ecclesiasticis tantùm, sed aliis etiam agris colendis operam suam impendunt, ad tribunal seculare vocati stare cogentur. Ubicunqve enim res aliqva sita est, ibi possessor ejus jurisdictionem agnoscere cogitur, si actione reali conveniatur, ut maximè privilegio exemptionis gaudeat, qvia scil. actio realis rem, non personam comitatur, *l. 24. ff. de obl. & act.* Frid. Hiltrop. *in process. part. 1. tit. 2. n. 49.* & magis ad rem, qvàm ad personam habetur respectus; adeoqve cùm non tàm reus, qvàm res ipsa ab actore impetatur, defendere eam reus cogitur. Franzk. *ad tit. de judic. n. 48.*

XXXVI. Qvi agros Ecclesiasticos titulo emptionis his conditionibus suos faciunt, ut in recognitionem dominii pristini qvotannis vel certa servitia, vel censum certum præstent, non arbitror privilegio eos, qvod rei inhæret, privari debere. Retinuit enim Ecclesia sibi jus aliqvod in re alienatâ, cujus intuitu res ista adhuc Ecclesiastica dici potest. Qvod si verò nulla talis reservatio facta fuerit, & res pleno jure in Laicum transferatur, videtur ea recidere in pristinam causam & in jurisdictionem primitivam. Cessat enim tùm ratio, propter qvam fundus ille antehac exemptus fuit, & qvæ privilegio illi causam dedit. Qvemadmodum igitur reliqvi fundi omnes, qvi in territorio sunt, nisi specialiter exemti sint, etiam de territorio esse intelliguntur, & ex hoc communibus territorii oneribus affecti sunt: ita etiam illi, qvi in hanc causam recidunt, ad forum privilegiatum revocari ampliùs neqveunt, sed communi Laicorum jure deinceps utentur. Vid. Casp. Klock. *de contribut. cap. 11. num. 201.* Petr. Costal. *ad l. 17. ff. de usur. in fin.*

XXXVII. Regulariter igitur, qvi verè & propriè dotales Ecclesiæ sunt, & in hunc finem ab initio Ecclesiæ agris in dotem datis mancipati sunt, aut adhuc mancipantur, jurisdictione seculari censeri debent exempti. Et tales in dubio intelliguntur omnes illi, qvi vel ad censum perpetuo ex agris, qvibus utuntur, Ecclesiasticis solvendum, vel ad servitia rustica uniformiter & in perpetuum præstanda, vel ad operas manuarias alias tenentur. Sed qvia præsumptio ista non est juris & de jure, sed ferè hominis tantùm, ideò qvòd aliter sese res ea habere qveat, & non ab initio tantùm alia istorum hominum potuit esse conditio, sed etiam, si vel maximè verè dotales ab initio fuerint, hæc eorum conditio successu temporis variis modis amitti potuit, cautè utiqve & pro-

providè admodum agendum erit in judiciis, ficubi controverfia ftatûs moveatur, ne vel eximantur illi temerè jurisdictione feculari, vel eidem fine juftâ ratione adjudicentur. Adqve idcirco, nifi notoria planè & omninò certa effet hæc eorum qvalitas allegata, noluerunt Anteceffores noftri fimpliciter & abfolutè atqve fine omni refervatione de jure ifto pronunciare, fed falvum qvandoqve reliqverunt Domino jus, qvod fibi ille vendicabat, cum onere tamen probandi, & præfixo in eam rem legali termino.

XXXVIII. Ex plurimis, qvæ hanc in rem adduci poffent, fententiis unam tantum adfcribam his verbis conceptam: In Sachen Hanßen von Staupitz zu Dabrun an einem / und Henrich Lidiken Kirchen- und Pfarrmann daselbst am andern belangende verabschieden Wir verordnete Commiſſarien des Conſiſtorii zu Wittenberg: Weil dieser Pfarren und Kirchen Lehen dem Churfürsten zu Sachsen und Burggrafen zu Magdeburg unsern gnädigsten Herrn unvermittelt alleine gehörig / so hat auch ermelten von Staupitz ohne seiner Churfürstl. Gnaden / oder unsern als derselben verordneten Commiſſarien befehlich ermelten Pfarrer und Kirchman auszupfänden nicht gebühret. Derowegen der von Staupitz demselbigen das genommene Pfand ohn Entgeld / und unverschmälert förderlichst hinwieder zustellen soll. Es wird Ihme aber dem von Staupitz hiermit vorbehalten / da er wie recht in Sächsischer Frist darthun und erweisen könte / oder wolte / daß die jurisdiction oder Bothmäßigkeit über solchen Kirchenbauer Ihme zuständig und gehörig / damit soll er gehöret und zugelassen werden / und erginge alsdenn ferner was recht ist. Verabschiedet im Conſiſtorio zu Wittenberg den 23. Tag Novemb. 1575. Eaqve fententia vires rei judicatæ acqvifivit, nec reperitur qvicqvam, qvod intra terminum præfixum amplius moviffet Nobilis.

XXXIX SEXTUM dotis Ecclefiafticæ privilegium eft, qvod ab omni fervitio, cenfu, tributo, aut aliâ qvacunqve exactione immunis effe debeat. De fervitiis conftitutum eft in Concilio Wormacienfi

can. 50. & repetitur à Benedicto Levita *Capitular. lib. 1. c. 91.* & à Gratiano *c. sancitum. 23. q. 8.* his verbis: *Sancitum est, ut unicuiq; Ecclesiæ unus mansus integer absq; ullo servitio attribuatur, & presbyteri in eis constituti non de decimis, neq; de oblationibus fidelium, non de domibus, neq; de atriis, vel de hortis juxta Ecclesiam positis, neq; de præscripto manso aliqvod servitium faciant, præter Ecclesiasticum.* Tota ea constitutio de solo isto manso, qvem in dotem dare Ecclesiæ oportuit, accipienda est, ne qvis eam extendat ad fundos alios, qvi ultra dotem ex liberalitate Ecclesiæ donantur. Disertè enim in textu seqvitur. *Et si aliqvid amplius habuerint, inde majoribus suis debitum servitium impendant.* Pro vocabulo *Majoribus* in ipso Concilii textu & Capitularibus legitur: *Senioribus*, qvod & notavit Contius, significatione planè eàdem, qvia majorum & Seniorum appellatione domini designantur. Ant. Bengeus *de benef. tit. de immun. Eccles.* §. *6. n. 4.* Franc. Hottomann. *de verb. Feudal. vocab. Senior.* Et ex hoc intelligitur, non omnia promiscuè immobilia, qvæ Ecclesiæ qvocunqve titulo acqviruntur, à servitiis esse immunia, sed illa tantùm, qvæ dotem Ecclesiasticam constituunt, qvæqve in hunc finem dantur, ut habeat Ecclesia, unde cum suis ministris sustentari & conservari qveat, qvo charactere dos ab reliqvis bonis Ecclesiasticis distingvitur.

XL. Qvod si ergo ultra dotem necessariam bona aliqva donentur Ecclesiæ, non eodem illa privilegio muniuntur, ut sint ab omni onere libera, sicut munita est dos necessaria, sed dominis territorii debita servitia præstari perinde debent, ac si in manus Ecclesiæ nunqvam venissent. Qvas verò hic faciant limitationes Canonistæ, videri potest apud Joh. Bapt. Vivianum *ad c. 1. X. de censib.* qvas deinceps, ubi de tributis & collectis agendum erit, accuratiùs examinabimus. Id tamen interim notandum, etiam in rebus ultra dotem Ecclesiæ donatis, talem qvandoqve à servitiis immunitatem reperiri, qvandoqvidem integrum est domino, juri suo renunciare & servitia sibi debita remittere. Unde in donationibus post concessam immunitatem ab collectis, gabellis atqve aliis consvetudinibus sæpè additur generalis clausula his verbis: *Qvid plura? nullum prorsus mihi vel meis faciant servitium.* Vid. Nic. Camez. *in antiq. Tricasf. pag. 302. & 303.*

XLI. Sed necesse non est, ut latiores hìc faciamus digressiones. Sufficit nobis nosse, ex bonis dotem Ecclesiasticam constituentibus nullum præstari debere servitium, qvæ proinde domini non difficulter immunia esse patientur, cùm lege publicà eis hoc privilegium sit concessum.

Præter

Præter constitutionem enim, qvam ad suggestionem Concilii Wormaciensis ex Capitularibus adduxi supra, in iisdem capitularibus *lib. 5. cap. 45.* hæc legitur similis: *De uno manso ad Ecclesiam dato, de qvo aliqvi homines contra statuta sibi servitium exigunt, qvicunq; pro hâc causâ accusatus fuerit, Comes vel Missi hoc, qvod inte subtractum est, presbyteris cum lege suâ restituere faciant.* Pertinent huc canon vigesimus primus, (apud Coriolanum & Caranzam vigesimus) Concilii Toletani III. adductus à Gratiano *c. Ecclesiarum. 12. q. 2. Qvoniam cognovimus, in multis civitatibus Ecclesiarum servos & Episcoporum vel omnium clericorum à judicibus vel actoribus publicis diversis angariis fatigari: omne Concilium à pietate gloriosissimi Domini nostri poposcit, ut tales deinceps ausus inhibeat; sed servi suprascriptorum officiorum in eorum usibus vel Ecclesia laborent. Si qvis verò judicum aut actorum clericum aut servum Clerici vel Ecclesiæ in publicis ac privatis negotiis occupare voluerit, à communione Ecclesiasticâ (cui impedimentum facit) efficiatur extraneus.*

XLII. Qvi apud nos hodiè sunt, Dotales, cùm diversimodè se habeant, ut suprà dixi, nonnullorum etiam conditio primigenia, per incivilem magistratûs secularis oppressionem prorsus immutata sit, difficile erit unâ simplici responsione definire, utrum illi ad servitia alia, præterqvam Ecclesiastica, adhiberi possint aut debeant. Id tamen confidenter assero, illos, qvi in fundis Ecclesiæ dotalibus habitant, qviqve præter istos fundos, nullas alias possessiones habent, ad nulla alia servitia teneri, præter ea, qvæ Ecclesiæ aut ejus ministris debentur. Ratio ex sæpè dictis patet, qvia scil. illi similes sunt veteribus colonis glebæ addictis, aut mancipiis manso Ecclesiæ destinatis, & hinc qvasi partem faciunt ipsius dotis. In genere tamen de dotalibus verba facit Serenissimus Saxoniæ Elector, qvando in Decreto Generali §. 40. constituit: **Wo auch Pfarr-Dotales oder gewisse Frohn- und Dienstleute der Pfarrer seyn/ die sollen ihre schuldigen Dienste zu leisten ernstlich von der Obrigkeit angehalten / darneben aber mit neuen Diensten/ und Beschwerung von andern keines weges beleget werden.** Qvæ constitutio ab omnibus promiscuè dotalibus, etiam illis, qvorum antecessorum olim cum bonis suis doti jam constitutæ superadditi fuerunt, qvales haud paucos extitisse verisimile est, veluti panacea adversus qvascunqve servitiorum exactiones in Consistoriis allegari solet. Et hinc multa sæpè lis est circa applicationem, dotalibus hinc sibi libertatem, Domino illinc servitutem vin-

dicantibus, judicibus ipsis sæpè rem atqve diem distindentibus. Et est sanè ea disceptatio multijugæ sæpè & sinuosæ qvæstionis, multaqve & anxiâ curâ, & circumspicientia indigens, cùm ex alterâ parte favor Ecclesiæ & libertatis, ex alterâ jus & potestas Domini pari certantium contentione allegetur, obscuritas verò & anceps causæ eventus ex eo cumprimis nascatur, qvod incerta hodiè plerorumqve Dotalium sit origo. Nec inter dominos tantùm & dotales istiusmodi agitatur controversia, sed sæpenumerò etiam inter dotales & rusticos vicinos, qvi invidiosissimè illis insultare, & privilegium hoc intervertere qvibuscunqve argumentis toto die intendunt, ut mirum adeò non sit, inter tot insectantium conatûs fatiscere subinde pauperrimos dotales, misereqve succumbere, victores cæteroqvin futuros, nisi invidiam declinare, & odium in se concitatum deprecari maluissent.

XLIII. Ne tamen id fiat, & ne temere illi ad servitia trahantur, judicis est prospicere. Sed qvis ille? & qvodnam hic forum competens? cùm plerumqve actorum partes sustineant rustici dotales, actor autem rei forum seqvi teneatur. Ego hic judicem Ecclesiasticum adeundum esse censeo, dum autem Ecclesiæ aut ministris ejus inserviendum à dotalibus fuerit. Servitia enim ista constituunt partem salarii Ecclesiæ ministris constituti, & de tali salario in genere constitutum est in ordinat. Eccles. *sub rubr.* von beyden Consistoriis zu Leipzig und Wittenberg §. 7. *n.* 4. qvòd causæ istud concernentes in Consistoriis Ecclesiasticis decidi debeant: Alle Sachen/ so der Kirchendiener Besoldung betreffen. ut ita causæ istiusmodi habeant pro Ecclesiasticis, qvarum intuitu forum competens, Ecclesiasticum nimirum, adiri oportet. Et qvia hinc incertum est, utrum servitia à Domino imperata non impediant servitia ministris Ecclesiæ destinata, certum id qvod est, servitium scil. Ecclesiasticum, trahit ad se incertum, ut in uno foro de utroqve disceptetur, nec tantum, utrum impediatur alterum ab altero, sed etiam in genere, utrum debeantur servitia à domino imperata, aut à Vicinis postulata, cùm intersit Ecclesiæ, ædes habere liberas, qvàm ab alio occupatas, aut onere gravatas.

XLIV. Et hæc est praxis in hisce terris qvotidiana, neqve nunc demum aut nudius tertius recepta aut introducta, sed patrum & avorum nostrorum tempore usitata atqve exercita, qvi in sententiis concipiendis nonnunqvam magistratus, etsi hi præsentes aut citati non fuissent, commonebant, ut dotales sibi commendatos haberent, & adversus extorsiones aut attentata aliorum tuerentur. Sic enim ab Antecessoribus nostris pronunciatum invenio mens. Ma-

Majo 1597. In Sachen die Pfarrleute und dotales, so von alters hero mit Zinsen und Diensten zu der Pfarr zu Rotta seynd gewiedmet/ und gestifftet worden/ deren zwey zu Rotta/ und der dritte im Dorff Reuden gesessen sind/ Clägere an einem/ und denn dieser beyder Dörffer Einwohner Beklagte anders Theils b. l. verabschieden wir die Verordneten des Churfl. Sächs. Consistorii zu Wittenberg: Weil in der Churfürstl. Sächsischer alter und neuer Visitation Registraturen und Kirchen-Ordnung klärlich verordnet/ daß ermelote Kläger ihren Pfarrer treulich dienen sollen/ so können auch dieselbe von den Beklagten nach Ordnung ermeldter Registraturen/ sonderlich aber der Churfl. Sächsischen Kirchen-Constitutionen Beschluß/ und Befehlichen zu andern ihrer Nachbaren Diensten nicht gedrungen / noch gezogen werden. Sondern sollen hiermit dessen hinfüro gäntzlich befreyet und verschonet bleiben/ jedoch daß solche zu ihrer Kirchen und derselben Diener Häuser gleich dem gantzen Kirchspiel auch dienen helffen. Darüber dann ihr der Amtschösser samt der Universitet Verwalter / als dieses Kirchspiels Obrigkeit die gedachten Dotales zu schützen / und ihre beklagte Nachbaren bey Vermeidung ernster Straffe von ihren unziemlichen Vornehmen abzuweisen sollet schuldig seyn. Verabschiedet/ auch zu Uhrkund mit des Consistorii Insiegel besiegelt/ den 28. Maji Anno 1597.

XLV. Ipsi Electores Serenissimi propriis suis rebus atqve prædiis adhiberi noluerunt servitia dotalium, nisi hi non pastori tantùm, sed insuper etiam aliis præstare eadem obligati fuissent. Sic enim Elector Augustus, felicissimæ memoriæ, rescripsit ad Qvæstorem Seidensem, Lorentz Peckstein/ anno 1573. Lieber Getreuer/ welcher Gestalt sich an uns der Pfarrer zu Müglen beklaget/ daß seine zween Bauren zur Pfarr gehörig wider alten Brauch mit den Pferdediensten zu unsern neuen Schloßbau alhier beleget werden wollen/ das hast du aus seiner supplication zu vernehmen. Weil wir denn nicht gemeynet wider

alten

alten Gebrauch jemanden beschwehren zu lassen/So befehlen wir dir hiermit/ da sie vor alters niemanden als dem Pfarrer zu fröhnen schuldig gewesen/ du wollest sie nochmahls darbey geruhig bleiben/ und hinfüro mit neuen Frohndiensten unbelegt lassen/ daran geschieht unsere Meynung. Datum Annaburg den 7. Octobr. 1573.

XLVI. De censu & tributis sive collectis constitutum est in Concilio Meldensi *cap. 63.* anno CHRISTI DCCCXLV. *Ut secundùm Canonicam autoritatem & constitutionem Domini Imperatoris Ludovici, de agro Ecclesiastico & manso, ac mancipiis, qvæ ipse suis capitulis constituit, vel si qvilibet pro loco sepulturæ aliqvid largitus Ecclesiæ fuerit, neqve de decimis & oblationibus fidelium cuiqvam presbyteros aliqvem censum persolvere cogat, nec qvisqvam cujuslibet ordinis vel dignitatis exinde qvicqvam subtrahat, aut redhibitionem qvamcunqve exigat temporalem. Qvod si fecerit, communione usq; ad satisfactionem privetur, & regiâ potestate hoc emendare legaliter cogatur.* Canonem hunc Gratianus *c. secundum. 23. q. 8.* Concilio Parisiensi adscribit, qvo fundamento, ipse videat. Idem id repetitum legitur in Concilio Valentino *cap. 9.* anno DCCCLV. *Dotes à fidelibus designata basilicis ad hoc, qvod statutum est ab eis, vendicentur: nullaqve redhibitio censûs inde à qvolibet seculari exigatur, sed qvod canonicè tantùm ordinatum est, suppleatur. Si qvis autem secularium nostram hanc ordinationem confundere præsumpserit, ab Ecclesiâ noverit se canonicè feriendum, cujus institutionem temerè contempsit.*

XLVII. Sed hîc iterum probè observanda est, qvam & notat Nicolaus le Maistre *de bon. Eccles. l. 3. c. 3.* distinctio prædiorum Ecclesiasticorum. Qvædam enim, ut suprà dixi, in dotem Ecclesiæ erant destinata & tradita, qvædam verò ad dotem Ecclesiæ non pertinebant, sed erant velut aliqvod ejus incrementum, nec tàm necessitatis Ecclesiasticæ subsidium, qvàm splendoris & autoritatis adminiculum. Atqve eas terras, qvæ Ecclesiæ dotis nomine obvenerant, omninò liberas esse oportuit, & à tributo qvovis immunes. Reliqvæ verò vel tributariæ erant, vel tributorum expertes. Ultimis his, sicubi ad Ecclesias pervenissent, non facilè tributa imposita fuerunt à Principibus Christianis, nisi qvando vel necessitas id exegit, vel victoribus prima obedientiæ rudimenta præstari oportuit. Sic enim Longobardicis Ecclesiis tributum impositum refert Sigonius. Tributaria verò qvæ sunt prædia, cum ipso onere in Ecclesiam

clesiam transeunt, neqve facere potest Ecclesia per dominium aut possessionem suam, ut onus istud ablatum censeatur, sed perinde ut alii cives istud ferre & tributa exsolvere tenetur.

XLVIII. In capitularibus Karoli Magni *lib. 4. num. 37.* hæc legitur Constitutio: *Qvicunq; terram tributariam, unde tributum ad partem nostram exire solebat, vel ad Ecclesiam vel cuilibet alteri dederit, is, qvi eam susceperit tributum, qvod inde solvebatur, omni modo ad partem nostram persolvat: nisi fortè talem firmitatem de parte dominicâ habeat, per qvam ipsum tributum sibi perdonatum possit ostendere.* Idem habetur *lib. 3. num. 86. Ut de rebus, unde censûs ad partem Regis exire solebat, si ad aliqvam Ecclesiam traditæ sunt, aut reddantur propriis heredibus, aut qvi eas retinuerit, illum censum persolvat.* Vid. Dd. *ad l. 5. C. de SS. Eccles.* Et ratio est, qvia in vectigalibus ipsa prædia, non personæ conveniuntur, *l. 7. ff. de publican.* ut intelligamus scil. onera ista prædiorum esse, non personarum, ac proinde qvasi à prædiis exigi, atqve à possessoribus eo nomine conventis præstanda esse sine consideratione qvalitatis aut dignitatis. Arn. Vinnius *ad. §. 2. Inst. de act.* Nec malè igitur Cassiodorus *lib. 1. Var. epist. 26. Ea, qvæ à tempore beneficii ad Ecclesiam est translata possessio, commune cum omnibus possessoribus onus agnoscat, & ejus subjaceat functioni, cujus nacta est jura dominii.* Conf. Aug. Barbos. *ad c. 1. X. de cens.* Ant. Mornac. *ad d. l. 5. C. de SS. Eccles.* Henric. Canis. *ad tit. de immun. Eccles. in fin.* Goffredus de Trano *in summ. ejus tit. num. 3.*

XLIX. Sed qvia omnis Ecclesiarum & bonorum Ecclesiasticorum immunitas ex Principum provenit beneficio, non erit hîc ἀπροσδιόνυσον, si paulò attentiùs constitutiones Imperatorias, qvæ de ejusmodi privilegiis extant, investigemus, & qvatenus vel aucta ea vel imminuta fuerint, secundum annorum seriem, breviter describamus. Primus igitur Constantinus in genere universas Ecclesias Catholicas tributorum oneri subduxit, & immunes esse voluit in *l. 1. Cod. Theod. de annon. & tribut. Præter privatas res nostras*, inqvit, *& Ecclesias Catholicas & domum clarissimæ memoriæ Eusebii ex Consule & Magistro eqvitum & peditum, & Arsacis Regis Armeniorum nemo ex nostrâ jussione præcipuis* (h. e. immunibus, ἐξαιρέτοις, jure qvodam præ aliis præcipuis, ut explicat Jacobus Gothofredus) *emolumentis familiariter juvetur substantiæ.* &c. Constitutionem hanc edidit Constantinus anno Christi CCCXV. qvo tempore maximè studuit Imperator, plurimasqve rationes invenit, ut locupletaretur Ecclesia, qvæ hactenus variis suppressa persecutionibus in paupertate

vixerat, & in angustis rebus animosa nihilominùs atqve fortis extiterat. Videtur tamen subinnuere Constantinus, immunitatem hanc Ecclesiæ jam anteà fuisse tributam, & à se ipso fortè anno CCCXIII. uti ex *l. 1. C. Th. de Episc.* conjecturam facit Jacobus Gothofredus.

L. Cùm verò intra paucissimos annos ex pietate & liberalitate eorum, qvi religionem Christianam amplexi fuerant, non pecuniæ tantùm, sed integra latifundia Ecclesiis donata essent, qvibus in immensum auctæ fuerant earum facultates, brevi pòst tempore ipsæ qvoqve tributis obnoxiæ factæ sunt. Non tamen illicò, & simul, atqve promiscuè omnibus, sed pedetentim, & primùm qvidem canonicis sive ordinariis. Sic enim statuit anno CCCLX. Constantius in *l. 15. C. Theodos. de Episc. Eccles. & Cler.* postqvam in Ariminensi synodo super Ecclesiarum & Clericorum privilegiis tractatu habito definitum esset, ab Imperatore postulari debere, ut juga, qvæ viderentur ad Ecclesiam pertinere à publicâ functione libera essent, id eis haudqvaqvam concedendum, suamqve sanctionem dudum hoc repulisse ait. Videntur, qvi Arimini anno CCCLIX. convenerant Episcopi CCC. iniqvè tulisse legem aliqvam Constantii anteriorem, qvâ ille ordinariis collationibus Ecclesias subjecerat. Per synodalem igitur petitionem aut intercessionem efficere se posse putabant, ut liberè deinceps atqve prorsus immunes lege novâ declararentur Ecclesiæ. Sed petitionem istam parum pensi habuit Imperator, & à canonicis atqve ordinariis muneribus immunes esse noluit, credijitqve, satis eis prospectum esse, si ab extraordinariis & sordidis liberæ præstarentur.

LI. Qvæ à Juliano Apostatâ ab eo tempore, qvo rerum potitus est, ad finem usqve vitæ, spatio vinginti mensium, à mense Octobri anni CCCLXI, ad 6. Julii anni CCCLXIII. adversus Christianos promulgata fuerunt edicta, referre hìc supersedeo, & qvia ab hoste Christiani nominis ea profecta, & qvia non adeò diuturna fuerunt, cùm à Successore Joviano illicò revocata fuerint. Sic enim ait Philostorgius *lib. 8. c. 5. Jovianus Imperator veterem ornatum Ecclesiis reddidit, omniq; eas onere liberavit, qvod eis Apostata imposuerat.* Revocavit eadem Valentinianus Imper. anno CCCLXIIX. in *l. 18. Cod Th. de Episc.* his verbis: *Qvam ultimo tempore Divi Constantii sententiam fuisse claruerit, valeat: Nec ea in adsimulatione aliqva convalescant, qvæ tunc decreta vel facta sunt, cùm paganorum animi contra sanctissimam legem qvibusdam sunt depravationibus excitati.* Constantii autem sententiam hanc fuisse dixi, ut ab extraordinariis qvi-

qvidem, non autem à canonicis & ordinariis muneribus immunes essent Ecclesiæ. Videamus, qvid à Christianis Imperatoribus sancitum fuerit porrò.

LII. Anno CCCXXCII. Ecclesiis etiam ista ab extraordinariis muneribus hactenus relicta immunitas ab Valentiniano juniore adempta fuit, per constitutionem, qvæ extat in *l. 15. Cod. Theod. de extraord. sive sord. mun.* qvalem similem anno CCCXC. edidit Theodosius Magnus in *l. 18. eod.* Exegisse istas constitutiones videtur necessitas Reip. & expeditio Illyriciana, cujus mentionem facit ipse Imperator in *d. l. 15.* Sunt autem munera extraordinaria, qvæ præter canonica & consveta indicuntur, qvæqve pro rerum necessitate, & indigentia exiguntur, ut sunt angariæ, operæ, tyronum & eqvorum præstatio &c. de qvibus vid. Gothofredus *ad Cod. Theodos. d. tit.* Solùm igitur ab sordidis muneribus eo tempore immunes manserunt Ecclesiæ, qvæ qvalia fuerint, prolixè recensentur ab ipso Imperatore in *d. l. 15.* qvæ est apud Justinianum lex *10. Cod. de excusat. mun.*

LIII. Qvi secutus fuit, Imperator Honorius anno Christi CCCXCVII. pristinam Ecclesiis libertatem qvoad munera extraordinaria restituit, & ab illis eas immunes fecit, in *l. 21. & 22. Cod. Theodos. de extraord. sive sord. mun.* Fuit namqve Honorii Imperatoris (vel Stelichonis potiùs, qvi illum totum in potestate habebat, ut notat Philostorgius *lib. 11. cap. 3.* & Zosimus *lib. 5. pr.*) eximia hæc benignitas, ut imperii sui initio privilegia Ecclesiarum & Ecclesiasticorum ab anterioribus Principibus indulta omnia in genere confirmaret, additâ hâc ratione, qvia temporibus nostris addi potiùs reverentiæ cupimus, qvàm ex his, qvæ olim præstita sunt, immutari, ut ait ipse in *l. 29. Cod. Theod. de Episc. Cler. & Eccles.* Qvod & Sozomenus confirmat *lib. 8. hist. Eccles. c. 1.* Et qvia plurimæ aliæ de non violandis Ecclesiæ privilegiis ejus extant constitutiones, facilè inde conjicere licet, multorum impetitionibus creberrimè ea tùm temporis fuisse exposita.

LIV. Idem Honorius anno CCCCXII. speciali constitutione in *l. 5. C. de SS. Eccles.* qvæ est *l. 40. Cod. Theod. de Episc.* singulatim recensuit, qvibus muneribus exemptæ esse debuerint Ecclesiæ. *Placet*, inqvit, *rationabilis consilii tenore perpenso, districtâ moderatione describere, à qvibus specialiter necessitatibus Ecclesiæ urbium singularum habeantur immunes. Prima qvippe illius usurpationis contumelia depellenda est, ne prædia usibus cœlestium secretorum dicata sordidorum munerum fasce vexentur. Nullam jugationem, qvæ talium privilegiorum sorte gratulatur, muniendi*

itineris constringat injuriâ, nihil extraordinarium ab hâc, superindictitiiamve flagitetur: nulla pontium instauratio: nulla translationum sollicitudo gignatur: non aurum, cateraq; talia poscantur. Postremò, nihil prater Canonicam illationem, qvod adventitia necessitatis sarcina repentina depoposcerit, ejus functionibus adscribatur. Si qvis contravenerit, post debita ultionis acrimoniam, qva erga sacrilegos jure pramenda est, exilio perpetua deportationis utatur.

LV. Ex qvâ constitutione patet, non per omnia à tributis exemptas aut immunes fuisse Ecclesias; qvorsum enim singulari istâ recensione opus fuisset? & plerasqve omnes subjectas mansisse collationibus perpetuis atqve ordinariis. Imò nec patriarchales qvidem exceptas fuisse, patet ex Theodosii junioris constitutione in *l. 6. Cod. Theod. de patrocin. vicor.* qvam promulgavit anno Christi CCCCXV. his verbis: *Qvicqvid autem in tempus usqve dispositionis habita à Viro illustri decessere sublimitatis tua Ecclesia venerabiles, id est, Constantinopolitana atq; Alexandrina possedisse deteguntur, id pro intuitu Religionis, ab his pracipimus firmiter retineri: sub eâ videlicet sorte, ut in futurum functiones omnes, qvas metrocomia debent, & publici vici pro antiqva capitationis professione debent, sciant procul dubio subeundas.* &c. Solius Constantinopolitanæ & Alexandriæ Ecclesiæ fit mentio, qvia qvæstio tantùm erat de annonâ Alexandrina Constantinopolin subvehenda, qvarum Ecclesiarum patrocinium qværebant illi, qvibus onus subvehendi subeundum erat, ut hâc ratione immunes fierent. Qvod cùm indignum & Reipublicæ perniciosum ac reliqvis concivibus onerosum arbitraretur Imperator, hâc demum sub conditione Metrocomiarum vel publicorum vicorum possessiones Ecclesiam Constantinopolitanam & Alexandrinam retinere voluit, si in futurum omnes functiones solitas & ordinarias pro iis præstent. Capitatio enim, cujus hìc fit mentio, nihil aliud est, qvàm tributum soli & possessionum, uti optimè explicat Jacobus Gothofredus *in paratitl.* & ad *l. 2. C. Theodos. de cens.*

LVI. Idem verò Theodosius junior anno CCCCXXIII. derogavit nonnihil privilegio, qvod ab Honorio datum fuisse recensuimus suprà. Honorius enim à munitione itineris & pontium instauratione immunes fecerat Ecclesias; Sed Theodosius immunes eas deinceps esse noluit, in *l. 6. Cod. Theodos. de itin. mun.* & *l. 7. Cod. Justin. de SS. Eccles.* qvæ dictæ legis sextæ qvædam veluti epitome est. *Ad instructiones itinerum*, inqvit, *pontiumq; etiam divinas domos & venerabiles Ecclesias tàm laudabili titu-*

titulo libentes adscribimus: qvia non est inter sordida munera numeratum. Ecclesiæ scilicet hactenus ab sordidis muneribus semper immunes habitæ fuerunt. Inter sordida autem ejusmodi munera etiam viarum & pontium instructio atqve refectio relata fuit *l. 15. & 18. C. Theodos. de extraord. sive sord.* Id verò correxit Theodosius, & ex sordidorum munerum numero eam exemit. *Absit*, inqvit, *ut nos instructionem viæ publicæ & pontium stratarumq; operam, titulis magnorum Principum dedicatam inter sordida munera numeremus.* Atqve idcircò nullum genus hominum, qvantæcunqve illi dignitatis fuerint, & nec proprias qvidem domos aut prædia ab hoc munere præstando excipi voluit.

LVII. Sed & ipsum sordidorum munerum nomen displicuit aliqvando Imperatoribus, qvod sub isto colore multa negligerentur, saluti Reip. maximè proficua. Inter novellas Constitutiones Theodosii & aliorum Impp. qvas primùm edidit Petrus Pithœus *sub tit. 20.* qvæ legi novæ obstare poterat, his verbis diluuntur: *An fortè contumeliosum putandum est inventum contra rationem nomen munerum sordidorum, qvo instauratio militarium Virorum, qvo armorum fabricatio, qvo murorum, refectio, qvo apparatus annonæ, qvo reliqva opera, per qvæ ad splendorem distinctionis publicæ pervenitur, pravâ appellatione censentur: sine qvibus nullius maximarum rerum procedit eventus, qvorum adminiculo statum pariter, & decus tuemur Imperii, ac, ne singula proseqvamur, sine qvibus nihil necessarii operis effici potest?* &c.

LVIII. Dixi supra, ab collationibus ordinariis sive canonicis non fuisse immunes Ecclesias. Soli tamen fortè Thessalonicensi id privilegium contigit in *l. 33. C. Theod. de annon. & trib.* anno CCCCXXIV. (qvam repetit Justinianus in *l. 8. de SS. Eccles.*) sub hâc tamen conditione, ut propriæ tantùm capitationis modus remissus intelligeretur, nec externorum gravamine tributorum Resp. Ecclesiastici nominis abusione læderetur, hoc est, ne obtentu Ecclesiæ & Ecclesiastici nominis externi seu alii, sive privati, sive Clerici aut Ecclesiæ per fraudem & collusionem hâc immunitate potirentur. Qvia enim impares erant solitis tributis Macedonicæ diœceseos provinciæ, non modum tantùm civibus posuit Theodosius junior, & eum qvidem secundum spontaneam illorum oblationem, sed etiam æqvum esse putavit, ut in tantâ Illyrici indigentia Ecclesia Thessalonicensis, prorsus immunis esset. Sed iste tota constitutio localis fuit, & fortè etiam temporaria.

LIX. Nolo ad ulteriora inseqventium Imperatorum tempora excurrere, atqve eorum constitutiones prolixius compilare. Ex his

verò, qvas recensui, duo inprimis observare licet. Primum est, immunitates Ecclesiasticas non ex jure divino, uti nobis hodiè persvadere volunt Ecclesiæ Pontificiæ Antistites, sed ex mero jure humano positivo provenire, & qvidem ex concessione Principum. Neqve enim tanta tùm temporis fuit Ecclesiæ potestas, qvantam deinceps vel sumpsit sibi, vel a principibus accepit, ut illis invitis immunes facere posset vel personas vel terras Ecclesiasticas, qvod exemplo Ariminensis Concilii supra ex *l. 15. C. Th. de Episc. Cler. & Ecclef.* adducto patet. Secundum est, nondum eo tempore distinctam fuisse dotem Ecclesiasticam, aut mansum in dotem datum, ab reliqvis bonis qvacunqve liberalitate in Ecclesiam translatis. Qvandoqvidem promiscue ubiqve agunt Imperatores de prædiis Ecclesiæ acqvisitis, atqve illa canonicis & ordinariis tributis subjecta volunt. Neqve enim alia prædia magis usibus cœlestium secretorum dedicata sunt, qvæ Canonicæ illationi obnoxia esse voluit Honorius in *l. 5. C. de SS. Ecclef.* qvàm ipsa illa, qvæ hodiè dicimus dotalia. Simul verò id etiam inde addiscitur, non vanam esse aut confictam Panormitani & reliqvorum Canonistarum distinctionem, qva Ecclesiam ad onera perpetuò insita & immutabilia teneri, ad variabilia autem & repentina non teneri contendunt. Vid. Petr. Costal. *ad l. 17. ff. de usur.*

LX. Sed hîc tamen notandum, inter extraordinarias illas collationes, qvibus immunes fuisse dixi Ecclesias, non referri eas, qvæ ex gravi aliqvâ & urgente Reip. necessitate indicuntur. Sic enim constituérunt Impp. in *l. 11. C. de SS. Ecclef. Neminem ab angariis vel parangariis, vel plaustris, vel qvolibet munere excusari præcipimus: cùm ad felicissimam expeditionem nostri numinis omnium provincialium per loca, qvà iter arripimus, debeant solita nobis ministeria exhiberi, licet ad SS. Ecclesias possessiones pertineant.* Repetitur ista constitutio & haud paulo extensius *in l. 2. C. de qvibus muner. vel præstat. lib. X.* Et similis adscribitur Anastasio Imperatori in *l. 21. C. de curs. publ. lib. XII.* Ratio est, qvia privilegium immunitatis generaliter concessum non includit casum necessitatis publicæ. Tùm enim æqvum est, ut à summis sarcina ad infimos usqve decurrat, *l. 1. C. de qvib. mun.* & necessitatibus subveniendum cum jacturâ universorum, non qvorundam tantum.

LXI. Canonistæ, qvi hanc improbare neqveunt exceptionem, non aliter tamen, qvàm cum duplici eam admittunt limitatione. Primò, reqvirunt talem necessitatis communis gradum, cui sublevandæ non sufficiant bona Laicorum, adeoqve volunt, in

in subsidium demum teneri bona Ecclesiarum. Sed enim Constitutiones adductæ ostendunt, istis temporibus, qvibus illæ promulgatæ fuerunt, ignotam planè fuisse hanc limitationem. Deinde verò, qvis arbitrabitur, utrum sufficiant bona Laicorum, an minùs? Clericis qvi id jus tribuunt, uti communiter faciunt Canonistæ, per *c. non minus. 4. & c. adversus. 7. X. de immun. Eccles.* Thom. Sanchez. *consil. moral. l. 2. c. 4. dub. 55. n. 38.* perpetuam hanc audient exceptionem, nondum satis esse excussa bona Laicorum, summq; sibi privilegium haudqvaqvam violari debere. Laici autem nunqvam facient finem qverelarum, seq; ad saccum & peram jam excussos, uno ore clamabunt, ut adeò in praxi difficilis admodum hic sit peræqvatio.

LXII. Secundò reqvirunt, ut accedat consensus summi Pontificis, *d. c. 7. X. de immun. Eccles.* Istumqve consensum tàm necessarium statuunt, ut excommunicationi succumbat, qvisqvis eum neglexerit. Audiamus ipsum Bonifacium VIII. *c. 3. immun. eccles. in 6.* ex cathedrâ minitantem, & excommunicationis fulmina vibrantem. *Statuimus*, inqvit, *qvod qvicunq; prælati, ecclesiasticæqve personæ, religiosæ vel seculares qvorumcunqve ordinum, conditionis seu status, collectas vel tallias, decimam, vicesimam, seu centesimam suorum & Ecclesiarum proventuum vel bonorum Laicis solverint vel promiserint, vel se soluturos consenserint, aut qvamvis aliam qvantitatem, portionem aut qvotam ipsorum proventuum vel bonorum æstimationis vel valoris ipsorum sub adjutorii, mutui, subventionis, subsidii vel doni nomine, seu qvovis alio titulo, modo, vel qvæsito colore absq; autoritate sedis ejusdem: nec non Imperatores, Reges seu principes, Duces, Comites vel Barones, Potestates, Capitanei vel Officiales vel Rectores qvocunqve nomine censeantur, civitatum, castrorum, seu qvorumcunqve locorum constitutorum ubilibet, & qvivis alii cujuscunqve præeminentiæ, conditionis & status, qvi talia imposuerint, exegerint vel receperint, aut apud ædes sacras deposita Ecclesiarum vel Ecclesiasticarum personarum ubilibet arrestaverint, saisiverint, seu occupare præsumpserint, vel arrestari, saisiri aut occupari mandaverint, aut occupata, saisita, seu arrestata receperint, nec non omnes, qvi scienter dederint in prædictis auxilium, consilium vel favorem, publicè vel occultè, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant* &c. Sunt tamen, qvi huic pœnæ non aliter locum faciunt, nisi tùm, qvando res moram patitur, periculo autem imminente, etiam inconsulto summo pontifice ab Ecclesiis tale subsidium peti & recipi posse, statuunt. Vid. Anton. Perez *Cod. de qvib. muner. num. 9.* Nobis iste consensus ideò non potest necessarius videri, qvia universa ista immunitatis Ecclesiasticæ privilegia à solo Principe concessa fuerunt, qvi proin-

proinde minuere & augere ista pro lubitu potest sine cujusqvam alterius consensu. Et ergò in solius Principis voluntate consistet, qvousq; valere velit privilegia à se liberaliter concessa. Conf. Anton. Bengeus & Franc. Pinsson. *de benef. tit. de oner. Eccl.* §. 19.

LXIII. SEPTIMUM dotis Ecclesiasticæ privilegium est, qvòd ejus dominium transferatur in Ecclesiam absqve traditione; qvod qvidem ei commune est cum reliqvis rebus Ecclesiæ donatis aut venditis. *l. ult. C. de SS. Eccles.* Atqve adeò, qvæ supra de traditione vel verâ vel Symbolicâ dixi, non eò pertinent, ut eam ad dominii translationem statuamus necessariam, sed ut translationem istam inde faciamus magis solennem. Nec enim, qvæ ad solennitatem aliqvam externam conducunt, illicò etiam ad substantiam actûs pertinent, & qvæ probationi inserviunt, non protinus, negocium ipsum constituunt. Cæterùm privilegium hoc tàm amplum & latè patens faciunt Canonistæ, ut etiam eo casu dominium translatum statuant, qvando qvis alicui fundum donat inter vivos, eâ lege, ut cum post certum tempus Ecclesiæ restituat; saltem lapso tempore isto, intra qvod restitui debuit. Post alios Didacus Covarruvias *lib. 1. var. resolut. cap. 14.* Sed opinionem istam principiis juris repugnare ait Antonius Faber *de error. pragmat. decad. 48. err. 2.* multisqve eam perstringit verbis. Sed ipse tamen contra plerorumqve Interpretum sententiam actionem illam utilem, qvæ tertio illi donatario post tempus elapsum datur in *l. 3. C. de donat. qvæ sub mod.* statuit esse realem. Ejus rationes excutere nunc non vacat. Vid. Anton. Perez *C. d. t. n. 6. 7.*

LXIV. Deniqve OCTAVO, ut compendium faciam, competere volunt doti Ecclesiasticæ universa illa privilegia, qvæ in jure concessa inveniuntur doti Uxoriæ. Julian. Vivian. *de jur. patron. part. 1. lib. 2. cap. 5. n. 55.* qvi ipse nonnulla eorum recenset *cap. anteced. 4. n. 11. seq.* Cumqve dotis Uxoriæ favor in jure ubiqve sit maximus, non minorem eum, imò haud paulo majorem impertiri volunt doti Ecclesiasticæ: ex ratione illâ, qvod matrimonium spirituale & carnale æqviparentur. Nic. Everhard. *loc. 76.* qvodqve in comparatione matrimonium spirituale haud paulo præstantius sit. Qvid verò de matrimonio spirituali sentiendum sit, supra abunde exposuimus. Et qvanqvam ratio ista nobis minus videatur accommodata; in thesi tamen ipsâ, qvâ doti Ecclesiasticæ insignis tribuitur favor, &, si non major, saltem æqvalis illi, qvi doti Uxoriæ adscribitur, nolimus dissentire. Utiq; enim pro Ecclesiâ laborandum est, ut habeant ejus ministri, unde vivere, & unde cultum divinum peragere qveant. Qvam in rem si dos constituta fuerit, etsi, ut constituatur, præcisè necessarium non sit, uti supra exposui, interest Ecclesiæ, dotem eam salvam habere, & per concessa privilegia conservare.

CAPUT XIII.

Ut infirmata & adempta fuerint dotis Ecclesiasticæ privilegia, deqve fraudibus circa ea commissis.

SUMMARIA.

De veteribus & hodiernis injuriis & invasionibus, qvibus Ecclesiæ earumq; bona sæpè impetita sint, atq; etiamnum impetantur, in genere, *n. 1.*

Leges, à Karolo M. & Ludovico Pio pro immunitatibus Ecclesiarum conditæ, qvàm diu illæsæ extiterint? n. 2.

Semper extitisse, qvi varia ex bonis ecclesiasticis qvæsiverint compendia, nec veriti adeò fuerint, ipsum qvoqve eorum dominium sibi vindicare, totumq; id qvocunqve titulô adimere, eôd.

Per concessionem bonorum ecclesiasticorum autoritate Imperatoriâ laicis sub censu solvendo factam auctum esse id malum, eôd.

Verba concilii Valentini eâ de re, n. 3.

Ostensio ex istis verbis, maximam tum temporis in bonis ecclesiasticis fuisse potestatem Imperatorum, n. 4.

Ipsas etiam possessiones dotales variis modis à Laicis impetitas esse tempore concilii Valentini, non solum prædia, qvæ doti jam constitutæ accesserunt, n. 5.

Mulieres aliqvando altaribus adstitisse, & ipsô oblationis tempore coram omnibus accepisse, qvod oblatum; & cur hoc factum? n. 6.

Non bona tantum ecclesiastica, sed integras etiam Abbatias & monasteria laicis donata inveniri, n. 7, 8.

Istas concessiones beneficia dictas esse, non aliter atqve feuda; sed Ecclesiam provisores & præpositos idoneos reqvisiisse, n. 8.

Integras qvoqve Ecclesias parochiales Militibus & Regni magnatibus haud aliter atq; feuda secularia in beneficium datas esse, & qvid sub nomine Ecclesiæ concessum intelligatur? n. 9.

Auxisse bonorum ecclesiasticorum abusûs tùm imminutam Carolinæ stirpis potentiam, tùm iteratas barbarorum irruptiones, Ecclesiam miserè affligentes, n. 10.

Exemplum Principum secularium ipsos etiam Episcopos qvandoqve secutos esse in distribuendis inter milites beneficiis ecclesiasticis, n. 11.

Necessitatibus extremis subvenire etiam debere ipsam Ecclesiam, eôd.

Qvod ab Imperatoribus bonô consiliô & bonâ intentione in conservationem Ecclesiæ & Reip. primùm institutum, id successu temporis in meros degenerâsse abusus, tenacissimè sibi bona ista adserentibus, qvi accepissent, n. 12.

Accessisse etiam insuper precarias non ampliùs in nativa sua conditione & qvalitate subsistentes, sed multis itidem abusibus involutas, eôd.

Episcopos nullô modô possessores bonorum ecclesiasticorum ad restitutionem adigere potuisse, nisi precibus interdum; Et qvâ ratione hoc? eod.

Exempla & cessionis instrumenta in eam rem, n. 13, 14.

Qvâ ratione laici rerum ecclesiasticarum possessores presbyteriales agros aliis piis locis, qvàm qvorum fuissent, indebitè assignârint, & qvod pietate hâc suâ malum aliud produxerint, qvodq; remedium ejusmodi translationibus adinventum sit? n. 15, 16, 18.

Episcopos Romanos inseqventes, audentiores jam factos & Imperatoriæ autoritatis contemptores valdè inverecundos, ne qvidem eos exceptos ampliùs ab excommunicatione haberi voluisse rerum ecclesiasticarum possessores, qvibus autoritate Principum possessio fuisset confirmata, docetur exemplô Gregorii VIImi, & Alexandri III. n. 17.

Concilium Lateranense de decimis laicorum decernens, n. 18.

Usurpationem Laicorum, qvæ in decimis, oblationibus & bonis ecclesiasticis aliis invaluit, etiam ad colonos & servos Ecclesiarum extensam fuisse, concilii Meldensis decretô probatur, n. 19, 20.

In legibus Bajuuariorum qvomodo definiatur numerus dierum rusticis servitiis destinatus, per Concilium Meldense diminutus? n. 20.

Aliqvando ipsas etiam personas ecclesiasticas laicis vel autores, vel adjutores fuisse, ut ex rebus Ecclesiæ sibi compendia facerent; & qvomodo concilium Meldense istud prohibuerit? n. 21.

Collatores nostrarum Ecclesiarum superiori seculô solitos fuisse qvandoqve homines nullius precii ad clericatum promovere, eum in finem, ut morigeros sibi pastores haberent, aut in re sua familiari aliqvod ab illis emolumentum perciperent. n. 22.

Correptio & admonitio Electoris Saxoniæ eam in rem, eôd.

Qvantum laboretur à Collatoribus, Nobilibus & Qvæstoribus, ut Colonos & rusticos dotales jurisdictioni suæ & imperio subjiciant, nonnulla ex Consistorii Wittenbergensis matricula de anno 1555. referuntur exempla, n. 23.

Ali-

Aliqvando Pastores ipsos, ut Nobiles sibi favorabiles redderent, dotales suos eorumq; servitia sponte cessisse; Et utrùm licita sit Pastori alienatio aut translatio ejusmodi sine præscitu Episcopi aut Consistorii? n. 24.

Peccare pariter Pastores illos, qvi sine præscitu Episcopi aut Consistorii fundos dotales qvocunqve titulô alienant; Et qvomodò in tales sit animadvertendum? n. 25.

Dotales qvoqve ipsos privilegia dotalia imminuere & pervertere ausos fuisse & fundi dotalis dominium affectâsse, nec veritos, eundem apud Censitores, aut per æqvatores profiteri, ut oneribus omnibus subjicerentur, & hac ratione jus dotale expiraret, sibiq; & hæredibus suis fundus iste comparatus intelligeretur, n. 26.

Aliqvando parochianos & vicinos dolô intervertere suisq; adjacentibus agris vindicare solere fundos Ecclesiæ dotales sive mansos ecclesiasticos, n. 27.

Vasallos etiam Ecclesiæ feuda, qvibus investiti fuerunt, ab seculari sæpè domino lubentiùs, qvàm ab Ecclesia & Episcopi recognoscere, fidemq; illi potiùs, qvàm huic, promittere fategisse, n. 28.

Decretum Concilii Vavrensis ad evitandam & coercendam ejusmodi jurium ecclesiasticorum interversionem. n. 29.

Pericula, damna & calamitates eorum, qvi bona Ecclesiæ donata diripiunt & in suos usûs vertunt, dotalemve colonum ab Ecclesia abstrahunt, n. 30.

Facti, qvô qvis Ecclesiæ bonis manum injicit, suasq; fortunas inde ampliare studet, vitiositas, notatio & prohibitio n. 31.

Concilium Toletanum III. qvandò habitum sit? eôd.

Angariare qvid sit? eôd.

Qvâ ex ratione sacrilegium Jure canonicô dicatur, qvando qvis res Ecclesiæ usurpat suisq; usibus applicat? n. 32.

Sacrilegium qvomodo Jure canonicô definiatur? eôd.

Dissvasio præfati facti & delicti, & castigatio audaciæ Advocatorum, Ecclesiæ Jura impugnantium & evertentium, cum Epicrisi de vindicta divina in eos animadversione, n. 33.

Exemplum Johannis de Maresiis, Advocati Gallici; Cum Conclusione per votum. n. 34.

MAllem ego ab enarratione hujus capitis prorsus abstinere, qvàm veteres illas adversus instituta majorum in Ecclesias & earum bona sæpè illatas injurias, atqve invasiones recoqvere, qvæqve super illis constituta sunt, longo ordine recensere. Nec enim sine ignominiâ

eorum, qvi talia ausi fuérunt, legi possunt, qvæ passim in antiqvis memoriis prostant. Utinam non legerentur, & qvæ Deo data atqve dicata sunt, inviolata mansissent. Sed qvia eadem hodiè sæpenumero luditur fabula, nec desunt etiamnum, qvi Ecclesiasticas facultates attenuare, suasqve ex illis augere non verentur, nec erubescunt, etsi id referre pudeat, non erit hîc alienum, ex historiâ Ecclesiasticâ nonnulla hic adnotare, sed pancissima tamen, & qvasi in compendio, ne nimium fœteat sæpiùs agitata Camarina.

II. Primùm observo, leges à Karolo Magno & Ludovico Pio pro immunitatibus Ecclesiarum conditas vix hominis ætatem illæsas extitisse, si modo extiterunt, qvippe qvas ipsis illis Imperatoribus adhuc viventibus non semel violatas fuisse, reperita earum arguit promulgatio. Semper enim extiterunt, qvi susqve deqve habentes, unde sibi opes atqve divitiæ compararentur, varia ex bonis Ecclesiasticis qvæsiverunt compendia, nec veriti adeò fuerunt, ipsum qvoqve eorum dominium sibi vindicare, totumqve id qvocunqve titulo eis adimere. Isti conatûs multum deinceps aucti & promoti fuerunt, postqvam bona Ecclesiastica Laicis autoritate Imperatoriâ concessa fuerunt, hâc lege atqve conditione, ut ex illis decimæ aut census aliqvis alius Ecclesiæ solverentur. Cùm enim qvarundam Ecclesiarum facultates ita auctæ fuissent, ut difficulter administrari illæ ab ipsis Ecclesiæ ministris possent, non malè cum illis agi putârunt Principes, si sub certo canone aut censu Laicorum culturæ subjicerentur, qvorum tamen intentionem permultæ deinceps fraudes excogitatæ magno cum Ecclesiæ damno sæpissimè eluserunt.

III. Egerunt eâ de re Pâtres in Concilio Valentino sub Lothario Imperatore anno DCCCLV. *c. 8.* his verbis: *Placuit, ne prædia & possessiones Ecclesiarum, voto fidelium collata, cupidis ad invadendum paterent, & ne tali fraude rebus suis vacuarentur & spoliarentur Ecclesiæ, ne & gloriosorum Principum animi subreptione qvorundam talium deceptis callidisqve mendaciis læderentur: ut si qvis non metuens judicium Dei & damnationem æternam & possessiones Ecclesiarum sive exspoliare qvæ pertinent ad jus earum præsumpserit, excommunicationis sententiam, qvousqve præsumptionis factum re corrigat, secundum Ecclesiasticam censuram ferat. Qvod etsi prætenderit hujusmodi sibi indulta & concessa ab augustissimis Dominis nostris, nec sic à sententia Episcopi sit liber: multi enim probantur in similibus mentiri: donec rector ipsarum Ecclesiasticarum rerum, ad clementes aures Principis causam tàm malefacti cum precibus Ecclesia deferat,*

rat, ut ejus judicio & moderatione res unde agitur, deliberetur, & is, qvi charitate fuerit privatus Ecclesia, tunc si dignus est, absolvatur.

IV. Ex qvibus verbis patet, maximam tùm temporis in bonis Ecclesiasticis fuisse potestatem Imperatorum, qvam hodiè non imminutam tantùm, sed planè ademptam cupiunt Romanæ Ecclesiæ Episcopi. Nec enim potestatem eam in dubium vocant dicti concilii Patres, qvippe qvi concessiones eas nulliter factas pronunciare potuissent non minùs, atqve hodierna Pontificis mancipia, sed inqviri tantùm voluerunt, qvaliter se habeant istæ concessiones, & annon per modum subreptionis impetratæ fuerint. De istiusmodi verò prædiis decimas solvi oportuisse, & sub eâ lege fundorum concessionem factam fuisse, patet ex *cap. 10.* ejusdem Concilii: *Sed & de fiscis & villis, qvas constat dominio Ecclesiæ à fidelibus olim fuisse contraditas, & nunc potestati secularium subditas voluntate eorum ordinari, placuit, ut edictis Principum jussum est, nonæ & decimæ ipsis Ecclesiis, unde subtractæ sunt, fideliter persolvantur: Hi qvi eas retinuerint, ut sacrilegos noverint se ab Ecclesiæ liminibus pellendos.*

V. Ex ejusdem Concilii *cap. 9.* discimus, non ● tantùm Ecclesiarum prædia, qvæ ex liberalibus piorum donationibus doti jam constitutæ accesserunt, sed ipsas etiam possessiones dotales variis modis à Laicis impetitas eo tempore fuisse. *Item,* ajunt, *qvia Parochiales presbyteri gravissimè & indignè à secularibus premuntur, nullaq; reverentia sacerdotali gradui ab aliqvibus servatur, et qvia possessiuncula vel dotes basilicis collatæ irreverenter auferuntur, durissimoq; servitio extenuantur, qvod clamor sacerdotum et ruina etiam basilicarum produnt; placuit, ut ipsi presbyteri sub Episcopis qvibus adjutores sunt, mâneant & sub matre Ecclesia liberi & qvieti officium Ecclesiasticum exeqvantur. Dotes verò à fidelibus designatæ basilicis ad hoc, qvod statutum est ab eis, vendicentur: nullaqve redhibitio censûs inde à qvolibet seculari exigatur, sed qvod canonicè tantùm ordinatum est, suppleatur.*

VI. Memorabile est, qvod ex veteri Chartulario Ecclesiæ Cadurcensis à Stephano Baluzio in appendice conciliorum Galliæ Narbonensis *n. 10.* edito discimus, mulieres aliqvando altaribus adstitisse, & ipso oblationis tempore coram omnibus accepisse, qvod oblatum fuerat. Verba hæc sunt: *Scimus, qvod prædictam Ecclesiam* (B. Genesii de Asnago) *dudum possedit pro portione hereditatus suæ Ugo de Fajedo vocatus, cum divisisset paternum honorem cum fratribus suis. Cui Ugoni confirmaverunt idem fratres sui fide suâ, -- Habuit Ugo Ecclesiam. Inde vixit pluribus*

præpositi præficerentur non inidonei. Sic enim in Concilio Moguntino *cap. 25.* anno DCCCLXXXVIII. constitutum legitur : *De monasteriis Clericorum, monachorum atqve puellarum, qvæ clericis sive Laicis beneficii jure donata sunt, placuit, ut tales eis præficiant provisores & præpositos, sicut in Cabilonensi concilio scriptum est, qvi & præesse noverint, & prodesse &c.*

IX. Sed & integræ Ecclesiæ parochiales Militibus & Regni magnatibus, haud aliter atqve feuda secularia in beneficium dabantur. Idqve factum fuisse ostendit prohibitio Ecclesiastica, qvam Severinus Binius Concilio Romano anno CMIV. celebrato, cum aliis pluribus subjunxit, cujus sub *num. 10.* verba concepta hæc sunt. *Ut plebes Ecclesiæ* (h. e. Ecclesiæ parochiales sive parœciæ) *nullatenus aut Comitibus aut Episcoporum vasallis aut ullis Laicis in beneficia tribuantur.* Inde verò constat non tàm ipsa ædificia, Ecclesiæ nomine, in beneficium concessa intelligi, qvanqvam & hæc jure isto affecta fuisse eruditè ostendat. Petrus de Marca *ad Can. 7.* Concilii Claromontani; qvàm oblationes, decimas, aliosqve reditûs Ecclesiasticos, qvos ita suos faciebant Laici, ut etiam in heredes transmitterent, & deniqve commercium ex iis facerent. Credebant illi, & consvetudine ita continuatâ confirmabantur, justo se titulo bona ista possidere, & qvamvis sæpè eadem repeterent Ecclesiastici, surdis tamen plerumqve narrabant fabulam, seu qvod patrimonii partem crederent heredes, de titulo & acqvisitionis modo parum solliciti, seu qvod fateri videretur rapinam, qvi redderet, & latrocinia majorum accusare censeretur, qvi eorum prædam restitueret.

X. Augebant istos bonorum Ecclesiasticorum abusûs tùm imminuta Carolinæ stirpis potentia, qvæ partim segnitie & vitiis, partim mutuis dissidiis, partim hostilibus insultibus confecta paulatim deficiebat; tùm iteratæ barbarorum irruptiones, qvæ Ecclesiam miserè affligebant, atqve bona ejus atrocissimè dilacerabant. Sanè Normannicæ gentis infestatio qvantas & imperiis & Ecclesiis clades intulerit, prolixum hîc esset recensere. Videri inprimis poterit Chronicon de gestis Normannor. *tom. 2. histor. Franc. scriptor.* ab Andr. du Chesne edit. item Regino Prumiensis *in Chron. sub ann. 853. seq.* Eorum sævitiam breviter descripsit Trajectensis Episcopus apud Andr. Qvercetan. *in not. ad bibl. Cluniac.* his verbis: *Dani, Sveniqve, qvos Theotisci lingvâ suâ Northman, id est Aqvilonales homines appellant, subinde Galliarum provincias usqve adeò depopulati sunt, ut ubi qvondam agri opulentissimi urbesqve speciosissimæ fuerant, nunc bestiarum atq; avium*

avium vasta sint habitacula. Et ubi qvondam paradisorum pulchrè vernantium seges voluptuosa pollebat, nunc è contrario carduus & spinis surgit paliurus acutis. &c. Inter istas Reip. calamitates, ut qvoad fieri posset, res collapsæ restituerentur, & exiguæ reliqviæ conservarentur, donis muneribusqve sibi conciliare milites studebant ex Carolinâ stirpe prognati; cumqve tot tantaqve ipsis non suppeterent feuda, ut omnibus ex voto satisfacere possent, Ecclesiasticos in eam rem adhibebant reditûs, seu qvod vacarent illi, Ecclesiis scil. destructis, & ministris ejus occisis aut ejectis, seu qvod ampliores viderentur, qvàm Ecclesiæ necessitas exigeret. Conf. Nicol. le Maistre *de bon. Eccles. part. 2. lib. 1. cap. 8.*

XI. Exemplum hoc Principum secularium ipsi etiam qvandoqve seqvebantur Episcopi. In qverimoniâ, qvam adversus Guifredum Archi-Episcopum Narbonensem in Concilio Tholosano anno MLVI. proposuit Berengarius Vicecomes Narbonensis, inter alia hoc ei imputat, qvod inter milites beneficia Ecclesiastica distribuerit. *Tunc vero castra*, inqvit, *& villas, prædia, & possessiones, qvæ erant in dominium præfatæ Ecclesiæ, fiscos & possessiones Canonicorum, & qvæq; ex communia erant, abstulit DEO & famulantibus ei, deditq; Diabolo ac militantibus illi. Et ita alia omnia ad Laicalem vertit censuram, ut etiam omnes, qvi ea possident, qvasi per alodia habent paterna &c.* His autoribus cùm in manus Laicorum pervenissent Ecclesiasticæ possessiones, non poterat adeò improbari institutum Imperatorum, salutem publicam promovere cupientium, atqve necessitatibus extremis remedia sibi expetentium, qvibus subvenire tenetur ipsa etiam Ecclesia.

XII. Interim tamen, qvod bono consilio & bonâ intentione, ut nimirum mutuis his auxiliis & Ecclesia & Resp. conservari possent, ab Imperatoribus primùm institutum fuit, id deinceps successu temporis in meros degeneravit abusûs, tenacissimè sibi bona ista asserentibus, qvi acceperant. Accedebant insuper precariæ non ampliùs in nativâ suâ conditione & qvalitate subsistentes, sed multis itidem abusibus involutæ, qvos copiosè perstringit Josephus Gibalinus *de usur. part. 2. lib. 4. cap. 2. art. 8.* Et qvia neqve increpationibus, neqve minis & excommunicationis terriculamentis proficere qvicqvam poterant Episcopi, ut possessores bona ista restituerent, aut à possessione discederent, precibus id impetrare non unis vicibus tentaverunt, & qvidem majore cum successu, ideò, qvòd argumenta animarum salutem & exitium declarantia subinde proponerentur, qvibus moti illi cedere malue-

luerunt jure suo, sibi cæteroqvin satis plano, qvàm ejusmodi periculo sese committere, aut exponere diutius.

XIII. Illustre ejus rei exemplum exhibet Charta Rainaldi Remorum Archi-Episcopi, qvæ extat in Bibliothecâ Cluniacensi *pag. 1389.* postqvam ille ex manu Laici altare, qvod is diu tenuerat, recepisset. Verba, qvæ huc faciunt adscribam: *Noverit præsentium posterorumq; solertia, qvod ego Rainaldus, Dei gratiâ humilis & indignus Remorum Archi-Episcopus diu multumqve laborans, qvaliter altare de Turre super Materna, qvod manu laicali indebitâ usurpatione diu fuerat occupatum, adeò ut qvidam potentes de Plagajotri partes oblationum, decimæ reddituumqve ad idem altare provenientium municipibus suis mancipârent, illiqve qvod dedecorosius est, Uxoribus suis & filiabus in matrimonium contraderent: Tandem auxiliante Spiritu S. qvi spirat, ubi vult, me tali conditione ab eisdem invasoribus retraxisse. Cum enim sæpissimè jam dictos dominos de Plagajotri admonerem, & modis omnibus illis persvaderem, qvod à possessione sanctuarii Dei, qvod diu injustè possidebant, secederent, ne crucifixi patrimonium injustè & violenter usurpando, æternam incurrerent damnationem, demum nostrâ crebrâ admonitione & persvasione permoti, nostroqve adqviescentes consilio, supradictum Altare eo tenore resignaverunt: videlicet, ut illud sanctæ Cluniacensi Ecclesiæ, qvæ est qvasi qvoddam magnum totius Orbis luminare, liberaliter impertirer, cum oblationibus & decimis, cæterisq; ad se pertinentibus, atqve jam dicti Cœnobii venerabilibus fratribus personaliter tenendum concederem &c.* Factum id refertur anno MCXXV.

XIV. Simile cessionis instrumentum anno MCXXXVIII. exaratum in eâdem Bibliothecâ Cluniacensi *pag. 1403.* his verbis legitur: *GUARINUS Dei gratia Ambianensis humilis Episcopus sanctæ Ecclesiæ filiis præsentibus & futuris feliciter niti ad bravium supernæ vocationis. Sciat charitas & dilectio vestra, qvoniam Bernardus de Balliolio miles strenuus, consiliis divinis & hortatibus nostris & religiosorum virorum sapienter acqviescens & animabus prædecessorum suorum & propria saluti & successorum suorum providè consulens, qvædam altaria ad ipsum & ejus antecessores, hereditario jure pertinentia, qvæ licet injustè, utpote laicus, ad periculum animæ suæ diu ipse tenuerit, Monasterio Cluniacensi, Dei tactus adspiratione concessit. &c.* Consimilia cessionum instrumenta passim occurrunt plura, qvæ tamen pleraqve non tàm justitiæ, qvàm pietatis argumenta ostentant, autoresqve

eorum non tàm restituendi, qvàm donandi animum habuisse haud obscurè produnt.

XV. Hæc tamen ipsa pietas malum produxit aliud, & sæpissimè vel paupertati vel invidiæ materiam subministravit. Cùm enim liberalitatis potiùs, qvàm restitutionis titulo uterentur Laici rerum Ecclesiasticarum possessores, liberum sibi esse censuerunt, qvalemcunqve pium locum eligere, cui res istas concederent. Et sic factum, ut agri presbyteriales non ipsis Ecclesiis, qvarum antea fuerunt, sed nova planè donatione monasteriis plerumqve & cœnobiis, aut aliis Ecclesiis pro lubitu assignarentur. Id verò & invidiam excitabat apud Episcopos, qvi bona sua in alios transferri iniqvum esse ducebant, & ad extremam sæpè inopiam redigebat Ecclesias parochiales, qvæ agris suis & mansis presbyterialibus hâc ratione privabantur. Ex qvo factum, ut in Concilio Melfitano anno MXC. statueretur, ne ullus Laicus decimas suas, aut Ecclesiam, aut qvicqvid Ecclesiastici juris est, sine consensu Episcopi vel Romani concessione Pontificis, monasteriis aut Canonicis offerre præsumeret. Qvod itidem paulo ante in Concilio Claromontano constitutum refert Gratianus *c. congregato. 16. q. 7.* Et huc pertinet, qvod scribit Ivo Carnotensis *epist. 192. Est tamen, in qvo Abbatibus & præpositis Monasteriorum parcendum esse non æstimo, si ab illis, ad qvos non pertinent, id est, à Laicis decimas & oblationes accipiant, si inordinatè eas à qvibuscunq; personis reqvirant, si terminos transgrediantur antiqvos, id est, si stipendia presbyterorum antiqvitus instituta minorent, ac sibi usurpent.* Add Nicol. le Maistre *de bon. Eccles. l. 3. c. 2.*

XVI. Fuit verò autoritas Episcoporum necessaria etiam tùm, qvando titulo oneroso, (emtionis e. g.) Ecclesiæ & altaria de manu Laicorum redimerentur. Comprobat id epistola Fulberti Episcopi Carnotensis, qvam nuperè in lucem prodidit Stephanus Baluzius *in appendice ad concil. Gall. Narbon.* his verbis: *Monachi S. Martini Majoris monasterii nostram adierunt præsentiam, humiliter deprecantes, ut ab amorem DEI omnipotentis & sanctæ Mariæ Dei genitricis, simulq; jam dicti Confessoris Martini qvandam Ecclesiam, Navoil nòmine, ad altare sanctæ ac beatissimæ virginis Mariæ pertinentem, eis emere, emptamq; possidere in perpetuum concederemus. Qvod ita fecimus. &c.* Putat verò Baluzius, ideo necessariam visam fuisse interventionem auctoritatis Episcoporum, ut purgarent vitium simoniæ, qvod in redemptione beneficii Ecclesiastici commissum credebatur. At verò generalis est definitio concilii Melfitani supra adducta ad universas

versas

versas translationes beneficiorum Ecclesiasticorum, sive cum, sive sine pretio factas se extendens, ut adeò non tàm simoniæ vitium ejus prohibitionis causa sit, qvàm præsumptum damnum, qvod Ecclesiæ metuendum erat, sicubi his suis bonis & beneficiis privari oporteret.

XVII. Suprà diximus, in concilio Valentino modestè admodùm excommunicationi subjectos fuisse Laicos rerum Ecclesiasticarum possessores, & exceptos eos, qvibus autoritate principum possessio fuerat confirmata. Sed neqve hos qvidem eximios ampliùs haberi voluerunt Episcopi Romani inseqventes, audentiores jam facti & Imperatoriæ autoritatis contemptores valdè inverecundi. Gregorius enim septimus *in c. decimas. 16. q. 7.* disertis verbis statuit: *Decimas, qvas in usum pietatis concessas esse canonica auctoritas demonstrat, à Laicis possideri apostolicâ auctoritate prohibemus. Sive enim ab Episcopis vel Regibus vel qvibuslibet personis eas acceperint, nisi Ecclesiæ reddiderint, sciant, se sacrilegii crimen committere, et æternæ damnationis periculum incurrere.* Nec aliter Alexander III. in *cap. 7. X. de præscript. Mandamus, qvatenus causam ipsam debito fine decidas, non obstante præscriptione temporis, vel concessione Ecclesiastica, secularisve personæ, si idem G. eam opponere voluerit, qvia cum Laici decimas detinere non possint, eas nullâ valent præscribere ratione.*

XVIII. Qvia verò nec tùm qvidem jussibus Episcopalibus parere semper volebant Laici, atqve decimas, qvibus infeudati erant, mordicus retinebant, periculumqve erat, ne crebris excommunicationibus intervenientibus vilesceret tandem fulmen hoc Ecclesiasticum, in Concilio Lateranensi, qvod in annum MCLXXIX. conjiciunt Severinus Binius, Franciscus Longus à Cariolano *in summâ*, Didacus Covarruvias *var. resol. l. 1. c. 17. n. 5.* Henric. Canisius *ad c. 13. X. de decim. n. 6.* cùm de hâc re disputatio incidisset, prohibitum qvidem est, ne qvis Ecclesias & decimas de manu Laicorum sine consensu Episcoporum reciperet, eum scil. in finem, ne qvis in aliam Ecclesiam, qvam cui aliàs competebant, præsertim in religiosum locum sine consensu Episcopi decimas resignaret, oborta tamen deinceps nova fuit controversia, utrum cogi deberent Laici ad istiusmodi resignationem. Et qvia Innocentius III. in *cap. 7. X. de his, qvæ fiunt à prælat.* Canonem concilii Lateranensis de illis decimis accipit, qvæ Laicis in feudum perpetuò sunt concessæ, Interpretes porrò inde conficiunt, Laicos decimas ante concilium Lateranense in feudum receptas licitè qvidem possidere, sed non sine periculo animæ, utpote cessante Ecclesiæ necessitate, ob qvam

eas in feudum acceperunt, nec tamen propterea invitos cogi ad resignationem. Vid. H.Canis. *d. l. n. 8.* Add. Car. Molinaeus *ad consvetud. Paris.* §. *46. num. 19.*

XIX. Qvae ita Laicorum in decimis, oblationibus & bonis Ecclesiasticis aliis invaluit usurpatio, eadem illa etiam ad colonos & servos Ecclesiarum extensa fuit. Fidem hujus rei facit canon 62. Concilii Meldensis, in qvo Patres, cùm revocare servos Ecclesiae ex potestate Laicorum in totum non possent, temperamentum aliqvod excogitàrunt, ut non omni prorsus emolumento destituerentur Ecclesiae. *Servi*, ajunt, *Ecclesiarum qvibuscunq; potestatibus subditi, unde melior consvetudo, vel devotior commendatio ex tempore & jussione Domini Ludovici vel certè Domini Karoli, seu etiam Pipini non existit, saltem viginti diebus in anno, eidem Ecclesiae ad reficiendas ipsius ruinas servire sinantur. Ubi autem & amplior commendatio & melior consvetudo inde habetur, pro hâc nostrâ necessitudinis consideratione non decidat.* Hoc Concilii decretum approbatum fuit à Carolo Calvo Rege atqve refertur inter ejus capitula in Sparnaco villà collecta atq; recepta, *sub num. 18.* cùm pleraqve decreta reliqva ex Principum instinctu prorsus rejecta fuissent.

XX. Oppidò autem exiguum id est tempus, qvod servitiis Ecclesiasticis impendi oportuit, cùm sine dubio ex primâ fundatione haud paulò laxius atqve amplius exactum fuerit. In legibus Bajuvariorum *tit. 1. cap. 14. n. 6.* multò aliter definitur numerus dierum rusticis servitiis destinatus. *Servus Ecclesiae secundùm possessionem suam reddat tributa. Opera verò tres dies in hebdomadâ in Dominico operet, tres verò sibi faciat. Si verò Dominus ejus dederit ei boves, aut alias res, qvas habet, tantum serviat, qvantum ei per possibilitatem impositum fuerit, tamen injustè neminem opprimat.* Qvod de Domino hìc dicitur, non accipiendum de Domino seculari, sed Ecclesiastico, uti ex rubricâ tituli, qvae de colonis vel servis Ecclesiae, qvaliter serviant, concepta est, & ex ipsâ descriptione subjecti in adductis verbis apparet. Multum verò istis servitiis detractum fuit in concilio Meldensi, uti diximus, non qvòd debuerit, sed qvòd oportuerit ita fieri, cùm servos istos & colonos omninò sibi vindicarent tùm temporis Proceres Imperii, Magnates & Nobiles, qvi & ipsos illos paucos in Ecclesiae emolumentum destinatos dies sibi eripi aegrè ferebant.

XXI. Aliqvando autem ipsae etiam personae Ecclesiasticae Laicis vel autores vel adjutores erant, ut ex rebus Ecclesiae sua sibi facerent compendia. Certè in precariis obtinendis prohiberi oportuit in Concilio Meldensi *cap. 22.* ne Clerici tale qvid ausint,

ausint, neve in gratiam Laicorum præceptum Regium impetrent. *Idem autem Custos Ecclesiæ solertissimè caveat, ne sui ordinis & Ecclesiasticæ communionis fortè immemor contra autoritatem præceptum Regium pro qvacunq; assentatione fieri petat, qvi etsi fecerit, non audiatur. Si autem & obtinuerit, Regiá discretione & Episcopali judicio idem rescindatur, & petitor injustus, pro Principis injustâ suggestione dignè corripiatur.* Talia verò sæpe accidisse, & clericos vel precio vel prece corruptos in usûs istos Laicorum consensisse, antiqva pariter & nova prodit Historia. Videamus, qvid in nostris contigerit Ecclesiis.

XXII. Primùm de Collatoribus observandum fuit superiori seculo, solitos eos fuisse qvandoqve homines nullis precii ad clericatum promovere, cum in finem, ut morigeros sibi pastores haberent, aut in re suâ familiari aliqvod ab illis emolumentum perciperent. Qvod indignè ferens Serenissimus Saxoniæ Elector, acerbissime & penetrantibus verbis corripuit, hac addita admonitione **in den** Generalibus **bey der** visitation anno MDLV. **Es sollē auch die Edelleute und andere Lehnherren/ denen Kirchendiener mangeln/ hiermit vermahnet seyn/ daß sie dieselben in den wohlbestallten Schulen oder** Universiteten **Leipzig uñ Wittenberg suchen/ und nicht allenthalben ungelehrte Gesellen/ oder verdorbene Handwercks-Leute uffklauben/ oder ihre Schreiber/ Reuter/ oder Stalljungen Priesterisch kleiden/ und uff die Pfarren stecken/ uff daß sie bey denselben desto leichter erhaltē können/ daß sie etwas vom Pfarr-Gut/ das dem Juncker gelegen ist/ fahrē lassen/ oder aber sonst dem Juncker zu verhinderlichē Hofdiensten mit schreiben/ Register halten/ Kinder lehren ꝛc. verbunden seyn.** Simile qvid olim in Galliâ usu venisse, ex Agobardi Lugdunensium Episcopi libro probavi suprà *cap. 9. num.*

XXIII. Circa colonos verò & Rusticos dotales perpetuò id male habuit collatores, intra limites jurisdictionis suæ illos vivere, & jurisdictione tamen sua esse exemptos. Qvocirca nullo non tempore occasiones captârunt, qvibus illi imperio suo subjici possent. Plurima talia in matricula Consistorii Wittebergensis de anno 1555. referuntur exempla, qvorum nonnulla hic addere libuit, ne frustrà hoc dixisse videar. Sub rubricâ **Ratsch** hæc inveniuntur verba: **Dieser Mann ist des Gotteshauß Mañ/ und hat d' Pfarr die Lehn von wegen**

gen des Gotteshauß. Aber die Edelleute wollens dem Pfarrer entwenden / und habens selber geliehen / geben vor / sie sind die Obersten Lehnherrn / das doch nicht ist / Es ist aber das Lehn dem Churfürsten gehörig in Closter Brena. Item *sub rubricâ* Trebitz: Dieser Mann muß der Kirchen den Wein holen / und die Kirchväter auf die Rechnung führen / und hat angezeigt / wie das Jhn J. L. zu seinen Dienstmann machen wolte / darauf J. L. Bericht gethan / wie vormahls nicht der Brauch gewesen / daß auf demselben Gute weren Pferde gehalten worden / weil aber dieser Mann Pferde halte / und gleich wie andere Nachbaren auf der Weide gehen liesse / habe er Jhme neben den andern Nachbaren zur Bitte etliche Fuhren zum neuen Gebeude zu thun angemuthet / Sonst beschwehre er Jhn gar nicht / wolle Jhme auch nicht mehr auflegen. Nec de Nobilibus tantùm, sed etiam de Qvæstoribus similis consignata est qverela *sub tit.* Mögeln. Der Pfarrer hat geklaget / daß er zweene eigene Bauren zur Pfarre habe / die Jhme dienen müsten / als zu Mögel Matz Pubel / und zu Lindwerder Paul Strust / würden aber durch den Schösser zu Schweinitz und den Schösser zu Seida mit Herrendiensten verhindert / daß sie Jhme seine Dienste nicht thun könten.

XXIV. Aliqvando Pastores ipsimet, ut Nobiles sibi favorabiles redderent, Dotales suos eorumqve servitia sponte cesserunt, non animadvertentes, qvanta inde vel sibi, vel successoribus suis in re familiari exoritura fuerint detrimenta; ut jam taceam, nec licitum qvidem esse Pastori sine præscitu Episcopi aut Consistorii qvicqvam harum rerum alienare aut in alios transferre. Peccavit eâ in re Pastor in dem Filial Ufro / qvi Collatori suo paucorum dierum servitia cesserat, sed parum prudenter & infelici hoc eventu, ut ipse deinceps omni isto servitio destitueretur. Sic enim habet marticula: Dieser Mann ist seinem Erb-Herrn F. V. M. gar nicht zu dienen schuldig / Es hat aber F. S. etwan dieser Pfarr Pastor dem Juncker zu gefallen ohne vorwissen der Herrn Commissarien des Consistorii zu Wittenberg /

berg/ oder des Ampts Schlieben diesen Pfarrmann mit 14. Tage Frohndiensten dem Juncker nachgegeben/ derhalben auch dieser Er Frantz der Pfarr entsatzt ist/ welchen Mann nun der Juncker neben den andern seinen Unterthanen daselbst nicht öffter/ denn schier alle Tage gebraucht/ daß er also dem Pfarrer gar nicht dienen kan.

XXV. Non minùs peccant etiam Pastores illi, qvi sine præscitu Episcopi aut Consistorii fundos dotales qvocunqve titulo alienant. In qvos eqvidem eò magis animadvertendum erit, qvò minùs illi facti hujus sui rationes reddere poterunt, fundusqve ipse revocandus & in pristinam conditionem reponendus. Exemplo esto, qvod contigit in pago Paserin/ his verbis notatum: Dieser Pfarr ist von Churfürsten zu Sachsen hochlöblicher Gedächtnis mit einem Ackergut versehen/ und begnadet/ samt einem grossen Gehöffte und Garten und 2. Hufen Landes/ und etlich Morgen Wiesen und Hufeschlag/ samt etlichen geringen Holtz/ welches der vorige Pfarrer/ (qvi propterea remotus fuit) unvorsichtig/ mit grossen Abbruch und Nachtheil der Pfarre/ vor ein gering/ baufällig/ alt Cossatengut verkaufft und verbeutet hat. Dasselbe Pfarrgut hat ietzund Blasius Krüger/ und giebt der Pfarr jährlich 18. Schl. Korn/ 18. Schl. Hafer/ ein alt Schock am Gelde/ soll ihm auch wie andere des Pfarrers eigene Leute davon dienen.

XXVI. Vidimus hactenus, ut Collatores, deinde ut Pastores dotem Ecclesiasticam, & privilegia dotalia imminuerint, atqve perverterint. Sæpè verò ipsi etiam dotales tale qvid ausi fuerunt, non intelligentes conditionis suæ felicitatem, & mutabilem rerum fortunam. Et sanè fuerunt, qvi fundi dotalis dominium affectârunt, nec veriti sunt eundem apud Censitores aut peræqvatores profiteri, ut oneribus communibus subjiciantur, cum in finem, ut hâc ratione jus dotale expiraret, sibiqve ut heredibus suis fundus iste comparatus intelligeretur. Tale refertur exemplum in eâdem Matriculâ ex pago Okeln: Hanß Koppe hat 2. Pfarrhufen --- --- hat solche wollen vor eigen und Erbgüter inne haben/ hat auch dieselbe als eigen im Amte Wittenberg angezeigt/ und verschatzt/ so er doch

doch überwiesen ist/ daß solche 2. Husen Laßgüter/ derhalben Ihme untersagt ist/ solche Husen forthin nicht mehr zu verschatzen. Auch ist der Schösser darum angeredet worden/ daß er dieselben Pfarrhusen aus dem Schatzungs-Register wolle außthun/ welches er zu thun gewilliget/ und Hanß Koppen gescholten/ daß er Güter hat verschatzen dörffen / die nicht sein eigen und erblich weren.

XXVII. Aliqvando etiam parochiani & vicini fundos Ecclesiæ dotales sive mansos Ecclesiasticos dolo intervertere, suisqve adjacentibus agris vindicare solent. Accidisse id eadem testatur matricula sub rubr. Sandersdorff: Auch ist zu Thalheim eine Pfarrhuse/ welche vorzeiten von andächtigen Leutē zur Pfarre testirt/ und von Bauern unterschlagen ist/ besage einer sehr alten Schrifft in einem Pergamen Meß-Buche/ darinnen diese Wort nach vielen anderen stehen: Pro qvibus laboribus est collata & attributa una mansa agri ad Ecclesiam Talheim in fructum Sacerdotum ibi habitantium & in salutem fidelium animarum anno Domini 1369. Talia exempla etiam alibi contigisse, & in Consistorio Ecclesiastico ventilata fuisse memini, adeò, ut perqvàm difficile sæpenumerò sit, finium regundorum judicium justâ sententiâ absolvere & finire, præfractè plerumqve negantibus Rusticis, Pastore autem probationibus sufficientibus destituto.

XXVIII. Sic etiam Vasalli Ecclesiæ feuda, qvibus investiti erant, ab seculari sæpè domino lubentiùs, qvàm ab Ecclesiâ & Episcopo recognoscere, fidemqve illi potiùs qvàm huic promittere satagebant. In Concilio Biterrensi anno MCCXCIX. habito, qvi congregati fuerunt Episcopi & Prælati, literas ad Philippum IV. Francorum Regem scripserunt, multumqve conqvesti sunt de fluxâ fide Amalrici Vicecomitis Narbonensis, qvòd Regis Vasallum se constituens subtrahere se conatus fuerit homagio & fidelitati, qvam Archiepiscopo & Ecclesiæ Narbonensi à pluribus annis & exemplo majorum suorum debebat. Epistolam integram refert Stephanus Baluzius in recensione Conciliorum Galliæ Narbonensis *pag. 87.* & epistolam aliam Bonifacii VIII. Papæ ad eundem Philippum Regem *in not. pag. 49.*

XXIX. Ut hanc interversionem jurium Ecclesiasticorum in prædiis affectis evitarent & coërcerent Episcopi, in concil. Vavrensi A. MCCCLXVIII. cujus

cujus statuta inter dicta Galliæ Narbonensis Concilia edidit Stephanus Baluzius, c. 43. hanc posuérunt legem Ecclesiasticam: *Qvia qvidam suæ salutis immemores, tenentes ab Ecclesiâ castra, villas, domos, terras, nemora, vel prata, seu qvasvis alias possessiones, in emphyteosin, vel sub certo feudo, dominio, senboriâ, censu, servitio, pensione, vel præstatione qvâcunq; plerumq; illas & illa vendunt, permutant, vel donant, seu aliàs ignorante Domino distrahunt, nullâ de emphyteosi, feudo, dominio, senboriâ, censu, servitio, pensione vel præstatione, qvod ab Ecclesiâ teneatur, mentione, qvin imò interdum ipsas seu ipsos tanqvam ab omni censu, servitio, & pensione, vel minori parte, seu qvovis alio jure Ecclesiæ debito liberos, alienant; nos tàm saluti talia volentium attentare, qvàm indemnitati Ecclesiarum providere volentes, statuimus, qvod qvicunq; tenens ab Ecclesiis nostris vel aliis personis Ecclesiasticis nobis subjectis castra, villas, domos, possessiones, vel alias res immobiles seu loca, vel jura, cùm ad venditionem, donationem, permutationem, seu qvamvis aliam alienationem eorum vel earum duxerit procedendum, de feudo, emphyteosi, etiamsi cantio vel pensio propterea non solvatur, censu, servitio, dominio, vel senboriâ, pensione seu qvâvis aliâ præstatione eisdem Ecclesiis debitis, etiamsi in alienatione de jure vel consvetudine non sit illius, â qvo tenentur, reqvirenda scientia vel consensus, plenam & expressam debeant facere mentionem. Aliàs, si aliqvid prædictorum in toto vel in parte Ecclesiis debitorum in contractu vel alienatione hujusmodi celaverint, vel scientes omiserint, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto. Eandemq; pœnam incurrat Notarius, qvi sine expressione hujusmodi jurium de contractu scienter vel fraudulenter facit instrumentum.*

XXX. Sentiunt verò illi, qvi bona Ecclesiæ donata diripiunt, & in suos usûs vertunt, magno suo malo, qvanta sibi rebusqve suis inde qvotidiè nascantur pericula atqve damna, qvibus eqvidem juxta Lutheri sententiam idem accidit, qvod Aqvilæ olim obveniebat, cui videnti, Jovi sacrificium in arâ fieri carne agninâ, & advolanti, bonamqve partem auferenti, carbo igneus alis adhæserat, qvo postmodum & nidos & pullos, qvibus prædam advexerat, comburi faciebat. Sanè mirantur sæpè Patresfamilias cæteroqvin assidui & omni ex parte prudentes, qvî fiat, qvod post tot immensos labores & accuratè præstitas ex artis suæ regulis operas, decrescat magis, qvam augeatur res familiaris, nec attendunt, aurum Tholosanum se inter bona sua habere, h. e. rem aliqvam Ecclesiasticam, aut Ecclesiæ donatam, exigui qvantumvis precii aut momenti, tali tamen qvalitate

O o prædi-

prædιtam, ut reliqva bona omnia perdat & consumat. Leve hoc esse videtur, rusticum aut colonum dotalem suis adhibere servitiis aut communibus subjicere oneribus. Et hoc ipsum tamen ingentes sæpè in re familiari parit calamitates, maximè si cum execrationibus et imprecationibus talis colonus Ecclesiæ primitùs donatus fuerit, qvæ certè nunqvam ferè suo carent effectu, & in seros usqve nepotes eundem continuant.

XXXI. Qvod si porrò qvis factum hoc suum, qvo Ecclesiæ bonis manum injicit, suasqve fortunas inde ampliare studet, juris examini subjecerit, vereor ego, ne turpissimam nefarii criminis notam referat, aut rubore saltem perfusus recedat. In Decreto Gratiani *sub caus. 12. q. 2.* plurimæ tales habentur sententiæ, qvæ temerarios hominum in rebus Ecclesiasticis ausûs & contrectationes atro carbone notant, & pessimis nominibus insigniunt. *Nulli* (dicitur ibi *can. 3.*) *liceat ignorare, omne, qvod Domino consecratur, sive fuerit homo, sive animal, sive ager, vel qvicqvid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino: & ad jus pertinet Sacerdotum: propter qvod inexcusabilis erit omnis, qvi quæ à Domino & Ecclesiâ, cui competunt, aufert, vastat, & invadit, vel diripit: & usq; ad emendationem, ecclesiæq; satisfactionẽ, ut sacrilegus judicetur: & si emendare noluerit, excommunicetur.* Similia referuntur *can. 5. Prædia divinis usibus tradita qvidam humanis usibus applicant: & DEO nostro, cui tradita sunt, ea subtrahunt, ut sibi inserviant: qvapropter ab omnibus illius usurpationis contumelia depellenda est, ne prædia usibus secretorum cœlestium dicata à qvibusdam irruentibus vexentur. Qvod si qvis præsumpserit, ut sacrilegus judicetur.* De servis verò Ecclesiæ aut Conciliorum specialiter constitutum fuit in Concilio Toletano III. ne oneribus aut servitiis graventur, uti idem refert Gratianus *Can. 68.* his verbis: *Ecclesiarum servos, & Episcoporum vel presbyterorum vel omnium Clericorum à judicibus vel exactoribus publicis in diversis angariis fatigari dolemus: propter qvod omne Concilium à pietate gloriosissimi domini nostri poscit, ut tales usus deinceps inhibeat, sed servi supradictorum officiorum in eorum usibus vel Ecclesiæ laborent. Si qvis verò judicum vel Actorum Clericum aut servum Clerici vel Ecclesiæ in publicis ac privatis negociis occupare voluerit, à communione Ecclesiasticâ, cui impedimentum facit, efficiatur extraneus.* Habitum fuit istud concilium anno Domini DLXXXIX. ne nudius tertius demum tale qvid prohibitum, & animadversione notatum qvis opinetur. Angariare autem generali significatu idem est, qvod cogere ad munus aliqvod & onus

onus subeundum. Itaq; Svidas ἀγγαρείαν interpretatur ἀναγκην ἀκούσιον, καὶ ἐκ βίας γενομένην ὑπηρεσίαν, involuntariam necessitatem & violentum servitium.


XXXII. Inter sacrilegos ita numeratur, qvisqvis res Ecclesiæ usurpaverit, suisqve usibus applicare haut veritus fuerit. Etsi enim, si forum externum spectes, & ex jure civili rem æstimes, pœnamqve promeritam investigare velis, locum non inveniant, qvæ à Doctoribus congesta reperiuntur, qvia bona ejusmodi Ecclesiastica, prædia, frumentum, pecunia, servi &c. ad communem ministrorum ac pauperum sustentationem & templorum fabricam deputata, non ita propriè ac simpliciter inter res sacras recensentur, sicut illæ, qvæ vel speciatim ad DEI cultum consecratæ vel benedictæ, vel specialiter institutæ sunt, veluti instrumenta divini cultûs. Nihilominus in jure Canonico ita passim delictum istud appellatur, qvippe ex qvo sacrilegium definitur, qvod sit, si qvis qvod venerabilibus locis relinqvitur, pravæ voluntatis studio, suis tentaverit compendiis retinere, *c. sacrilegium. 18. q. 4.* Ratio est, qvia bona ista ex primâ sui institutione, atqve offerentium voluntate, eam conditionem habent, ut qvia ad DEI & Christi honorem oblata ac destinata sunt, non in alium usum, nisi pium convertantur. Non simplicem igitur committunt injustitiam, qvi bona istiusmodi intervertunt, supprimunt, atqve defraudant, sed qvalificatam & acriore censura dignam. Vid. Paul Laymann. *theol. mor. lib. 4. tr. 10. c. 7. n. 15.* Joh. Azor. *Instit. mor. lib. 9. c. 27. p. 1132.*

XXXIII. Qvæ cùm ita sint, nolim profectò svasor esse, ut qvisqvam rei cujuscunqve Ecclesiasticæ usum attentet, ut maximè incertum sit, utrum ad dotem constitutam ea pertineat, an verò ex superveniente liberalitate & donatione antecessorum profecta fuerit. Etsi enim hoc ultimo casu reservari à donante jus aliqvod potuerit, nec repugnet adeò conditioni Ecclesiasticæ, potestati civili & jurisdictioni seculari subjectum esse, cum reliqvus usus nihilominus Ecclesiæ totus relictus sit, ipsa tamen illa incertitudo, quia cum perpetuâ formidine oppositi conjuncta est, plerumqve & facultates attentantis & conscientiam ejus periculo & metui exponit, ne à divino numine severa aliqvando vindicta statuatur. Eoqve magis miror infrunitam qvorundam Advocatorum audaciam, qvi gloriæ sibi ducunt, sicubi Ecclesiæ sibi adversantis jura impugnaverint & everterint, digni profectò, qvi Ecclesiasticæ censuræ subjiciantur, & publicâ pœnitentiâ crimen hoc expiare jubeantur. Graviter verò etiam in hos sæpè animadvertit vindicta divina,

 vina,

vina, qvippe qvæ non patitur Ecclesiæ suæ damnum inferri impunè, facitqve, ut sentiant illi tandem magno suo malo, non esse litem Ecclesiis temerè intentandam.

XXXIV. Temperare mihi neqveo, qvin hîc commemorem exemplum Johannis de Maresiis, Advocati apud Gallos disertissimi, de qvo cum supplicium capitis sumptum fuisset, qvod rebellionis reus cum aliis crederetur, hoc insigne addit judicium, qvi vitam Clementis VII. Pontificis consignavit, qvemqve ex MS. Bibliothecæ Regiæ edidit Franciscus Bosqvetus: *Qvia*, inqvit, *inter cæteros hujus rei culpabiles notus fuisse dicitur unus Advocatus parlamenti Regii, aliàs nobilis & solemnis reputatus, qvi Magister Johannes de Maresiis dictus est, sententiam subiit capitalem. De ejus tamen damnatione varii vario modo sunt locuti. Nam plures ipsam voluntariam potiùs, qvàm justam dixerunt, ipsum sibi super impositis innocentem asserendo; alii verò eum reum & culpabilem opinantes, ipsam æqvam & laudabilem existimarunt. Qvod autem horum verum sit, hoc DEI judicio relinqvitur, qvi qvandoq; delatos super certos licet de ipsis innoxios, aliorum tamen reos hic corporaliter damnari permittit, ne super commissis impuniti hic remaneant, & hic præsenti in corpore de delictisq; compuncti, æternam in anima effugiant ultionem. Qvod ideò hic inserui, qvod licet, ut præfactum est, hic per prius satis commendabilis in aliis diceretur, tamen judicio plurimorum in uno DEUM fortè non modicum offendebat. Cùm enim famosus Advocatus existeret, qvotiens occurrebant causæ, qvæ Ecclesiarum jura aut libertates concernerent, utplurimùm & libentiùs contra ipsas patrocinium assumebat, qvi si sub occasione qvandoq; gravatæ fuerunt, DEUM in hoc ultorem præsumitur habuisse, qvi facta suis, sibi facta reputans tales consvevit deprimere aut ultione simili radicitùs extirpare* &c. Hactenus ille. Ego ut nunqvam tales existant, qvi Ecclesias diripiunt & evertunt, sed ut perpetuæ illæ usqve ad diem supremi judicii perdurent, & ipsa in illis fidelium universitas qvotidiè augeatur, calidis & ardentibus votis atqve suspiriis DEUM Ecclesiæ autorem exoro.



INDEX



INDEX RERVM ET VERBORVM MEMORABILIORVM,

In qvo numerus major f. Romanus Caput, minor f. Barbarus paragraphum indicat.

A.

C.

Clerici

Ejus

DIA-

ad

In

Eccle-

ELEEMOSYNA

ENCÆNIA.

Fami-

Immuni-

MA-

Eorum

Pfarr-

Redi-

F I N I S.

